

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PII II. P. M.

OLIM

AENEAE SYLVII PICCOLOMINEI

SENENSIS

ORATIONES

POLITICAE, ET ECCLESIASTICAE.

Quarum multas ex MSS. Codd. nunc primum eruit;
reliquas hinc indè dispersas collegit,
& ad MSS. Codd. recensuit,

ARGUMENTIS, ADNOTATIONIBUS, ET PRAEFATIONE EXORNAVIT,

ATQUE

APPENDICE ALIARUM LUCUBRATIONUM INEDITARUM AUXIT

JOANNES DOMINICUS MANSI

Cleric. Regul. Congr. Matris Dei Lucensis.

PARS I.

Orationes habitas in Vita privata continens.



LUCAE MDCCLV.

EX TYPOGRAPHIA PHILIPPI MARIAE BENEDINI

SUPERIORUM PERMISSU.



Digitized by Google

VIRO CLARISSIMO


ANTONIO FRANCISCO GORIO

BASILICAE BAPT. S. JOANNIS BAPTISTAE FLORENTIAE

PRAEPOSITO MERITISSIMO

JO: DOMINICUS MANSI

S. P. D.



Uid eſt, Vir praeclariſſime, quod mihi dicam apud aequos aeſtimatores impingere minaris, perinde ac ſi debitam viris principibus caeteriſque opibus, & dignitate florentibus honoris teſtificatio-

Digitized by Google

cationem tibi privato homini deferendo, rem librariam perverterim? Solemne esse, dicis, eruditis, caeterisque qui emittendorum in lucem insignium librorum provinciam suscipiunt, ut splendidis virorum potentium nominibus voluminum suorum frontem ornent; atque ita solemne, ut peculiare hoc jus, cum privatis non communicandum, jam tandem sibi vindicare Principes videantur: Id ergo honoris tanquam injuria tibi datum, tu, qui nihil nisi justa exoptas, a Te deprecaris, quin & removere omnino, judicio mihi intentato, adniteris. Nihil profecto adversum me impetrabis apud rectissimos illos veritatis indagatores & judices, siquidem optimas & probabiles rei a me gestae causas auscultaverint. Est suus literis honor, & quidem major, quam sit opibus & natalibus; eosque non minoris aestimamus qui in Republica Literaria, quam qui in civili gerunt optima-

tum.

tum. Tibi vero primas inter literatos deberi quis jure negaverit? Et si quis aemulus (neque enim aemulatione carent literae) ex eo sublimi loco te deiicere, & ad humilia communium literatorum subsellia trahere auserit; nonne volumina illa tua, mole grandia, rebus & eruditione ingentia, Te elevant in sublime, elatumque sustentant? Quis tibi jure inficietur in literis principatum, qui novae provinciae, nunc primo detectae, Etruscae scilicet literaturae dominaris? Hanc tu detexisti, in hanc pedem intulisti & velut edomuisti. Talis ergo tantusque cum sis, jure ne adversus me reclamare valebis, quod debitum Viris summis honorem tibi impendendum susceperim? Conquiesce igitur a querelis, ferasque patienter sub clientela tua Liber exeat in publicum. Eo excuso commodius frueris, quem calamo descriptum jam probasti, utilemque tibi tuique similibus fore agnovisti. Cum

enim

enim lucubrationes istae Pii Pontificis excudendae typis Liburnensibus a me proponerentur, judicium tuum exquisitum ab iis est, qui impressioni praeerant. Tu verò laute de opere judicasti, laudasti consilium meum, suasisti editionem, haec de me meisque praedicans, quae ne in publicum producam modestia mea prohibet, dignitas tua minime postulat; nam forte palam exposito judicio de me tuo apud malignos cavillatores invidiae discrimen aliquod incurreres. Quamquam vero (ut hoc obiter dicam) exiguitatis meae conscius, ex tua illa opinione nihil de me magnifice sentire admonitus sum; adhuc tamen voluptatis illecebra quadam titillari tunc cor meum sensi, quod laudari a tanto Viro praeclarissimum mihi intelligebam fore, utpote qui non displicere mea literatis Viris agnoscerem. Habes, Vir clarissime, causam meam egregie peroratam: ab accusatione jam tandem desiste,

atque

Digitized by Google

atque Tu cum caeteris in consilium meum, sin minus voce & approbatione, saltem patientia tacita descende. Vale.

Dabam Lucae XI. Kal. Majas.

Digitized by Google

JUſſu Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Archiepiſcopi Lucani Joſephi Palma vidi librum inſcriptum *Pii II. P. M. olim Æneae Sylvii Piccolominei Senenſis Orationes*, quas ex Manuſcriptis Codicibus primum eruit, vel diſperſas collegit (adjectis Argumentis, & Notis, aliiſque ejuſdem Pii II. lucubrationibus) Vir Cl. P. Jo: Dominicus Manſi de Literaria Republica, ac de Religione propter egregia alia edita monumenta optime meritus. Cum vero hic nihil occurrat, quod non ſit & Catholicae Fidei decretis, & bonis moribus conſentaneum; ſed omnia mire conferant ad doctrinam, ad eruditionem, ad hiſtoriam in primis eccleſiaſticam illuſtrandam, & incredibilem afferant legentium animis voluptatem, librum non modo in lucem edi poſſe, ſed omnino edendum cenſeo, &c.

Lucae pridie Idus Septembris an. 1754.

Jacobus Antonius Bacci S. Theol. Lector in Seminario Lucenſi.

Imprimatur.

VINCENTIUS FRANCISCUS PRIOR TORRE PRO VIC. GEN.

FRANCISCUS MARIA FIORENTINI ILLUST. OFF. SUPER JURISD. PRAEPOSITUS.

Digitized by Google

PRAEFATIO.



Eneae Sylvii Piccolominei Senenſis, qui dein ſummum in Eccleſia Chriſti Sacerdotium adeptus, Pii II. Pont. Max. nomine claruit, epiſtolas & tractatus reliquos in volumen collectos primi omnium Baſileenſes dare erudito orbi aggreſſi ſunt, abſolveruntque ſuſceptum opus anno 1551. typis Henrici Petri. Verum ſuccedentibus annis, creſcente in dies eruditorum deſiderio potiundi aliis viri eloquentiſſimi lucubrationibus ad id uſque in pluteis inſignium bibliothecarum reconditis, latentibuſque, aliae ſubinde & aliae doctorum virorum induſtria variis in locis vulgatae acceſſerunt. Ex qua novorum ſcriptorum productione factum eſt, ut quae olim Baſileenſis editio palantia omnia Pii Pontificis opera ad id uſque tempus nota complectebatur, dein vix exiguam ſcriptorum tanti viri portionem contineret. Fruſtra enim in ea quaeras de Concilio Baſileenſi commentarium, Friderici III. vitam, hiſtoriam Auſtriacam, & alia ſexcenta. Supplere defectui, eruditis incommodo, aggreſſa ſunt praela Helmſtadienſia ſex in 4.° voluminibus, vagantia pleraque in unum complectentia. Prodiit collectio iſta anno 1700. Nec ita tamen votis doctorum hominum plene ſatisfactum eſt, cum diſperſa adhuc vagentur non pauca, ex quibus ſi forte quaedam in manus doctorum hominum inciderint, quaedam tamen ut fugiant non difficili caſu contigiſſe potuit. Adde plura adhuc in ma-

Digitized by Google

nuſcriptis codicibus manere occulta, quorum vix titulus compertus eſt, quin nec ipſo quidem titulo nota eſſe plura vix dubito. Id fatum hiſtorica quaedam ejus auctoris utcumque corripuit, ut Penthalogum e MSſ Codicibus a P. Pez haud ante multos annos productum, hiſtoriam Gothorum, quam e Mſ. codice viri cl. Apoſtoli Zeno P. Duellius excudendam curavit in Biga Librorum variorum Viennae Auſtriae 1730. Sed praeter omnia viri eloquentiſſimi ſcripta aberrant adhuc in diverſa peroratae ab illo in vario vitae ſtatu orationes: quamquam, ut vera fateamur, ſi quo eloquentiae genere AEneas claruit, in eo plane quo orator quis efficitur & appellatur, ſcribendarum nempe orationum, ſive illae deliberativi, ſive demonſtrativi generis ſint, palmam omnibus aetatis ſuae praeripuit. Baſileenſis illa editio Pii opera omnia, ut fert titulus, complexa, orationes tamen non ultra ſex continet; aliae in familiam nondum adſcitae diverſae habitant. Tres offendas apud Labbeum, ex quibus geminas Dacherii ſpicilegium obtulit. Freherus in ſuo Rer. Germ. volumine II. geminis locum fecit; unicae Baluzius Miſcellan. tom. I. Denique cl. Muratorius, dum Ambroſianam bibliothecam curabat, codicem Mſ. orationum Pii offendit, collatiſque ſingulis cum excuſis, ineditarum non exiguam portionem deprehendit. Ex his geminas ſelegit in ſuis anecdotis, tunc edi coeptis, ſtatim evulgandas; caeteras ſuo ſingulas tempore in ejuſdem operis proſequutione ſe depromptarum ſpopondit. Interim ſingularum argumenta protuliſſe ſat habuit. Hunc ipſum codicem deſcribens in ſua hiſtoria typographica-Literaria Mediolanenſi cl.

Sa-

Saxius ad an. 1473. contineri in eo tradit orationes duas supra viginti, ex quibus nonnullas nondum publica luce donatas Muratorium indicasse animadvertit: recte tamen monet vir doctus, orationem ad Alphonsum Regem inter ineditas haud merito a Muratorio accenseri, quippe quae in editione Basileensi ante annos tam multos jam prodierit. Nec insuper Pii scriptum *contra Sigismundum Austriae Ducem pro captura Cardinalis*, Nicolai scilicet Brixiensis Episcopi & S. R. E. Cardinalis tit. S. Petri ad Vincula, inter orationes accenseri jure posse notat, quanquam id Muratorio obrepsit, cum reipsa bulla sit ab eodem Pontifice in Sigismundum promulgata.

In tanta igitur orationum viri eloquentissimi dispersione si quis in se sumeret, ut in unam quandam voluminis complexionem eas omnes redigeret, atque erudito orbi donaret, hunc certe gratiam apud doctos viros initurum maximam arbitrabar; cum praesertim lucubrationum illarum meritum non ex una tantum eloquentia, sed & ab eruditione rerumque ecclesiasticarum utili tractatione augeatur. Multa sunt tamen collectori illi, publico literarum bono laboraturo, necessaria, ut par sit tanto operi suscipiendo, ne in cassum laboret. Diligentia enim summa est illi adhibenda, ne quae eum fugiant ex orationibus jam vulgatis, palamque hinc inde variis in voluminibus dispersis. Insuper, quod caput est, enitendum illi pro viribus, ut codices impetret, consulatque MSS. ex quibus sepultas adhuc orationes extrahat in lucem, & jam olim minus diligenter vulgatas, instituta collatione, reformet, & emendet. Haec vero insperato mihi sors obtulit; nam

b 2 & im-

& impressa volumina habebam parata, unde aptam operi materiam traherem, & manuscriptum codicem in rem praesentem aptissimum nactus sum. Lustranti enim mihi Canonicorum majoris Ecclesiae Lucensis bibliothecam, manuscriptis codicibus a Felino Sandaeo, canonum scientia insigni aetate sua viro, ex testamento legatis, probe instructam, in codicem incidi vetustum, forma, quam vocant, quarti, anno 1494. ut in adnotatione adjuncta legitur, exaratum, Pii II. orationes bene multas offerentem. Evolvi illum sedulo, comperique statim ex his scriptis plura nondum lucem publicam aspexisse, plerasque orationes ex iis esse, quas & Muratorius in suo Mediolanensi codice offendit; quanquam & nonnullas habere codicem hunc in Mediolanensi frustra quaerendas; sicut vicissim pauculas continere animadverti Mediolanensem illum, quae desiderantur in nostro. Rursus diligentius indagatus in alium incurri codicem Mf. ejusdem aetatis, Pii Pontificis orationes geminas continentem, ab eo dictas in Mantuano conventu; alteram inter epistolas & tractatus varios Pii II. saepius vulgatam; alteram vero tunc dictam ut invidiam a Gallis in se conflatam amoliretur. Editae quidem sunt ambae, & posterior quidem a Dacherio, ex quo in collectionem conciliorum Labbeanam transivit: priorem vero idem Labbeus e suo Codice vulgavit. Opportunas tamen manuscriptas illas arbitrabar esse ad repurgandas editarum sordes: nec enim satis laute de codice illo Dacheriano & Labbeano judicabam. Alios etiam ex eodem penu Pianarum lucubrationum codices deprompsi, quos tamen nonnisi historica & jam olim in lucem producta ejusdem

Scri-

Scriptoris offerentes in praesens sepofui. Natum tunc consilium collectionem hanc adornandi. Visum id commodum amicis; visum e Republica Literaria; visum satis e publico desiderio. Nec aliis incitamentis opus habui, ut statim Spartam hanc adornandam susciperem.

Principio quidem, ut totam operis ideam explicem, editas omnes orationes hinc inde sparsas collegi atque descripsi; tum si quae ex illis in codice meo Ms. recurrebant, has cum illis contuli, variantesque adnotavi; demum illas quas codex dabat nondum erudito orbi communicatas in schedas meas transtuli. Succurrit statim de adnotationibus adornandis, quibus obscurè quaedam a Pio dicta, sive nostra aetate minus explorata illustrarentur. Has sparsim dedi, sed breves & raras; cum explicatum latius Orationum argumentum (quam expositionem singulis praemisi) adnotationum loco haberi potuisse censuerim. Nunc singularum, quo recitatae sunt, tempus annusque, ex quo recto ordine a me dispositas patebit, discutiendus est.

Princeps tempore & dignitate est oratio coram Patribus Basileensibus recitata, cum de loco habendi concilii pro Graecis recipiendis conjungendisque in Ecclesiae Romanae communionem consultaretur; negabant enim illi Basileam venire, liberumque electioni Patrum permittebant, num Florentiam, Utinum, Papiam, Avenionem destinarent. De hac oratione gravissimus ille virorum coetus sensit magnifice; ita enim de illa Gobelinus, vel si malueris, Pius ipse scripsit Comment. lib. 1. pag. 6. edit. Francofurti. *Conscriptam per noctem orationem duabus horis cum omnium singu-*

lari

lari attentione & admiratione peroravit, cujus exemplar omnes qui aderant edi postmodum sibi curaverunt. Acta sunt haec majo circiter mense anni 1436. quo scilicet tempore postulati a Pontifice Patres, ut locum pro Concilio habendo destinarent, se mature deliberaturos responderunt. Vide Labbe tom. XVII. pag. 488. Venet. edit. Nescio quid fuerit in causa, cur diffamata adeo oratio, quam sibi plures describendam curarunt, diligentiam doctorum virorum huc usque fugerit, ut me primum authorem curatae editionis suae haberet. Quanquam non hic primum, sed ante aliquos annos in quarto Conciliorum meorum volumine eam protuli.

Sequenti, ut arbitror, anno 1437. Sigismundo Caesare fatis functo & Alberto substituto; (ita enim tempus habitae orationis designat Pius, seu Gobelinus ibid. l. 1. pag. 7.) cum a morbo jam convaluisset, Mediolano Basileam regressus AEneas laudes D. Ambrosii, sacra ejus memoriae die, pro concilio persequutus est. Deest oratio haec in codice Mediolanensi; sed in Commentario Gobelini commemoratur, & hic datur ex Lucensibus schedis. Hanc pariter in meo Conciliorum Supplemento ego primus dedi.

Alteram a praecedenti facio orationem ad Plebem S. Mariae de Aspach in Bavaria, cujus sacrum regimen deferente sibi Leonardo Pataviensi Episcopo susceperat. Id muneris assequutum AEneam credo postquam Pataviam veniens in Comitatu Friderici Caesaris, Episcopo illi Pataviensi innotuit. Cum enim in Epistola sua de hoc Caesaris adventu Pataviam ad Joannem Campesium data, tunc primo se spectasse splendida urbis

Digitized by Google

urbis illius aedificia testetur, hoc indicio demonstrat ante hac, non nisi forte in transitu eo venisse; quod de homine paroeciam ejus dioecesis obtinente vix credas. Is vero Friderici adventus Pataviam in annum 1444. incidit, ut ex literis illis probari posset; nec alius habitae orationis hujus annus quaerendus est. Orationem hanc norunt plures; vulgavit nemo; nam & Warthonus in addit. ad Guillelmi Cave histor. Lit. in Ms. codice Bibliothecae Augustanae legi affirmat; sicut nec deest in Mediolanensi, Muratorio Saxioque affirmantibus.

Quarta succedit oratio ab AEnea dicta coram Eugenio IV. dum pro restituenda Germanorum obedientia ad Pontificem missus est. Debemus illam P. Martene, qui e Ms. codice D. Chauvelim nactus integram dedit Vet. Mon. tom. VIII. pag. 980. Ejus tamen fragmenta quaedam jam olim vulgaverat Coclaeus in hist. Hussit. lib. 9. Annus legationis hujus signatur 1447.

Eodem ipso anno 1447. vel sequenti AEneas legatus Imperialis venit ad Mediolanenses, suasurus, ut quandoquidem ex obitu Philippi Mariae Vicecomitis inclyta illa Heroum stirps defecerat, & feudum Mediolanense rediisset ad Imperium, novum dominum Fridericum ultro Mediolanenses agnoscerent & admitterent. Ea causa tractata est ab AEnea oratione quae hic quinta datur. Bis quidem ea de re peroratum ab eo est; semel statim post Ducis Vicecomitis obitum; iterum vero cum alteram legationem obiisset ut populum in Franciscum Sfortiam inclinantem ad Imperatoris partes flecteret. Hanc prioris legationis orationem esse ex Gobelino constat, cum eodem te-

ste,

ſte, longe aliud fuerit alterius orationis ſchema. In Mediolanenſi Codice haec ipſa prior oratio comparet; ſecundam nemo huc uſque produxit.

Ordine ſuccederet oratio AEneae de obitu Eugenii IV. & ſucceſſoris coronatione, quam ex cod. Mſ. Regiae Bibliothecae produxit Baluzius, nec alibi facile eſt obvia. Redux ex Italica legatione AEneas Friderico Caeſari expoſuit urbis vices, quas ipſe ſpectaverat, ſive in Eugenii deceſſu, ſive in Nicolai V. novi Pontificis aſſumptione, reſque proinde geſtas anno 1447. expoſuit. Cum tamen lucubrationem hanc hiſtoriam facilius dixeris quam orationem, in orationum cenſum eam referre haud quaquam duxi opportunum; cum praeſertim nihil de illa Gobelinus; nihil Campanus in epiſtola quam inferius producturus ſum.

Anno Jubilaei 1450. Neapolim ablegatur AEneas, ut nuptias petat Caeſaris cum Leonora Regis Portugalliae ſorore; quibus impetratis utriuſque Sponſi laudes pro concione celebravit oratione, quae poſtmodum a multis conſcripta eſt, ait Gobelinus. Deeſt in Italicis codicibus, ſed ex Frehero Rer. Germ. tom. II. hic datur.

Has omnes orationes excipit oratio recitata in exitu anni 1450. quo Nicolaus quartum Pontificatus agebat annum (id enim in ea ipſa oratione exprimitur) ut domino ſuo coronam Regni Italici poſceret. Ex Lucenſi codice datur. Cum vero ex Vindobonenſi codice hanc ipſam orationem dederit Freherus Rer. German. tom. II. factaque a me hujus cum mea collatione compererim utramque inter ſe diſcrepare, verbis ſaepe, rebus interdum, quamvis unum idemque ſint utriuſque prin-

Digitized by Google

principium & finis: utramque repraesentare malui.

Biennio post, anno nempe 1452. AEneas orationem, quam pracedentibus continuamus, coram Sacro Senatu habuit, jam inde ante duo saecula in collectione epistolarum Pianarum excusam, cujus exordium *Moyses*, *&c.* Damus illam ex vetustissima Mediolanensi editione anni 1473. collata cum aliis recentioribus, inter quas Lugdunensi anni 1551. Hanc pariter orationem cum in Frehero nactus sim passim diversam; ideo bis, ex utroque nempe codice, dandam censui.

Tumultuantibus Austrialibus, enitentibusque tutelam Ladislai Ducis sui Hungariae, & Bohemiae Regis Friderico Caesari eripere, missus est AEneas anno 1452. ut jus suum Friderico assereret, quod ille praestitit egregia oratione, qua tumultum omnem, quanquam non pacavit, tamen utcumque mitigavit. Orationem vulgavit Muratorius Anecdot. tom. II. emendationes ego e meo codice profero. Meminit ejus Gobelinus lib. I.

Anno 1454. plus vice simplici verba fecit Pius. Semel in Ratisponensi conventu, quam orationem ex unico tantummodo Mediolanensi codice mihi descriptam a cl. Saxio hic recito. Meminit hujus Campanus in Epistola, cujus fragmentum statim post praefationem hanc subdo.

Iterum eodem vergente anno oravit in coetu Principum Francfordiae. Ex edito hic iterum repetitur oratio, incipiens. *Constantinopolitana clades.*

Semel coepti Germaniae conventus pro decernenda parandaque Turcica expeditione in an-

num ſequentem extracti ſunt. Indictum fuerat principibus Viennam; tum Novam Civitatem: Caeſaris nomine huic conſultationi praeſedit AEneas, Senenſis tunc Epiſcopus. Qua occaſione orationem ſcribendam ſuſcepit, quam pro concione recitaret; ſed poſtmodum eam nondum abſolutam abiecit, quod forte minus felici vena fluxiſſet, alteramque adornavit. Truncus ille orationis una cum altera plene abſoluta, quam pariter & Mediolanenſis codex ſervat, hic primum editur ex Mſ. cod. Lucenſi. Hungaris etiam oratoribus auxilium a Germanis poſtulantibus reſpondit oratione duplici, quarum priori incipienti: *Si mihi, &c.* aſcribitur in codice Mediolanenſi annus 1455. dies XXIII. Martii. Nova etiam reſponſione eoſdem Legatos cum reditum pararent dimiſit, ſpem faciens futurum, ut rebus omnibus ad expeditionem paratis voti tandem compotes fierent. Huic orationi in Mediolanenſi codice aſcribitur dies XXIII. Aprilis ejuſdem anni; incipit: *Optaſſet, &c.* Datur ex cod. Lucenſi.

Obiit hoc ipſo anno 1455. Nicolaus V. Pontifex maximus; ſubſtitutus Calliſtus III. cui Ferdinandus piae ſubmiſſionis obſequia praeſtiturus ejus exhibendae curam AEneae commiſit. Habuit tunc vir diſertiſſimus orationem jam olim excuſam, atque hic iterum repetitam, cujus exordium: *Solent plerique, &c.* Orationem hanc communis favor adeo probavit, ut *reſcripta in multorum manus pervenerit*, teſte Gobelino lib. 1. pag. 25.

Altero anno, ſcilicet anno 1456. orationem illam quae de Bohemorum compactatis inſcribitur, a Pio coram Pontifice Caliſto dictam, arbitratur Muratorius, cui uno accepto referenda

eſt,

Digitized by Google

eſt, cum antea in Mediolanenſis bibliothecae pluteis jaceret ſepulta. Eam tamen & in Lucenſi codice nactus ego emendatiorem dandam confido.

Hoc ipſo pariter anno AEneas Legationem pro Senenſibus ſuis geſſit apud Alphonſum utriuſque Siciliae Regem. Principem hunc pacatum reddere civibus illis ſuis ſtuduit, in quos erat ſubiratus, quod ſibi olim foederati, ſe tamen inconſulto, pacem cum Florentinis & Mediolanenſibus compoſuiſſent. Res pro voto AEneae ſucceſſit, idemque luculenta oratione publicas ei gratias egit. Edita eſt oratio in collectione operum Pii II. excuſa Baſileae an. 1551. Hic emendatiorem ex codice Lucenſi habent lectores.

Atque hic demum clauduntur Pii orationes ab ipſo in privato vitae ſtatu recitatae. Inter eas vero, quas Pontifex pronunciavit, primam, ſeu potius omnium priores ſtatuo orationes illas, quibus Senis ſubſiſtens Pius, cum ad Mantuanam congreſſionem a ſe indictam pergeret, varias variorum principum Legationes excepit. Hac de re agens Gobelinus, Pontificem ibi agentem conveniſſe ait lib. 11. pag 47. legatos *Friderici Imperatoris, Henrici Caſtellae, & Matthiae Hungariae, & Alphonſi Portugalliae, & Georgii Bohemiae Regis, & Philippi Burgundiae, & Alberti Auſtriae Ducis, & Friderici atque Alberti Marchionum Brandeburgenſium, Chriſti Vicarium pro veteri more adoraturos.* Ad has ergo legationes, anni 1459. refero reſponſionem factam Oratoribus Regis Caſtellae, *Dominatorem, &c.* Oratoribus Imperatoriae Majeſtatis: *Fabricator Mundi, &c.*, Oratoribus Portugalliae: *Omnes ferme, &c.*, Oratoribus Ducis Burgundiae: *Converſa, &c.* Oratoribus regis Hun-

gariae: *Christiani*, *&c.* Oratoribus Ducis Sabaudiae: *Quotiens*, *&c.* Oratoribus Marchionis Montisferrati: *Clarae*, *&c.* Oratoribus Bavariae Ducis; Marchionis Brandemburgensis & Austriae Ducis: *Si sacrosancto credimus*, *&c.* Haec omnia quae, nec codex quidem Mediolanensis Muratorio Saxioque indicavit, noster Lucensis codex descripta suffecit.

Agens tunc Senis Pontifex Senenses Magistratus donavit aurea Rosa, quam pro veteri more solemnique ritu cardinalis qui ad hoc delectus erat die Dominica post mediam Quadragesimam per urbem gestaverat. Adjecit muneri Pontifex orationem de laudibus Senensium, quae hic ex Lucensi codice datur. Meminit orationis hujus Gobelinus lib. 11.

Ventum est tandem Mantuam hoc ipso anno 1459., ibique in ipso exordiendae tractationis ingressu brevem orationem Pius habuit, quam & Loderisius Cribellius in hist. expedit. Pii II. in Turcos, vulgata Rer. Ital. tom. XXIII. servavit integram, & ego pariter ex codice Lucensi hic affero, adjectis ex edito variantibus pauculis quibusdam. Auditae sunt pariter ea occasione variae Principum Legationes, Sabaudiensium, Venetorum, Britonum. Quae fuerint Pontificis in singulis excipiendis adloquutiones & Lucensis codex demonstrat, & ego ex illo primus profero. Hinc adlocutio ad Imperiales, ad Sabaudos, ad Gallicos, ad Britones oratores. Extat etiam in nostro codice ad Gallos adlocutio, quam hac ipsa occasione habitam non ambigo, cum expeditionis in Turcas meminerit. Alia est haec ab ea quam damus ex Labbeo, indicatque Petitus apud eumdem. Bis tamen orationem habuisse Gallos ex Gobeli-

no

no lib. IV. intelligimus. Semel verba fecit ad Pontificem Episcopus Parisiensis, cui respondit Pontifex oratione a Labbeo vulgata, & a me hic recusa. Iterum vero Galli in conspectum Pontificis admissi sunt, quibus reposuit Pontifex oratione hic primum a me in lucem producta. Hac oratione Pius respondit Episcopo Atrebatensi, qui Philippi Burgundiae Ducis nomine orationem ad illum habuit in conventu Mantuano. Sed & aliam ab hac nostra diversam dixit brevem orationem, cujus summa expressa est in commentario Gobelini lib. III. pag. 66. Nihil enim in hac nostra de laudibus Ducis Clivensis, quas in oratione illa tetigisse idem Gobelinus in eo commentario testatur. In eadem denique Mantuana consultatione saepius peroratum a Pio est. Semel de potissima coetus hujus cogendi causa, nempe de expeditione in Turcas paranda; haec saepius excusa oratio est; nos hic damus ex edito Labbei Concil. tom. XVIII. pag. 210. Venet. edit. Binis aliis orationibus causam suam tractavit Pontifex adversus Gallos accusatus de collata regni Siciliae possessione Ferdinando Aragoniae, neglecto Renato Andegavensi, ex Gallorum Regia familia sato, qui sibi jus esse in regnum illud contendebat. Altera tamen ex his orationibus Legatos Gallicanos adloquitur, singula expendens, quae illi in conspectum primum admissi exposuerant. Utramque habuerunt jam olim eruditi a Labbeo excusam Concilior. tom. XVIII. pag. 225. Harum orationum postremam in Ms. altero codice Lucensi nactus ego cum edito contuli, & variantes adscripsi. Quin & ea oratio in codice meo notas quasdam ex Felini manu ferebat adjectas, quas hic ego fide-

fideliter servandas censui.

Absoluto Mantuano colloquio urbem Pius repetiit, a populo in occursum venientis effuso exceptus. Sinistros in Pontificem rumores turbulenti quidam tunc sparserant, quibus leve vulgus ad defectionem concitare nitebantur. Factum id potissimum astu Gallorum, sperantium Pontificem, res ut tutaret suas, copias quas in Siciliam miserat pro defensione Ferdinandi revocaturum. Pacata tamen brevi sunt omnia cum Senatoris & Optimatum Romanorum, Pio studentium, diligentia, tum eloquentia Pontificis, cujus est apud Gobelinum oratio ad Quirites habita. Hanc ipsam exhibet noster Lucensis codex, eamdemque bis repetit, semel hoc titulo: *De ratione suscepti belli pro defensione Ferdinandi Regis Siciliae. Ingentes vobis, &c.* Iterum vero inscriptam: *Ad Quirites, pro bene recta Roma, Pio absente.* Nec titulo tantum ambae hae orationes differunt, sed & passim phrases habent diversas, quamquam res sint eaedem utrimque. Prior cum Gobelino omnino congruit; altera verbis saepe discrepat. Ejus rei probabiles causas in argumento utriusque orationis adduxi. Gesta sunt haec omnia anno 1460. Anno eodem 1460. Cardinales novi in Sacrum Collegium adlecti sunt, verbaque de illis Pius fecit in Consistorio. Pontificis orationem vulgavit Raynaldus in Annal. ad An. 1460. num. 28. sed non integram; ego ex Lucensi Codice, integram dedi, adjectis ex edito variantibus.

Sequutum proxime annum idest an. 1461. celebrem reddidit S. Catharina Senensis in Sanctorum albo a Pio solemni ritu adscripta, quam Pius ipse pro concione laudavit, ut ex Gobelino discimus,

Digitized by Google

mus, & codex noſter Lucenſis, ſicut & Mediolanenſis, ac tandem Campani epiſtola confirmant. Ex ea oratione fragmentum dederunt Bollandiſtae in Comment. ad Vitam S. Catharinae; integram vero ego ex Lucenſi Codice. Fauſtum etiam annum eumdem reddidit Pragmatica Sanctio, illuſtri Legatione a Ludovico XI. Gallorum Rege abrogata, quod ejus facinus inſigne celebri oratione Pius in coelum extulit. Orationem nemo non indicavit. Non Mediolanenſis Codicis Scriptor, non Gobelinus, non Campanus; ut nemo ſit rebus Eccleſiaſticis paulo ſtudioſior, quem lateat a Pio ſuperbo elogio Gallorum Regem mactatum fuiſſe, eo nomine quod Rex ille pragmaticam ſanctionem, tantopere ad id uſque a Gallis aſſertam, deſeruiſſet atque abjeciſſet; & tamen in tanta orationis hujus celebritate vix credibile eſſet lucem publicam tandiu fugere potuiſſe. Nunc tandem ex Lucenſi codice poſcentibus eruditis conceditur. Dum haec ſcriberem delata ad me ſunt gemina illa volumina, Taurini nuper inſigni typorum ſplendore excuſa, quae bibliothecae illius curator doctiſſimus Joſephus Paſinus, amicus meus ſingularis, adornavit; in his vero haec ipſa oratio e Mſ. Cod. Taurinenſi recitatur.

Supereſt oratiuncula ad caput S. Andreae quam integram legas pariter in Commentariis Gobelini. Hanc ego non invitus omiſiſſem, quod portio ſit hiſtoriae teri ſolitae manibus eruditorum. Verum religioni fuit in volumine orationum Pii eam non referre, quam in caeterarum cenſum jam olim veniſſe codex noſter Lucenſis teſtis eſt locupletiſſimus. Annus delati Romam capitis S. Andreae 1462. ſignatur.

Exci-

Digitized by Google

Exciderat Responsum a Pio datum Bohemis concedi sibi compactata, ea nempe quae communi pactione a Basileensi Concilio decreta sibi fuerant, postulantibus. Hanc legationem excepit Pontifex labente anno ab absoluto Mantuano conventu, teste Card. Papiensi in Commentar. lib. 6. adeoque anno 1461. Epitome orationis ejusdem affertur in eo Papiensis Commentario; orationem ipsam nemo dedit, nec in Mediolanensi Codice Muratorius Saxiusque repererunt.

Atque hunc finem statuo orationum Pii II. Pontificis Maximi; quamquam enim alias nonnullas commemorat, recitatque integras Pius ipse in Commentario de rebus suis sub Gobelini nomine vulgato, eas tamen si in praesens omiserim, nec ab eruditis culpandum me existimaverim, nec rem praestiterim, cujus non possim idoneas causas assignare. Nihil enim ego nunc mihi assumpsi, nisi ut codicem hucusque manu exaratum Pianarum orationum typis evulgarem : eas vero orationes in Commentariis insertas (pauculis illis, quas & hic pariter offero, exceptis) qui reliquis adjungat codex nullus assignaretur.

Digitized by Google

TESTIMONIA
VIRORUM ILLUSTRIUM
DE ORATIONIBUS PII II.



Excerptum Epiſtolae
JOANNIS ANTONII CAMPANI
AD CARDINALEM PAPIENSEM.



Mnium tamen ſplendorem exuperat & pene extinguit lux illa concionum; hic illuſtris, & plenus, nuſquam totus, niſi cum hic laxat habenas. Nulla pars animorum quam non oppugnet; laudis locus eſt nullus, quem non exornet, nihil turpe quod non evertat; per omnia tanquam ſpiculis denſus & vehemens. Mirum eſt quantum aſſurgat affectibus concitandis, ſedandis demittatur; nam quod intendit explicat, atque inculcat; & quod inculcat munit vallatque argumentis & pondere. Tum adverſariorum dicta paulatim primum enervat, mox tota mole infringit & deiicit. Nihil eſt aut illorum tam efficax, & robuſtum, quod non confutet & diſſipet; aut ſuum tam infirmum, quod non corroboret, perpetua dimicatione dicendi acer & pugnax; fluit alioquin placidus & lenis, nuſquam obſcurus aut durior. Nam praeter ubertatem & copiam ſuavitate quadam allicit, affertque rebus ipſis ex veritate dignitatem & quod majoris eſt gratiae, candorem orationis nunquam intermittit, ſive ſerpat humi, cedatque materia, ſive erecta, & ſublimis efferatur, ſemper diſtinctus & patens. Deſcendit interdum ad fluminum, oppidorumque ſitus deſcribendos, nonnunquam ad

d aedi-

aedificandi rationem, non est qui fuerat, alium credas; e milite factum architectum, aut agricolam, aut dimensorem putes. Omnia ponit ante oculos, & partitur intervallis. Nihil hic habet pristinae eloquentiae, novam induit. Proh Deum immortalem quae aura, qui strepitus, quae fontium murmurationes audiuntur! Verba ipsa jam poëtica, & nata cum sylvis, ut currere cum aquis, jacere sub arboribus, umbras captare, lascivire inter rivulos, & tanquam tripudiari videantur ad numerum quemdam solutum, collecta rotunde, & perpolite. Et si amoenitatem, ne quid afferat fastidii, nonnunquam exasperat levi inversione verborum. Tum cognitio rerum antiquarum intermixta iis, quae sunt aetatis nostrae, quantum varietate allicit, tantum detinet magnitudine, ut quae & novitate delectet, & serie suspendat lectorem. Nullius oppidi occurrit mentio, cujus originem non repetat, situm non notet, fortunam loci, & qui viri, quibus in rebus, qua aetate claruerunt non incredibili memoria complectatur, qua una re immortalis plerumque fit historia etiam quae jejunissime scripta; ut est quisque rerum ad se patriamque pertinentium natura studiosus. Nec id in Italia aut Germania solum; etiam Graecas excurrit ad insulas. Cypriorum in primis venustatem, ambitum insulae, imperium, ingenia commemorat. Orditur jam inde supra Trojanum bellum & pares & incognitas, ita situ dignissimas ad nostra usque tempora brevitate non obscura delabitur. Inde ad Lesbon eadem majestate descendit. Quae hic radices, quae latebrae antiquitatis aperiuntur; quanta illustrium virorum exaggeratio prodit in lucem? Sic Mytilenos, sic Rhodios altissime repetit, & omnem vetustatis excutit pulverem, dum cuncta pervolvit initia incrementaque disquirens. Nec tamen interrumpitur historia, cum quid affert rerum externarum; veniunt ipsa ad locum, quae scribuntur, non accersita, aut coacta, sed ita intexentia sese, ut ex eodem esse glomeris filo videantur, nec ullo modo fuisse abjicienda; neque enim vagatur fusius quam ex usu sit historiae, & rerum postulet dignitas. Verum illud adhibet temperamentum, ut neque suppres-

sio

ſio magnitudini detrahat, neque vagatio brevitati. Admiramur hanc ingenii felicitatem, & quidem certa ſunt ei ornamenta dicendi, & propria, ut ad haec natus, ad haec educatus, atque inſtructus eſſe videatur.

Et infra.

Orationes uſquequaque divino illo ſpiritu habitas nemo eſt qui non habeat in manibus. Leguntur tanta omnium cum voluptate, quanta cum admiratione ſunt auditae; nec quemquam poſt hominum memoriam fuiſſe cenſeas, qui omni foro, in omni concione orbis terrarum, & ſaepius dixerit, & diſertius. Et tamen, proh hominum fidem! quae orationes, quibus de rebus habitae? Demus vetuſtati apparatum illum ac divitias verborum, & Ciceroni terſitiem, nitorem, elegantiam relinquamus; dum tamen fateamur nihil horum Pii orationibus defuiſſe. At vero copia quidem aequamus veteres, numero vincimus. Neque enim Pius Cicerone jejunior, aut ſiccior venit ad dicendum; nec ille paratior ad forum oraturus, quam hic ad ſolium accedit; nam & locos complet omnes, & varietate quadam, ac deliciis inflectit inventa. Et tamen, cum omne ſuum ſtudium, & aetatem ad hanc unam rem M. T. contuliſſet, neque totiens, neque tantis, & tam ampliſsimis de rebus, neque etiam tot in locis oravit. Egit ille ſaepius privatis contentionibus, nonnumquam publicis. Nam & Sabinium, & L. Piſonem, & P. Clodium, non tam communi utilitate, quam ſua cauſa laceſſivit, publica fuit oratio in Catilinam, publica etiam in C. Verrem, quod alter in Rempublicam conjuraſset, ſocios expilaſſet alter. Permixta fuit cauſa Pompeii; nam & ad privatam amicitiam, & ad communem utilitatem viſum eſt pertinere, ut bello praeficeretur. Extant pauca quaedam quae totae ſunt e republica, ut de provinciis, de lege agraria, & ſimiles. Caeterae omnes privatis ſtudiis ſunt conflictatae, quas equidem non accuſo, ut quae amicorum fortunas, capitaque tuerentur; ſed illud contendo, & Ciceronem rariuſcule publicis de rebus diſſeruiſse, & Pium

d 2 nun-

nunquam de privatis; sed statuisse illum pleraque ad suum commodum; hunc omnia ad communem gentium utilitatem retulisse: quae res ad magnitudinem & praestantiam multo videtur esse propensior. Jam & initia ipsa dicendi huic altiora, quam illi extiterunt. Prima ejus oratio non de Sexto Amerino defendendo, sed de concilii sede deligenda in contentione Graecorum, ubi Papiae Urbis opportunitatem ex situ loci, aedium privatarum magnificentia, clementia coeli, commoditate comportationum, liberalitate Principis, fluminum, lacuum, montium feracitate sic accumulavit, ut gloriam ei Urbi pepererit sempiternam. Mox Frederici Legatus Mediolani de imperio Urbis haereditario disseruit, & fide servanda. Viennae de auctoritate Romani Pontificis conservanda; Ratisponae praesente Philippo Burgundorum Duce detestatus est immanitatem Turcarum efferatam, & barbaram, ubi omnium cum lachrymis calamitatem Christianae Reipublicae deploravit. Egit de conventis Bohemorum apud Calixtum, Pannoniis Viennae Frederici nomine gravissima oratione respondit. Rursus iisdem in Austria Germanos in maximo conventu principum ad bellum contra Turcas hortatus est, ardoremque omnibus injecit incredibilem. Romae juramentum Frederici cum exhibuisset, tota fuit ejus oratio de bello Turcis inferendo. Pari ardore Alfonsum Regem perpulit ad expeditionem maritimam orientis bello faciendam. Inde Pontifex Maximus creatus in conventu Mantuano, quem impetum, quas lachrymas nobis excitavit; cum omnes Christiani orbis, aut Principes ipsi, aut eorum Legati convenissent, eosque ad expeditionem Asiaticam, & Turcense bellum hortaretur. Quem tunc non vidimus erectum, incensum cupiditate ulciscendi, misericordia commotum eorum, qui essent crudelitate barbarorum vexati, tanquam universi dicentis nutu omnem in partem orationis flexu raperentur, impetuque ut tracti dissilirent. Tum eodem in loco totiens oravit, quotiens fuit illi novis legationibus respondendum; illudque visum est mirabilius, cum fere semper iisdem de rebus diceret, semper visus est diversa dixisse, atque ita ut a se

ipso

ipso vinceretur; ubi Gallorum querimonias, & calumnias Renati tribus actionibus acerrimè confutavit. Nec minore gratia Catharinam Senensem laudavit, cum in divarum retulit numerum. An non pari admiratione eloquentiae legatos implevit Ludovici Regis, cum nobilitatem regiam laudaret, Gallorum splendorem afferret in medium, virtutes regis, & extinctionem pragmaticae in coelum tolleret, majores gentis, initia familiae, beneficia regum, tot nomina, tot res gestas, tot aetates commemoraret? Quid alia loca nationesque quamplurime? Nullus consessus hominum; nulla orchestra in orbe terrarum, quae non ejus oratione infremuerint; ubi etsi aliquando minoribus de rebus, semper tamen publicis, & salutaribus dixit, infinitaeque sunt orationes. Fuit itaque huic alia ratio dicendi semper apud summos principes; plerumque de statu Christiano, nonnunquam de illorum imperio disseruit, ut omnis ejus oratio ad pacem regum, ad concordiam principum, tranquillitatem nationum, defensionem religionis, quietem totius orbis terrarum semper fuerit armata, semper regia, atque imperiosa, quasi jam tum divinaret futurum suum Christianum imperium, cum tanto imitaretur studio, tanta cura diligentiaque defenderet. Haec illi fuit una perpetuaque materia. Neminem lacessivit, oratione insectatus est neminem. Forum illi orbis terrarum fuit; causæ, religio, & commune imperium; nunquam eo delapsus est, ut studio sui ad contentionem raperetur. Quis est igitur tam iniquus judex, qui existimet aut Ciceronem, aut quemvis alium vel magnitudine rerum, quas complexus est, vel frequentia dicendi, vel varietate locorum Pio esse comparandum?

GREGORIUS LOLLIUS

IN EPIST. AD CARD. PAPIENSEM

Inter Papienfis Epiftolas, Ep. 47.

PLurima ejus (Pii) monumenta diuque permanebunt; multos habent praecones, vixque quidquam nostrae aetatis laude dignum exprimi potest; in quo non partem ferat Pius. Erat in eo, ut scis, summa vis dicendi, qualem aetate nostra pace omnium dixerim nemo attigit, nec puto quemquam ullo unquam tempore extitisse, cujus eloquentia tam multis se vivente non dicam hominibus, sed nationibus patuerit ...... Pium nulla Europae natio frequenter concionantem non audit; ad universas nationes Romae saepe oravit. Idem Senis effecit & Mantuae, ubi totius Europae frequens habebatur conventus; ac jam Pontificatum adeptus, quo tempore clarus apud omnes, qui Christum colunt evaserat: Antea enim Roma, Neapolis, Senae, Mediolanum, Papia, & in Germania, Basilea in generali Synodo, Vicina, Ratispona, Francfordia, Praga eum publice orantem viderunt.

PLATINA

IN VITIS PONTIFICUM. IN PIO.

ORationes circiter duas & triginta habuit ad pacem Regum, ad concordiam Principum, ad tranquillitatem Nationum, ad defensionem Religionis, ad quietem totius Orbis terrarum spectantes ...... Conciones habet splendidas & rei accommodatas; movet affectus, ac eos denique sedat. Candorem & ornatum orationis nunquam intermittit, varios pro tempore sumit eloquentiae vultus.

RA-

Digitized by Google

RAPHAËL VOLATERRANUS

Com. Urban. lib. 22. *pag.* 234. *de Pio II.*

ELoquio quodam naturali, ac laterum firmitate magis quam literis clarus habebatur; scriptaque ejus quanquam sermone carent Latino; vim tamen, & virtutes ostendunt oratorias.

PHILIPPUS DE LIGNAMINE

In Addit. ad Chron. Riccobaldi.

AEneas Silvius vir eloquens, & orator bonus, Poëta Laureatus.

AEneam Piccolomineum Senensem, qui postea Pontifex fuit, major rerum cura a poëticae studiis avertit: nescias poëta major fuerit, an orator, an historicus; ejus scripta demonstrant quantum ille Romanam linguam augere potuerit, ni coeli providentia illum majora curare voluisset. *Sabellic. Ennead.* x. *Lib.* v.

Tenuit medium dicendi genus & ad omnia accommodatum; venustus in eo sermo magis quam comptus; crebrior affectibus quam figuris; suus tamen non alienus; & cum veteribus sit similis a recentiorum figura non abhorret; vim scilicet verborum non sonum secutus; candidus alioqui veteris & recentis historiae scrutator. *Idem lib.* VI.

LEO-

Digitized by Google

LEODRISIUS CRIBELLI

Lib.1. de Expedit. Pii Papae II. in Turcas in praefat. lib. 1.

DIvina illa eloquentia, qua caeteris mortalibus omnibus aeque ac majestatis gradu longissime praestas minus idoneis verbis explicabuntur.

BONIFACIUS SIMONETTA

ABBAS S. STEPHANI DE CORNU

In historia persequutionum Christianarum, Pontificumq; Commentariis, impressa Mediolani an. 1492.

ELegantia & mentis agilitate adeo emicuit, ut cum idem semper oraret mutato argumento, idem peroravit, & una regnorum ac Italiae intestina bella ac discordias sedavit.

INDEX ORATIONUM

Quae in hac Prima Parte continentur.

Praefatio. *pag.* ix.
Teſtimonia Virorum Illuſtrium, &c. xxv.

ORATIO I.

Habita Baſileae pro loco deligendo ad OEcumenicum Concilium cum Graecis celebrandum. 5.

ORATIO II.

Habita Baſileae in Divi Ambroſii celebritate. 39.

ORATIO III.

Habita ad Plebem ſuam Eccleſiae S. Mariae in Haſpach Patavienſis Dioeceſis. 54.

ORATIO IV.

Pro fideli Alamannorum obedientia, reconciliationeque Schiſmatis, ac celebrando Concilio coram Eugenio Papa IV. 108.

ORATIO V.

Ad Populum Mediolanenſem. 122.

ORA-

ORATIO VI.

Ad Alphonsum Sapientem Siciliae Regem super connubio Friderici & Eleonorae. Gratulatoria. 129.

ORATIO VII.

Pro coronatione Friderici Regis Romanorum, ad Nicolaum V. PP. cum petitione ad eumdem pro congregando Concilio generali. 140.

ORATIO VIII.

Ad Nicolaum V. Pont. Max. de coronatione Caesaris statuenda. 152.

ORATIO IX.

Ad Nicolaum Pontificem nomine Caesaris de Passagio contra Infideles indicendo. 163.

ORATIO X.

Ad Nicolaum V. PP. ut Caesarem Fridericum in Turcos passagium parantem modis omnibus adjuvare velit. 173.

ORATIO XI.

Habita Viennae pro auctoritate Romani Pontificis adversus Austriales Anno D. MCDLII. 184.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO XII.

Habita Ratisponae in Conventu, praesente Burgundiae Duce. 251.

ORATIO XIII.

De Constantinopolitana clade & bello contra Turcos congregando. 263.

ORATIO XIV.

In Conventu Viennensi Caesaris nomine de modo belli gerendi contra Turcos. 288.

ORATIO XV.

Habita nomine Caesaris in Conventu Novae Civitatis de bello Teutonico; non finita. 307.

RESPONSIO I.

Data Legatis Hungarorum nomine Caesaris in Nova Civitate Austriae. 316.

RESPONSUM II.

Datum Legatis Hungarorum nomine Caesaris. 330.

ORATIO XVI.

Ad Calixtum Papam offerendo obedientiam Imperatoris. 336.

ORA-

ORATIO XVII.

Habita coram Callisto Papa II. de compactatis Bohemorum. 352.

ORATIO XVIII.

Ad Alfonsum Regem pro pace suis Civibus reddita. 387.

ORATIONUM
AENEAE SILVII
PICCOLOMINEI
SENENSIS
Pars Prima.

Digitized by Google

ORATIONIS

Habitae in Concilio Basileensi pro deligendo loco ubi Concilium cum Graecis haberetur

Argumentum.



Graecos inclinantes in conjunctionem Ecclesiae suae cum Romana trahere Basileam Patres Concilii in eadem Urbe coacti nitebantur. Repugnabat Eugenius Pontifex, eoque venire recusabant Graeci. Alius igitur a Basilea locus deligendus erat, & quidem Decreto Sessionis XIX. *Concilii haud oppositus, nec a Graecorum desiderio abhorrens, atque Eugenii Pontificis voluntati accommodus. Simul vero ea occasione visum fuit Patribus eum locum ex pluribus designari oportere, unde possent pecuniam mutuo accipere, caeteraque trahere adjumenta pro Graecis ad Concilium tuto ducendis necessaria. Auscultatae sunt variorum Principum oblationes, quas missi a Concilio Oratores acceperunt, & ad ipsum dein Concilium retulerunt. Venetorum oblata exposuit Simon* della Valle *origine Venetus; Florentinorum Gaspar Perusinus, Fulginatensis Episcopus designatus; Mediolanensium Isidorus; Avenionensium Raymundus. Post omnes hosce surrexit AEneas, atque Oratione hac sua aucupari nisus est vota Patrum pro Ticinensi Urbe in ditione Philippi Mariae Vicecomitis Mediolanensium ducis destinanda. Est vero oratio inter Pianas longe gravissima & eloquentissima, quanquam ab aetatis illius vitio, haud omnino immunis, cum quaedam habeat intermixta dubiae fidei, ne dixerim fabulosa, ut illud de Vicecomitum origine, quam communem habere illos cum Turcis affirmat; qua de re in notis; alia vero de Turcis a Teucris prognatis, unde & Trojani. Caeterum*

ram & utilia continet permulta, ut. splendidum illud elogium Eugenii, & Pontificatus Romani, quod per se bonum, ab homine Schismaticorum partibus, jam tunc tumultuari incipientibus, addicto optimum est. Acta est anno 1436, ut in Praefatione expendi,

ORA-



ORATIO I.

Habita Basileae pro loco deligendo ad OEcumenicum Concilium cum Graecis celebrandum.



Udivi, Patres optimi atque sanctissimi, quae superioribus diebus viri cum eloquentia, tum etiam bonitate praestantes, (1) Gaspar Perusinus, seu Florentinus, quod illa sit Civitate donatus, ac (2) Simon Venetus de suis legationibus referebant, quorum (si rite judico) eo penitus tendebat oratio, ut ad se quisque Concilium traheret; hic Venetias, ille Florentiam. Audivi etiam (3) Isidorum (4) Raymundumque suam, ut quisque existimavit, Legationem anteferentem, & alios esse dicturos propediem non dubito. Itaque ut varia sunt loca, sic variae sunt affectiones, Concilium hoc sacratissimum diverse trahentes, quod præter modum patriae suae quisque favet; ut magnopere formidandum sit, ne privatorum affectibus Concilium pessundetur. Quibus de rebus maxima mecum cogitatione ipse contendi, facturus ne verba in publico essem, an tacitus permitterem suo labi flumina impetu. Videbatur homini privato, atque inerudito tacendum fore in eruditissimorum coetu virorum, quales hinc atque hinc video, quorum consilio & auctoritate universus orbis recte regi, gubernarique possit. Neque dignum existimabam,

Ex Mss. Cod. Luc. edita est a me primum in Volum. V. Supplem. Concil. An. 1436.

bam, ut ego homuncio os aperirem, ubi non doctores modò ſcientiarum, ſed patres omnium facultatum adeſſent. Caeterum cum me veſtro aſtrictum conſortio meminiſſem; cum jurisjurandi a me ſuſcepti verba repeterem, (5) loquendum penitus exiſtimavi oportere, ſi juramento vellem ſatisfacere, cujus antehac nunquam contempſi religionem; namque & ubi potui, & ubi licuit ſemper huic Concilio favi, veſtraque opera ubique gentium publicavi, atque (6) ubi verbis eſſe non potui, ſcriptis interfui. Namque (ita me Deus amet) ſemper hoc Concilium magnifeci, ſemper eſſe ſaluti Chriſtianorum putavi neceſſarium; atque ideo magno affectu erga ipſum ſemper extiti accenſus, cui me ita dedi, ut corpus, & quidquid extra corpus habeo, libenter pro eo ſim expoſiturus. Indignum igitur itaque, atque abſurdum putabam, verba pro eo non effundere, pro quo ſententia ſit neque corpori parcere. Quod ſi quis Patriae obnoxius eſt vitam exponere; quanto magis Concilio? At ſi nullum diſcrimen Concilii cauſa fugiendum eſt; quis verba inanemque linguae ſonum retineat? quis taciturnitatem laudet, ubi uſui futurus eſt ſermo? *Mulieri*, ut inquit Homerus, *taciturnitas decus affert*; *ſed non item viro*. Judicavi ergo non ſolum decere me loqui; ſed oportere in tanto hujus ſacri Concilii periculo, quando nullum adhuc audivi, qui ea dixerit, quae a me in praeſentiarum (ſi placuerit) audietis. Et quoniam jam vos video paratos & promptos ad audiendum, utinam mihi illa dicendi vis eſſet, eaque perſuadendi auctoritas, qua olim in Athenienſi Senatu adverſus AEſchinem pro Cteſiphonte uſum ajunt fuiſſe Demoſthenem. Neque enim ego dicendi artem facundiamque contemno, quemadmodum pleroſque in hac congregatione perſpexi, qui eam magnopere deteſtantes, nullam omnino ſe habere, aut habere ſe velle dixerint eloquentiam. Ego enim ita ſentio, & ſic teſtem habeo Ciceronem, *rerum dominam eſſe vim eloquendi*, *quae ſola facit*, *ut ea quae ignoramus diſcere*, *& quae ſcimus alios docere poſſimus*. Quae quantum mihi modo eſſet opportuna nemo me melius novit; multa enim ſcio, & mentis video luminibus, quae nos

ut vellem possum vobis insinuare, quando enim mihi video deesse, cui soli & orandi, & exorandi attributum sit mundus. At tu, Deus, oro, qui templa Coeli summa sonitu concutis, qui genus humanum benigne curas, qui & hoc Concilium congregare voluisti, & rem Graecam in medium adduxisti, jam mihi & recte consulendi facultatem, & his bene atque utiliter deliberandi mentem concedito. Tuum est hoc negotium, tuaque sunt opera; in te omnium sita spes, in te conversi omnium oculi sunt. Neque putamus tuam nobis opem negari, quam nemo petens unquam non impetravit. Quod nisi putassem, nunquam hodie huc loci ratiocinaturus accessissem. Spero enim, Patres humanissimi, & daturum mihi Deum quod loquar, cum de suis rebus agatur, & vestras mentes ad partem per eum flecti ducique meliorem. Sed jam quid mea velit oratio in medium proferamus.

Tempus, ut scitis, prope est, quo de reductione Graecorum naviumque missione a vobis agendum est; & quoniam multae illis pecuniae sunt promissae, quibus & duci possint & ali, nonnulli a vobis excogitati sunt modi, quibus hanc summam in tempore possetis habere paratam. Nullam tamen expeditiorem viam censuistis, quam ex loco pecunias quaerere, ubi futurum esset Concilium; ut si qui essent, qui sanctam hanc Synodum in terris suis habere cuperent, mutuam hanc summam concederent. Misistis qui diversorum principum, ac communitatum animos persentirent. Hinc illa Venetorum oblatio, nec vobis, nec illo illustri dominio indigna; hinc Florentinorum promissiones, promissiones ab exuberanti quadam magnificentia procedentes; hinc Avenionensis populi non magna solum sed amplissima pollicitatio, quae illam Urbem non minus fidelem, quam devotam Ecclesiae filiam manifestat; hinc principis potentissimi Philippi Mariae Ducis Mediolani mirifica regalisque concessio, cui semper animo fuit nec vestris deesse mandatis, nec petitionibus adversari; hinc aliorum neque viles, neque contemnendae sponsiones. Hinc jam certi estis ea servare Graecis posse, quae vestra decreta decantant. So-

cra-

Digitized by Google

eratis tamen verba non absurde vobis insinuaverim, qui cum videret hominem divitiis affluentem, eaque de causa fastidio gloriabundum: *Non prius*, inquit, *te admirabor, quam mihi notum fuerit quo pacto scias uti fortunis tuis*. Magno nempe atque admirabili immortalis Dei beneficio usi estis, qui ea vobis facilia fecerit, quae non solum difficilia, sed impossibilia videbantur. Ob quamrem magnas Deo habendas gratias censeo, qui talem de vobis curam gesserit, qui naviculam suam ex altissimis fluctibus ad portum salutis deduxit, ut navigare deinceps in portu videamini. Quod quanquam ita est, non tamen dimittendum esse clavum arbitror, neque abjiciendam gubernaculi curam. Vidimus enim saepe nautas cum summo gaudio, atque ingenti laetitia portum suscepisse, & in ipso, seu magistri negligentia, seu maris violentia fecisse naufragium. Quocirca etsi nobis pene in tuto res est, nolite tamen clausis oculis ad ea quae restant accedere. Adhuc enim vitandi sunt scopuli, adhuc praevidenda tempestas, & cavenda est nobis. Neque enim quocumque pergitis tutum est. Sed in ipsa electione difficultas laborque versatur, ut si bene eligatis, bene succedat; si male, eveniat male. De hujuscemodi ergo electione loquendum mihi statui, cujus, ut opinor, verba minimè contemnetis. Nec quis dicat, sed quae dicantur trutinabitis. Notam siquidem vobis illam Ciceronis de natura Deorum sententiam puto, qui ait, non tam auctores in disputando, quam rationis momenta quaerenda esse. Quod si quid ineptè dixero, repudiate; si quid cum ratione attulero, suscipite. Atque utinam ea nobis modo convenirent, quae apud Sallustium Caesar in consulendo requirit. *Omnes homines*, inquit ille, *P. C. qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira, atque misericordia vacuos esse decet*. Quod si cernerem, nihil mali suspicarer. Nec enim loquens aliquis Ducalem, aut Venetum, aut Florentinum se jactitaret; sed conciliarem; sed mundanum, ut inquit Socrates, sese exhiberet; cunctaque ad utilitatem concilii, mundique commoda referret, nec suae affectioni publicam postponeret utilitatem. Hinc namque (ni fallor)

totius

Digitized by Google

totius Christianitatis salus dependet, ut si locus aptus deligatur, & Argolicis erroribus mederi, & multis Latinæ linguæ deformitatibus providere possitis. Quod si dubium insecurumque acceptare contingat, dissipetur Concilium, & praelati in praedam, ultionemque dentur; quod sine magno Christiani populi malo fieri non potest. Hic igitur aperiendi sunt oculi, hic summis digitis suspendendae oculorum palpebrae, ne quid perperam, aut temere incipiatis; sed imitemini sapientem, cujus proprium est, ut a Cicerone dicitur, *nihil facere quod poenitere possit*. Fingamus igitur Concilii personam, & quid illam facere deceat examinemus. Eam si cujatem se dicat interroges, neque Italicam, neque Gallicam, neque Germanicam, aut Hispanicam se vocitabit; sed Christianam se asseverabit, solumque illud se quaerere dicet, quod nomini Christiano conducat; hujus erit sentes ex agro Dominico, idest haereses eradicare, mores reformare, pacemque ubique statuere. Cavebit ne quid agat injuste, praeceptumque illud Pythagoricum conservabit, quo praecepit, *jugum stateramque ne trascende*; studebit ne adversus quempiam reperiatur ingrata; in libertate se bene vivendi & recta statuendi conservabit. Delinquentes non ita ad desperationem persequetur, neque ita patietur, ut provocet. Deponite igitur haec nationum nomina, patres; exuite quisque provinciarum affectiones, & in medium consulite quid huic Concilio, & quid fidei Christianae credatis expedire; eoque vela tendamus, quo melius res geri verisimilius existimatis. Multa de Fori-Julii ubertate, Venetorumque potentia, ac magnificentia Simon Venetus peroravit, ac meo judicio non minus vere, quam eleganter. De Florentinorum verò commoditatibus Gaspar explicuit. De urbe verò illa Avinionensi pulcherrima atque optima, & hujus sacri Concilii devotissima, Raymundum bellissime perorantem accepistis; atque, ut existimo, nihil est ab eis praetermissum, quod trahere concilium ad eorum valeat civitates. De Duce verò Mediolani, quamvis multa Isidorus, orator vester diligentissimus, explicaverit, neque sufficienter mea sententia di-

dictum videtur; neque admiratione dignum eſt, ſi ducales oratores viri graviſſimi Epiſcopus Albiganenſis, & Chriſtophorus de Velate caetera ſubticuerunt; ſatis namque duxerunt ad illum principem pertinere, ſi requiſitus reſponderit, ſi petita conceſſerit, ſi ſe ipſum & quidquid habet obtulerit; locorum vero comparationem facere veſtrum eſſe dixerunt. Certi enim ſunt illum Ducem, quidquid eligatis, contentum fore; cupere tamen, ut bene vobis Concilioque ſuccedat. Veſtrum eſſet igitur P. R. ducalium terrarum inveſtigare commoditates, quod onus, poſtquam alii reiiciunt, ego non minus veſtra quam Ducis cauſa ſuſcipio. De Venetorum, Florentinorumque terris omnino ſilens, quos adeo promptos paratoſque in neceſſitatibus ecce comperitis, ut laudare ipſos & ampliſſimis commendare teſtimoniis teneamini. De oblatione ducali pergo diſcutere, quae meo judicio nulli eſt inferior, & quae, ſi verum fateri volumus, omnium eſt aliarum cauſa, nobiſque ad optimam optionem permaxime neceſſaria; hujus enim oblationis locus unus eſt (ni fallor) ubi ex ſententia terminari res poſſit. Et ut quod dicimus luce clarius oſtendamus, quae requirat bona electio inquirendum eſt. Ea, licet alii multifariam diviſerint, mihi tamen quatuor dumtaxat deſideranda videntur; quorum ſi aliquod deſit, recte eligere nullatenus valeamus: illis autem concurrentibus nihil periculi ſit, acceptareque ſine controverſia debeamus quicumque illa concedat. Ea ſunt ut locum eligatis, in quo Graecis ſatisfacere poſſitis; ut commode Papa cum concilio convenire queat; ut domus victualiaque ſuppetant; ut ſecuritatem libertatemque in loco habeatis electo. Quae omnia, ſi quis ſine paſſione conſideret, in urbe Papienſi, ducalique territorio ſuſpiciet. Prioremque rem ſi placet examinemus, cujus tria ſunt membra, ut locus in decreto aut nominetur, aut comprehendatur; ut pecuniae neceſſariae praeſto ſint; ut trieriae groſſae ſubtileſque habeantur, trecentique arcitenentes, ſive, ut vos dicere ſoletis, baliſtarii. (7) Contineri vero Papiam in decreto nemo ambigit, cum omnes fere Italiae urbes ſint eligibiles, niſi quas Graeci expreſsè repu-

repudiarunt. Atque ut clarius differamus, difficultatem iſtam locorum, nonniſi Graecorum cauſa facimus, ut illum eligamus locum, quem repudiare Graeci non debeant. Sed ipſi jam terras Ducis ſuis literis petierunt; ergo nihil eſt cur Papiam in hac parte contemnamus; Graeciſque debemus non parum auſcultare, neque enim ſine ratione moventur, ſcientes ducem cum Turcis, (8) unde vetuſtiſſimam trahit originem, haereditariam habere familiaritatem, quod, ſalva fide, vituperari non poteſt. Idcirco timens Romeorum imperator, ne, ſe abſente, Conſtantinopolim Turci obſideant, credit Ducem unis literis periculo obviaturum, ſi Turcorum principi ſcripſerit, Graecos non alia quam fidei cauſa Italiam petiiſſe, de qua ille, ſalvo imperio, non curat, crederetque Duci iſta ſcribenti. Aliis forte non item, a quibus tanquam hoſtibus ſibi verba dari exiſtimaret, & ſe dolis circumventum opinaretur. Nec illud eſt non conſiderandum, Graecos fere omnes imperio Turcorum eſſe ſubjectos, curareque ne quam rebellionis ſuſpicionem ingerant dominis, a quibus profecto impedirentur. Nec invitis Turcis deducere Graecos quiſquam poterit, Magnum eſt imperium Turcorum, ingentes Aſiaticorum vires, & opes ipſae florentiſſimae, qui ex Aſia in Europa imperium prorogarunt, totamque Graeciam occuparunt tanquam Trojanae cultores ruinae, quos Graecia pellere non unius civitatis aut dominii, ſed totius eſſet Chriſtianitatis opus. Non vis, ſed gratia det nobis Graecos oportet. Ferunt Turci, ut de fide, ut lubet Argolici ſentiant, ideoque fidei cauſa patientur ad concilium proficiſci, ſi nihil contra ſe machinari, nullaſque ordiri ſibi fraudes ſuſpicentur. Ad fugiendas ergo ſuſpiciones, Ducis efflagitant urbes, quem ſibi nullo pacto ſuſpectum Turci arbitrentur. Nec Conſtantinopolitanos, invito Turco, venire poſſe negaverim; ſed aliorum etiam habenda eſt ratio parentium Turcis, quos ſecum trahendos patriarcha confidit. Quo fit, ut Graecorum cauſa Papia ſit maxime accommoda. Nonnulli tamen, ad terras, inquiunt, ſi Ducis eatur, non permiſſuros Venetos Graecis tranſitum, Genuenſeſque obſtituros gar-

 riunt,

riunt, quod de florentibus illis civitatibus, duobus, (ut ita dixerim) Christianitatis luminibus, nefas est, non solum dicere, sed suspicari, quae solae nos ab orienti defendunt, quae barbaricos reprimunt impetus, quae terras Christianorum ab incursione tutantur, infideliumque plurimas, non dico Urbes, sed Provincias in media Barbaria bello armisque tenent. Has ne igitur Civitates, arma assidue pro fide gestantes, venientibus ad unionem Graecis putabimus obstituras? Nec bonus est qui ista dicit; neque prudens qui illa credit. Ego tam Venetos, quam Genuenses omnia porrecturos opinor auxilia, quibus rem hanc conficiatis, quocunque Concilium transferatis. Nec de Venetis ambigo, quorum salvum conductum habetis. Genuenses verò brevi missuros se dixere; interim devotas & benevolentiae plenas miserunt epistolas, vestris sese jussibus committentes, qui etiam magna classe, quando oporteret, huic se rei propriis cum corporibus exhiberent. Nihil itaque timeo obstaculi, nihil violentiae Graecis fieri, nisi Turci, ut jam praedixi, molesti sint. Christianorum vero neminem neque scio neque puto ita scelestum, ita iniquum, ita bonorum omnium perversorem, ut huic se negotio opponat. Et quoniam aliqua de propinquitate maris, & itineris brevitate etiam alii dixerunt, non abre erit de hoc quoque me pauca disputasse. Namque, ut arbitror utque scio, ex locis, qui hodie nominantur, nullus est Graecis quam Papia accessu facilior, nisi terrestre iter facturi sint, quo casu longe proximius habent Utinum. Mari autem venientes Papiam habent propiorem; sive enim Utinum, sive Papiam postulent, Ravennae prius fretum secaturi sunt, quod non magis Papia, quam Utino abest. Graecis vero Papiam petentibus Padus occurrit flumen, ut nostis, ob suam amplitudinem & poetarum carminibus & historiarum scriptis illustre. Ex Pado in Ticinum ascendent, qui ad portas urbis navigium vectitabit. Portus vero Pisanus longe remotior est, Carybdim namque Scyllamque, per quas dubius est transitus, evitantibus Graecis, totus Sicaniae circumeundus est orbis; cujus, si qua veteribus fides, non minus

nus

Digitized by Google

nus quingentis millibus passuum clauditur ambitus. Neque mihi ob hanc rem Florentinus quispiam succenseat; neque enim hoc ideo dico, quod illi amplissimae urbi memorabilique populo Concilium auferre velim, cujus tanta erga Concilium est cognita caritas, ut nullius magis stupeam oblationes. Qui prima requisitione tantam pecuniarum summam tam effuse promiserit, ut illius etiam populi majora in posterum sperare beneficia debeatis. Sed ne caeci omnino, & rerum videamur ignari; hoc enim quod dico charta illa edocet, qua uti nautae consueverunt. Haec tamen semper ego parvifeci; iter namque duorum triumve dierum nulli dare, aut auferre Concilium debet. Illud verò cavendum est, illudque prospiciendum, ne repudiari a Graecis locus possit. Nec ineleganter homo prudentissimus Gaspar dicebat: quae Graecis promisistis diligentissime adimplenda, qui vel si unum jota diminutum invenerint, licitam se indicarent excusationem habere; sed illud praecipue ponderat ut pecuniae habeantur ac navigia, quas res utrum ex Duce obtinueritis, Isidorus ipse plenissimè demonstravit; quo ex Mediolano reverso, expendite quaeso, an diminutas habueritis responsiones, an aliquid non obtinueritis, an ulla in re difficilem principem experti fueritis? Quinque & octuaginta millia ducatorum mutuo flagitastis, bono vultu, bonoque animo annuit; terras vobis arcesque consignari requiritis, nulla fit resistentia; duas de quadraginta domos sine pensione petitis, concedit facile quod fuerat sine petitione facturus. Taxationes domorum victualiumque postulatis; respondet non minus grate quam liberaliter. Quidquid denique vultis, publico ille solemnique chirographo completurum se obligat. O regalem animum, o liberalem Principem, o inauditam magnificentiam! Hic est quem requiris, Enni: *Amicus certus in re incerta cernitur*. Talis certe ducalis responsio fuit, ut nulla suppletione indiguerit, nullo adjumento, nulla rescriptione; cujus locum, si statim elegissetis, statim erant parata omnia. Utrum alii sic fecerint, vos videritis. Unumque, obsecro, hic advertite, an cautio subdifficilis, an gravia postulentur assignamen-

Digitized by Google

menta. Non essem, hercule, increpandus, si hunc principem nullam petere cautionem dixerim; hujusmodi enim, quae petitur, cautio, non est cautio, sed magis appellanda donatio. *Ex indulgentiis* (9) petit sibi mutuum reddi, ut si nihil indulgentiae reddant, nihil recuperet. Hic est verus filius, verus servitor, verus amicus vester; haec est illa, quam quaerit multis in locis Tullius amicitia: *Amor*, inquit ille, *ex quo amicitia nominata est, princeps est ad benevolentiam conjungendam*. In amicitia autem nihil est fictum, nihil simulatum; sed quidquid id est verum, & voluntarium, quemadmodum in hac Ducis cernimus benevolentia, quem si quis vobis neget amicum, cunctos quippe faciat inimicos. Cujus tanta est affectio, tantaque in hunc coetum caritas, ut vestrarum nullam petitionem abnuat, pecuniasque magis donet, quam mutuo dedat. Jamque propter pecunias nihil est quod Papiae obiiciatis. Nec illos audio, qui se aureos affirmantes, omnibus se Christicolis jactitant ditiores, magnumque auri & argenti pondus se habere gloriantur. Quorsum enim illa dicuntur? Forsitan quia vendi Concilium putant, ut plus offerenti veneat? Quod probri loco vitandum detestandumque est, ne venditum vulgo Concilium dicant. Unum tamen persuasum volo Ducem scilicet ipsum, ubicumque sit opus, quascumque petieritis daturum esse pecunias, neque necessitaribus vestris unquam defuturum: Namque, ut volet, sic etiam poterit invenire pecunias; habet enim, ut scitis, urbem Mediolanum non solum populosissimam, verum etiam pecuniosissimam, ubi totius Galliae togatae cumulati thesauri sint, ex qua nulla non possit haberi summa pecuniarum. At si de populo illo Mediolanensi volumus verum dicere, nullum ego devotiorem vidi, nullum fideliorem, nullum suo Principi obedientiorem, nullum denique meliorem, ob cujus, ut arbitror, bonitatem ac sanctimoniam divino munere actum est, ne illam urbem nostris diebus pestifera lues invaserit. Cui populo nihil erit gratius, quam in sanctissimum usum effudisse pecunias. Ne credite illum munificentissimum Principem ob defectum pecuniarum rem dimissurum, qui

non

non habendi Concilii cupiditate argentum modo pollicetur, sed ne quod caritate pecuniae in dedecus prolaberemini. Dat ergo, ut satis est, Papia pecuniarum. De navigio non magnam vim facio. Vestro enim, ut scitis, sumptu conducendae armandaeque sunt triremes, nec dissimiliter balistarii, neque tam grandis pecuniarum quantitas petitur, nisi ut navigio balistariisque sufficiat. Depositis enim decem millibus apud Constantinopolim, Graecisque datis xv. millibus, viatico quoque oratoribus Concilii praestito, quod superest in naves longas, balistariosque dispensabitur, quos conducere ubique poteritis; habentibusque pecunias neque balistarii deerunt, neque navigia. Jamque illum Sabaudiensem spectata virtute militem vobis navigia offerentem vidistis, suosque labores promittentem, cujus nobilitas, animique perspicua generositas, non est huic inepta negotio. Quare sive istas, sive alias multis in locis conducere naves poteritis. Placet tamen Duci, ne qua in parte deficiat, triremes etiam reperire, quas unde habeat, aut quomodo habeat, indignum est quod vestigemus. Ratum est enim quodcunque promittit. Hoc tamen non tacebo, navium scilicet illi concessionem non esse difficilem. Siquidem magna cum serenissimo ac magnanimo Rege Aragonum amicitia est, qui suum, quemadmodum facundissime dixit orator, promptus est tam Concilii quam Ducis gratia praestare navigium. Et cui, obsecro, melius haec committeres quam Regi Aragonum? Quis eo diligentius rem fidei pertractet? qui dum adversus infideles bella gessit. An ignoratis Regem illum Catholicum, & fidei zelatorem, magna saepe manu, magnaque classe adversus Afros, Christiani nominis inimicissimos, decertasse? Illa profecto laus, illaque huic gloria tribuatur, Mediterraneum mare sua diligentia ab infidelibus piratis esse custoditum, & quod magno Pompejo decori fuit, ejus concedamus honori, cujus frequenter nisi in pelago classica intonaret tuba, ad ipsum usque littus Etruscum, Libycae naves, hostilesque classes infidelium grassarentur. Sed tamen praestantissimum Regem Jonii, Tyrrhenique maris custodem, qui Sardiniam,

f. jam dum

niam, Corficam, Siciliam, Baleares ac Vulcanias infulas ab omni Saracenorum impetu liberavit: cui magis erit molestum in tanta re fidei non requiri, quam fi totam ejus classem dira tempestas abforpferit. Aut igitur regiae naves compraestabuntur, aut marina aliunde vafa comperientur. Ac de primo principalique membro fatis fit dictum.

Transeo ad fecundum, ubi dicebam talem effe locum oportere, ad quem Papa commode cum Concilio conveniret; nec irrationabiliter. Nam cum Graecos ad unionem fitis vocaturi, dignum eft vos prius effe unitos, ne quod fcifma, ne quam divifionem, ne quam inter vos controverfiam Graeci reperiant. Verifimile etenim eft faciliùs reduci Graecos, fi vos unanimes, quam fi vos disjunctos agnofcant. Neque ob hanc folum caufam, fed ut multa fcandala infinitaque mala ceffent, quae noftra divifio fufcitavit, quam fcifma non injuria vocitabimus. Hoc eft quod regius orator *Simon Caroli*, (10) vir non fapientia folum, fed eloquentia fingularis, hoc in loco flagitabat enixe; cujus verba, Patres ampliffimi, cum locum eligetis, veftris debebunt infedere pectoribus, ut fumme curetis poffe Papam intereffe. Nec etiam fanctiffimam illam fedem, Petrique veriffimum fucceflorem ac Chrifti vicarium debetis contemnere. Hoc eft quidem caput noftrum, quod feparatum effe nequaquam convenit; quod nullum fine capite corpus poteft effe perfectum. Hic eft fponfus ecclefiae, hic magifter navis; hic (ut vulgo dicunt) in terris Deus, cui claves regni coelorum per Petrum, aliofque Petri fucceflores Chriftus redemptor nofter contulit, quamquam ecclefiae quoque non inficior datas. Hujus tanta eft auctoritas, tanta poteftas, tanta divinorum conceffa myfteriorum cognitio, ut omni honore, omnique veneratione fit dignus; tantaeque reverentiae Papalis eft dignitas, ut Papam, vel malum, honorare venerarique teneamur. Nec temnere Papam quifquam debet, quamcumque libidinem, quodcumque nefas maturaverit, nifi prius ecclefia judicarit. Quid de praefenti fummo dicemus Pontifice? Effet mihi de fua nunc fanctimonia fermo,

nifi

nisi magnifice oratores regis de ipsius pietate, mansuetudine, aequitate, justitia, & bonitate dixissent. Nos illud nequaquam inficiamur, SS. D. Nostrum in futuro Concilio fore necessarium, ut non auctoritate solum, sed etiam morum honestate proficiat. Nunc videndum commodam ne sibi Papiam censeamus. Et quemadmodum mea fert opinio, nihil est, quod hic locus Papae displiceat, sive commoditatem viarum, sive securitatem percupiat. Ex Bononia usque Papiam parum itineris interjacet, via tuta & plana, sive terra, sive aqua aptissimum iter. Neque locus est aliquis eligibilis ad quem Papae facilior sit accessus. Tutus praeterea sibi locus est quod neque cum civibus, neque cum Principe aliqua sibi lis est. Multumque demiror nonnullorum temeritatem inter Papam ducemque esse contendentium inimicitias. Unde enim hoc dicant, nescio; forsitan utriusque introspiciunt animos, de aliena mente vaticinantes? Ego scio Ducem Mediolani nunquam inimicum appellasse Papam, nunquam adversarium, nunquam contrarium, nunquam minus sobrium de summo Pontifice verbum effudisse. Caeterum magna reverentia summaque veneratione semper Patrem sanctissimum, semperque Dominum clementissimum vocitasse; ut si qua unquam indignatio fuerit, victus Ducali patientia summus Pontifex, nil aliud Duci posset dicere, nisi quod solus adversus iram vera arma, verasque vires, quibus se tutaretur, invenisset, sicut in Tusculano Senatu dixisse Camillum Livius refert. Nunquid praeterea non novimus (11) inimicitias, si quae fuerant, exacto jam anno per pacem sopitas? Cujus mediatores fuerunt viri optimi, atque rarissimi Cardinales, Sanctae Crucis, & Sancti Petri a vestro sacerrimo coetu ob eam rem Florentiam destinati. Conditiones pacis secundum Papam dictae; post eam nihil unquam odiosum inter eos contigit. Sed ut videatis manifestissima benevolentiae indicia, hic animum paulisper intendite. Defecerunt a Duce Genuenses, qui cum bello undique premerentur, libertatis servandae gratia cum Venetis, ac Florentinis foedera percusserunt. Tum Papa ingens Duci bellum imminere cognoscens, imparemque tantis viribus eum

Bononia Papiam iter expeditius est si per terram, quam si per aquam instituatur.

existimans, ne periculoso nimis proelio urgeretur, (12) *auctorem se pacis obtulit*, virumque omnium opinione probatissimum Cardinalem S. Crucis misit, qui Ducem de pace requireret, ipse alios flexurus. Quo inspecto animo, omnem Dux ipse litem, omnemque controversiam Sanctissimo D. Nostro commisit, arbitrumque & amicabilem compositorem inter se atque hostes Papam elegit. Cujus rei veritatem, nisi agnitam omnibus scirem, Roberti Florentini, novitatum diligentissimi exactoris, testimonium implorarem, apud quem non unae literae reperirentur. Vidi ego hisce oculis apostolicas literas paternae charitatis, & exuberantis plenas dilectionis, quae Duci directae fuerant, ut nihil filiis parentes solent scribere dulcius. Sed ponamus fore inimicitias. Nunquid terram inimici Papiam dicet, quae cum in vestra futura sit manu, inimici reputari non potest, nisi Concilium existimet inimicum. Libere namque in manibus vestris daturum se Urbem Dux pollicetur; quo facto nihil erit quod Papae timendum sit: ac si quid securius Papa exigat, nihil est quod illum principem negaturum rear. Adest orator suus, vir clarus atque facundus, Christophorus de Velate. Expetite securitates; an adeo difficilis res ista censetur, ut inveniri modus nequeat? Certe non video cur magis alii, quam Dux, dare Papae securitatem valeant. Sunt in hoc Concilio Cardinales, aliique Praelati quamplures; sunt etiam in Romana Curia, quorum neque vobis, neque Papae suspecta est fides. Committite his gubernaculum Civitatis; jurent in manibus horum officiales, civesque; si oporteat, fidelitatis exhibeant juramentum. Quo tunc jure aut Urbem Papa contemnat in manibus suorum positam amicorum; aut quò ibit, si huc non veniat? Quod si iste modus non placet, excogitate alios; nihil negare Ducem invenietis quod rationi consentaneum judicabitis. Caeterum, si nihil horum recipitis, ostendam vobis denique, cum requiretis, etiam in civitate Papiensi Summi Pontificis non abesse consensum. Nunc istud praetereamus. Satis namque mihi fuerit ei locum recusandi abstulisse, quem venire nolentem cogere non posse-

Nicolaum Albergatum.

ſemus. Sat fuerit ſi venire eum commode poſſe oſtenſum eſt. Reſtat Concilium quoque cum Papa illic commode monſtrare futurum, quoniam, licet cuncti ad reductionem Graecorum Papam clamitent neceſſarium; ego non minus puto Concilium opportunum. Concilium namque rem inchoavit; Concilium, ſi omittatur, dedecus; ſi perficiatur, laus ſit ſequutura. Concilium eligere locum debet; Concilium pecunias invenire, ac triremes oportet mittere; Concilium denique tòtius rei conſummationi ſupereminet. Exigit ergo res iſta non minus Concilii, quam Papae praeſentiam; idcirco locum utriſque aptum debetis eligere. Hanc eſſe Chriſtianiſſimi Regis Francorum, ejuſque oratorum arbitror intentionem. Quis enim non ſanctiſſimum illius glorioſiſſimi Regis propoſitum interpretetur? Quis de tali tantoque Rege non caſtè, atque optime ſuſpicetur? Etenim ſive anteceſſorum ejus geſta conſideramus, ſive vitam ipſius ante oculos proponamus, regnum illud ampliſſimum, longe lateque patens, ſemper fuiſſe tutamen & ornamentum fidei cognoſcimus. De qua re ſi dicere velim, prius dies quam verba deficiant. Pleni namque ſunt codices hiſtoriarumque libri; majorumque Regum clariſſima geſta divinis quaſi laudibus ubique gentium celebrantur; totque fuerunt illius regni egregia pro fide facinora, ut non ſolum inter regna principatum obtinuerit, ſed chriſtianiſſimum, quadam ultra caetera excellentia, meruerit appellari. Sed quid ego iſta commemoro, quae meis dictis facio viliora? Taceo de illo gymnaſio memorabili, & famoſa ſchola Pariſienſi, cujus doctrina incredibile dictu eſt quantum fidei praeſtiterit incrementum; quam veteres Reges ſingulari ſemper reverentia proſequuti dicuntur. Neque a praedeceſſoribus ſuis modernum Regem degenerantem cernimus; ſed Regibus quibuſque ſuperioribus, belli paciſque artibus, & gloria parem. De cujus inclyta juſtitia, ac religione, quamvis multa poſſumus ordiri, illud prae caeteris adnotemus, quod erga univerſalem Eccleſiam ſacroſanctumque Concilium ſ. ctitavit. Inter Papam & vos olim illa prior diſſenſio fuit, quod hic vos Concilium dicere, ille negare.

Ecclesiam Gallicanam Rex consuluit, qua Concilium hic esse declarante, omni vos favore juvandos statuit. Missi e vestigio (13) *oratores viri ex Archiepiscopali*, Episcopalique dignitate, tum doctrina, tum etiam bonitate praestantes; qui jam quintum vobiscum annum in agro Dominico laborantes ducunt. Pecuniae ex Regno ad utilitatem Concilii detrahi permissae. Mandatum ut Praelati proficiscantur ad Concilium; auxilium datum quodcumque petitum a vobis est. Et quid aliud de ipso dixerim Rege? Nisi quod inter alios sibi praecipue teneamur, cujus auxilio defensi servatique sumus. *Et quae melior est*, inquit Cicero, *in hominum genere natura, quam eorum, qui se natos ad homines juvandos, tutandos, conservandos arbitrantur*? O Regem ergo gloriosissimum, o Principem excellentissimum, o verè christianissimum Fidei defensorem: Tu Ecclesiam defendis; Tu Fidei consulis; tu Concilium veneraris; tu es quem merito honorare, perpetuisque praeconiis debemus extollere. Hic cum crebras inter nos, ac summum Pontificem dissensiones cerneret, saepe numero ad pacem laboravit, nunc vobis, nunc summo Pontifici supplicans tolli dissidium. Nec aliud Simon, collegaeque rogitant, nisi ut Concilium cum Papa conveniat, omnesque discordiarum fomites amputentur. Quis hic, obsecro, irascatur? Non rectae, sanctaeque illae sunt voces? Non omnes idem cupitis? Ego sane, nisi aliud sentio, non possum militarem illum virum non laudare. Rem namque optimam, & concessu dignissimam petit. Commonet Schismatis evitare causas, communem Papae locum petit, neque specialius quicquam dicit, neque locum aliquem nominatim repudiat. Cujus (nisi fallor) verba Papiam nobis suadent. Vult enim Papam, & Concilium simul esse, concordiamque utrinque fieri, cujus nonnisi tres esse vias considero: ut vel Papae omnino mos geratur, vel vobis, aut transactio quaedam litigiorum fiat. Sperare superiora vanum reor. Ad tertiam rem missus est Simon ut communis utrique locus eligatur. Et quis obsecro, Papia communior, aut aptior, atque utrique commodior? Gratior forsitan alius Papae locus

esset,

Digitized by Google

esset, qui tamen vobis non esset tutus. Sed nondum Simonem audivi dicentem, ut in securum eligatis locum, quod nec ipse diceret, nec suo Regi in mentem caderet; cujus ea semper consuetudo fuit, ut prius consuleret, deinde Concilio judicium dimitteret, suumque sensum, universalis Ecclesiae postponeret opinioni. Quamquam, si licet dicere, nimium vos hodie Patres desertis principibus, nec quidquam audetis agere quod principibus non libuerit. Quod ego sanè non laudo, quoniam non sic majores nostros invenio factitasse, nec sic se Apostolos habuisse, qui licet totum contra se mundum haberent, veritatem tamen ubique praedicabant, neque minas, neque mortem, aut teterrimos cruciatus pro veritate diffugiebant. Quibus rebus factum est, ut totum orbem, Christianum nomen impleverit. Ubi vero mortis timor invasit, & divitiarum cupido supervenit, deserta veritas, & incognita justitia jacet. Aut verius cum Satyro dixerimus: *Juven. Satyr. VI. vers. 19.*

...... Jamdudum ad superos Astraea recessit;
Hac comite atque duae pariter fugiere sorores.

Hinc diminutus populus Christianus, & auctae infidelium sectae. Verè ille riteque olim dicebat (14) *Archiepiscopus Mediolanensis*, quem hoc in templo sepultum habetis; verè multi alii. *Agamus*, inquiebat ille, *quod nobis & justitia dignum est; quidquid exinde sequatur, aequo patiamur animo*. Cujus vel mortui verba ne contemnite rogo. Agite quod dignum hac congregatione putatis. Nemo vos deseret, nemo adversus erit. Cuncti vobis principes favebunt benefacientibus. Sic Caesareum culmen, augustalemque majestatem vobiscum habebitis. Sic Francorum; sic alii ex ordine reges vobis parebunt. Et quantum ad locum attinet, nemo est principum qui spernere Papiam debeat, ubi & Papa optimè, & Concilium valeat convenire. Nondum tamen excussimus quomodo Papiae securum possit esse Concilium; id enim ad ultimum orationis nostrae membrum reservavimus. Nunc ad tertiam transeamus. Hujus partis est ostendere non do-

Digitized by Google

domos solum, sed victualia quoque ubertim suppetere, in qua re non multum erit negotii. Ipsa enim res se manifestat. Ut tamen de hac etiam parte disseramus. Ex toto dominio suo Duci placet, ut, quam velitis, urbem eligatis. Quis nescit Galliam ipsam, quae circa Padum jacet, & esse, & a Cicerone dici florem Italiae? Aut quis regionem illam cum aliis aequiparet agris? Cum hujus tanta ubertas, tantaque feracitas sit, ut semper abunde suppleverit, quamvis jam multis, non dico annis, sed saeculis continuo sit bello agitata. Alibi vero nonnullae provinciae sunt adeo steriles, adeo infoecundae, ut non suscepto bello, sed audito belli nomine exhauriantur. Hic verò plurimae sunt urbes recipiendo Concilio & alendo sufficientes. Nam, ut Mediolanum taceamus, Urbem populosissimam, quae, ut semper fuit, sic modo est caput Insubrium. Quid de Papia, Placentia, Parma, Cremona dixerimus? Omissis aliis Papiam expendamus. Est profecto illa Urbs splendidissimis, commodissimisque ornata domibus. Testes voco ex hac concione quamplurimos, qui me, si mentiar, reprehendant: Notam namque rem dico. Hic moderni genitor Ducis cohabitavit, princeps omnium sua aetate consultissimus; hic curiam continuo tenuit, quam magni Domini, omnisque fere nobilitas Italiae sequebantur. Ob quam rem multa ingentia palatia & amplissimae sunt aedes aedificatae. Curiales namque, ut fit, certatim sibi magnificas construebant domos, quod quisque ditior, quod quisque mundior videri volebat. Illic palatium est quod Castellum appellant ingenti fossa circumdatum, de cujus amplitudine illud retulisse sufficiat, quod augustalis, Pontificalisque curiae capax existimetur, cujus pulchritudinem, ac commoditatem omnis oratio comminuere videatur; hinc Urbi adjacet; illinc Ducali viridario supereminet, operi omnium maximo atque excellentissimo, cui Parco est nomen venationibus piscationibusque constructo, ubi feras innumerabiles viginti millia passuum complexus murus observat. De cujus rei amoenitate ac voluptate nonnulla dissererem, nisi omnem a vobis contemni voluptatem deliciasque omnes parvi existimari cognos-

Joannes Galeatius Vice-Comes.

gnoſſem. Vino praeterea, cunctiſque eduliis adiacens Patria maxime abundat. Nec Varronem in illa audio prorumpentem verba: *Optima ad victum fert, ager Campanus frumentum, Falernus vinum, Caſinas oleum, Tuſculanus ficum, mel Tarentinus, piſcem Tyberis.* Haec ſuo forſitan tempore ita erant; modo haec omnia Papienſes habent, caeterique Longobardorum populi. Foeni & bladi plus legunt quam ipſi cupiant cives; omnis pomi copia eſt ingens. Quidquid abeſt, Ticini flumen advectare poteſt. Sed quid immoror? Inſubres, ut ſcitis, populi nunquam externo tritico victitarunt; ſed ſuum ipſi caeteris provinciis ſubminiſtrarunt. Quo fit, ut ſummam ſemper in Papia victualium copiam ſitis habituri. Nec aliquis Italus vobis minori pretio victum dabit. Nolo probare quod per ſe patet. Sed quaerite alias Urbes, & rerum pretia inveſtigate. Quod tribus denariis alibi emetis, duorum hic denariorum pretium habebit. Neque diſputatione res indiget. Quare taxationem rerum veſtro judicio Dux committit; fruſtraque de fertilitate patriae urbiſque commoditate ſermonem facio, quod omnia illa majora eſſe cognoſcitis, quam ego dicam. Illa vero parvipendo, quae dicuntur, oportere Graecos Latinam Eccleſiam magnificam invenire; quod tamen, ſi quid habet momenti, ubi melius quam in Papia invenietis? Quo enim honore, qua magnificentia, qua pompa, quo ſumptu Conſtantinopolitanum Imperatorem ab Duce recipi aeſtimatis? An quiſquam vivit hoc Duce ad ſumptum effuſior, aut ad magnificentiam animatior? De cujus largitionibus ſtupenda magis quam credibilis narratio videretur. Cui liberalitatem aliquam exercenti ſua ſolum voluntas ſufficit. Videbunt hujus Principis excellentiam Graeci ſingulari quadam admiratione ac ſtupore, idque oculis perſpicient quod auribus aliquando cognoverant, verumque illud Homeri experientur dicentis famam nunquam penitus vanam eſſe quam populi multi decantant. Immo & rem fama majorem invenient. Ibunt nonnunquam Mediolanum, ubi populum numeroſum, ubi opulentiſſimos cives, ubi florentiſſimas opes agnoſcent; ubi alterum pene orbem vi-

videre videbuntur. Tot artifices, tot pompas nunquam satis spectasse dicent. Quod si magnificentia venerabilem reddit Ecclesiam, illa est potissime civitas eligenda. Sed vana sunt haec, mihi credite, anilesque delirationes. Non sunt Graeci extra orbem positi, qui Latinum genus, Latinasque vires ignorent. Mediterranei sunt populi, Jonio brevi freto ab Italia discreti. Quatuor namque & viginti horis secandum pelagus secundus facit ventus. Quod a Brundusio in Epirum pergit, Siciliamque olim Graeciam fuisse, totamque Calabriam magnam Graeciam appellatam, nemo qui veteres lectitat, ignorabit. Romaeque tantam fuisse Graecorum multitudinem, ut in illa Juvenalis verba proruperit:

Sat. III. vers. 60.

Non possum ferre, Quirites, Graecam Urbem.

Sed ne longius a proposito divertamus. Illud mihi satis probatum videtur, quod de rerum copia, domorumque commoditate requirebatur.

De postremo jam membro tempus admonet disputare; de securitate scilicet, libertateque loci, quae duplici a nobis modo consideranda videntur, ut tuti in loco simus, & ad locum tuti eamus. Refero de secundo, in quo illud non est ignorandum, quod huic urbi nullum propiorem locum nominavimus. Septem dierum iter de cujus securitate, ut opinor, nulla est ambiguitas. Jacent medii Svitensium campi, sive ut verius dicamus, alpes; hominum cum bellicosissimorum, tum etiam pacis, & justitiae tenacissimorum, quorum terras percurrentibus vobis nulla latronum violentia sit timenda. Montem vero S. Bernardi transituris religiosissimi Principis Ducis Sabaudiae occurrit territorium, qui pacis semper amator, cultorque tranquillitatis est habitus; quem religio sanctissimaque justitia cunctis subditis miro modo colendum, divinisque quodammodo laudibus celebrandum efficit; cujus terras nemo non secure percurrit. Ex his duobus territoriis, nullo intersecante domino, in terras ipsius Philippi descendetis vobis non modo tutas sed amicissimas. Ac si cui timendum videtur, offeruntur a principe arces singulae,

Vulgo Sviceri.

Digitized by Google

gulae, quas vestrum iter securius aestimabitis esse facturas. En cernitis Ducale territorium in faucibus Galliarum & Alamanniae constitutum, ut quamprimum intretis Italiam Ducales arces occurrant; nec procul ab alpibus Papiam inveniatis jacentem. Quae res faciunt, ut securitatem ad locum tutissimam habeatis, qualem si qui alii praestent, ipsi judicetis. In loco jam restat securitatem, ac libertatem ostendere, quas esse Papiae confitebimini, si vestra esse in manu civitatem ostendero; si quietos placidosque cives monstravero; si salubrem aërem docuero; & si vos de Principe commonuero posse confidere. Futuram in manu vestra civitatem jam supra dictum est; nec solum urbem, sed adjacentia simul oppida, arcesque daturum se Ducem intellexistis. Nec dubium est quin de se quisque magis quam de altero confidat, cum vix aliqui dicant non esse Praelatos ad regendas urbes accommodos, dominiaque civitatum male a Sacerdotibus regi contendant. Quod a Bohemica dementia tabificoque Ussitarum errore non multum abest, qui omni, ut scitis, dominio spoliandos Sacerdotes asseverabant. Et quis, oro, melius aut rectius urbes gubernavit Martino V.? Nolo alios numerare Pontifices: longus ordo sese Praelatorum offerret, qui magnis praesidentes urbibus, subditos in pace ac justitia pulcherrime tenuerunt. Dicere vero ineptos fore ad regimen Sacerdotes, nihil est aliud quam vos omnes contemnere, Constantinumque Caesarem reprehendere, cujus munere civitatum dominia suscepistis. Sileant ergo qui talia submurmurant, neque vos condemnent, qui petendas arces oratoribus commisistis. In potestate igitur civitatem habebitis, custodes arcibus imponetis, officiales quoslibet ordinabitis; juramentum fidelitatis recipietis; & ubi, obsecro, liberius esse potestis? Ubi tutius? Aliam quoque securitatem, si quam petieritis, facile impetratu erit. Civium modo naturam examinemus, quae pro vestra securitate non est parum considerare. Plenum namque periculi est inter cives vivere, qui ipsi inter se divisi discordiosique sint, qui nullo inter se pacto cohaereant. Talibus enim in civitatibus necesse

est saepe immutari regimina; nunc unum esse, nunc alium Principatum; neque innovari sine discrimine res possunt; & quemadmodum ait Comicus: *Non fit sine periculo magnum facinus & memorabile*. Quod intelligo non solum eorum qui agunt, sed spectantium etiam. Sed nihil horum in Urbe Papiensium trepidabitur. Est enim populus placidus, quieti & otio deditus, cives perurbani, non belli aut intestinarum avidi discordiarum; sed suis occupati possessionibus, plurimum tempus in agricultura consumunt; & juxta Graecum proverbium, quam quisque artem novit in hac se exercet. Nec vano libertatis nomine gloriantur quemadmodum aliqui, qui tum se liberos vocant cum maximè serviunt, & subesse quampluribus liberum fore dicunt. Ego vero quietiorem populo Papiensi nullum adhuc reperi, qui & suo semper Principi obedivit, & devotissimus Ecclesiae fuit. Aëris nunc salubritas pernoscatur, quem purissimum esse apud Ticinum reperietis. Nullae ibi foedae paludes exhalant; non maritima stagna putredinem suggerunt; non crebrae pestes invadunt; non aestus immensi, intemperatique solares radii, aut montani venti officiunt sanitati. Quod si Basileae similem quaerimus civitatem, Papia profecto est, quae Basiliensem nobis & libertatem & sanitatem praestet, quam hic permaximam sumus experti. Nam sive aëris salubritas fuit, sive miraculosa magni Dei bonitas id concessit; sextum hic jam trahentes annum, incredibili omnes sanitate praestitimus. Nec de libertate expedit disputare; libere enim hic loqui, libereque facere quodcumque libuit, nunquam estis prohibiti; nec cives vestris se unquam actionibus opposuerunt, ut qui Germanicam nobilitatem redolent. De Germanorum namque fide, gravitate, constantia nihil satis explicare possem. Non sunt ad promittendum faciles; sed promissa inconcusse inviolateque custodiunt. Emori malunt, quam juramento deficere; apud quos facile sit multos Attilio Regulo similes invenire, qui primo Punico bello fidem hostibus servare voluit, quam mortem & foedum corporis effugere laniatum. Haec profectò constantia Germanorum, haec fides, haec gravitas Alamanniae,

niae, ut tenacissime fidem servent. Cujus rei memores Basilienses nihil vobis promissum commutarunt; apud quos utinam quod restat negotii consummare possemus, ne aliorum fidem probaturi essemus. Si tamen pericula volumus evitare, Papiensis est nobis civitas adeunda, ubi quemadmodum dixi, & civium grata conversatio est, & aëris perpetua salubritas. Si quando tamen locum mutare oporteret, non desunt in territorio Principis commodissimae civitates, quarum, sicut de Papia est dictum, dominium haberetis. Neque enim futuri casus sunt a nobis non cogitandi; sed sicut apud Euripidem Theseus, facere nos decet, cujus illa sunt verba a Cicerone in Latinum conversa:

Nam qui haec audita a docto meminissem viro,
Futuras mecum commentabar miserias,
Aut mortem acerbam, aut exilii moestam fugam,
Aut semper aliquam molem meditabar mali:
Ut si qua injecta diritas casu foret,
Ne me imparatum cura laceraret repens. *f. recens.*

Quae non ideo solum dicta confirmo, ut malum fiat praemeditatione levius; sed ut praevidentes mala diffugiamus. Et quantum ad nos attinet, illud in eligendo loco desideremus, ut venientem pestem, aliamve mali molem possimus evitare, sicut in urbe cernimus Papiensi, qua seu peste, seu alia causa dimittenda, aliam e vestigio urbem inveniamus Concilii capacem & rerum abundantem omnium. Ac de aëris salubritate sufficiat.

Principis verò fides quanti a vobis, celeberrimi Patres, sit habenda, extremo praesentique loco retinui. De qua re abunde putavero dictum, cum ejus Principis erga Ecclesiam devotionem, erga vos ipsos sacrumque Concilium dilectionem, erga subditos justitiam & aequitatem, erga hostes clementiam & mansuetudinem, erga omnes magnificentiam & benignitatem ostendero. Quibus absolutis quis neget summam in hoc Principe fidem habendam? Quas res me nunc peroraturum utinam digna rebus sequeretur facundia. Meritus es namque, victoriosissime Princeps, de quo summi oratores & clarissima poëtarum ingenia fatigentur. Sed da-

Digitized by Google

bis AEneae veniam, si non ut vellet, sed ut potest tuam causam perorabit. Vos quoque, Patres amplissimi, desinite admirari, si non dignam tanto Principe orationem audietis; tot sunt enim illius stupendae virtutes, tot miranda gesta, tot pacis & belli incredibiles artes, ut inferior omnis oratio videri debeat. Sed pergo ut in buccam venit, ac de sua erga Ecclesiam devotione duo quam brevissime absolvam. (15) Braccius hostis Ecclesiae immanissimus, cum multa Romanae Sedis oppida, urbesque invasisset, ac multas provincias vi occupasset, urbem insignem Aquilam eo animo obsedit, ut ea capta bellum urbi, obsidionemque admoveret, tantusque in urbe metus & trepidatio fuit, ut non urbis defendendae, sed faciendae fugae consilium esse putarent. Nec minor agitatio Romae, tumultusque fuit, victore apud Cannas Annibale omnique Romanorum prostrato exercitu, cum perditam spem fore desperatam comploratamque Rempublicam nonnulli juvenes de aufugio cogitabant. Tum Papae auxilia Dux misit, pecuniisque copiisque Papam juvit. Cumque ad manum devenere Ducales copiae plurimum valuerunt, eoque proelio victoriam pepererunt, ut victum Braccium Duci adscriberent. Omitto classem ingentem rogatu (16) Papae Martini in Apuliam destinatam, Cajetamque receptam, & alia classis illius spectata facinora. Illud quis non summe collaudet, AEmiliam, quam modo Romandiolam dicimus, ex manibus tyrannorum vi captam, Papae sine contradictione esse. Nunquam hic Princeps Summis Pontificibus adversatus est, nunquam Ecclesiae defuit auxilio, nunquam apostolica mandata contempsit, modernoque Pontifici ut Patri, ut Domino, ut Christi Vicario semper obtemperavit, primusque omnium Principum praestitit obedientiam. Si quid postea dissidii fuit, hinc processit origo. Ipse tamen nunquam Papae famulatum negavit, quod illa in sede sedentem, nunquam contemnendum censuit. Qualis vero erga Concilium fuerit vestrum neminem arbitror praeterire; nec me aliquis reprehendat, si hunc defensorem Concilii nominaverim, quem non ignoratur cum magno suorum sumptu semper hic Praelatorum frequentiam tenuisse, citasseque, ne defectu suppositorum Concilium deperiret. Cumque requirendi

locus corruptus.

Digitized by Google

rendi Principes in adhaesionem essent, hujus Praelati praesto fuere, qui suis sumptibus obirent munera legationum, quorum nullus aut labori pepercit, aut sumptui; atque ut sileam quid magna cum diligentia in hoc Concilio, & extra Concilium ab Episcopo Albigamensi (17) est gestum, viro non solum genere, sed animi virtute nobilissimo. Quid de aliis dicam? Hinc Episcopus Novariensis ad Regem Franciae destinatus; hinc Laudensis in Angliam missus. In remotissimam usque Poloniam Parmensis Episcopus jussus est ire. Quo tempore ille vivebat, cujus modo insignia viduis depicta tapetibus cernitis ante oculos, moderni genitor regis, cui Deus adversus infidelium impetus omnes conatus secundos efficiat. Ad Regem vero Aragonum Riccius Abbas S. Ambrosii in Siciliam usque perrexit. Nec tu, potentissime Princeps Burgundorum, ab Longobardis Praelatis fuisti praetermissus. Abbati namque de Cereto Patri integerrimo, ea legatio obvenit, quem tu propter Patriam, propterque Dominum laeto vultu & gratissimo animo recepisti, non ignarus quantum tibi Dux ille Mediolanensis afficiatur, qui nihil magis exoptat quam tuae morem gerere voluntati. Apostolorum mihi illa tempora videbantur, cum orbis provincias inter se fortiti, suam quisque legationem suscepit Evangelium praedicaturus. Cujus rei non absimilem curam, Ducales Praelati receperunt, quoniam tunc alii aberant. Repetite beneficia in vos collata, obsecro; considerate si jamdiu hinc abissetis, nisi ipse favisset; videte si quid est unquam petitum, quod non sit impetratum. Videte si hujus Concilii bene gesta semper collaudarit, observarique jusserit; videte si gentes armorum, si pedites, si equites, si pecuniam, si terras, si seipsum vobis obtulerit. Videte si quid promiserit quod non impleverit; videte si vos semper magna dilectione fuerit prosequutus. Hic Cardinalibus ad Concilium venientibus naves dedit; hic securum transitum omnibus praestitit; hic omnibus modis nos juvit, qui non modo hoc, modo illud, (ut plerique) sed semper idem dixit, fecitque. Neque ut exprobrem ista dico, sed ut ejus erga vos fidem recogno-

Bartholomaeus Vicecomes. Gerardus de Landriano. Delphinus de Pergula. Uladislaus II. Poloniae Rex obiit anno 1434.

scen-

ſcentes, de ipſo potius, quam de alio confidatis, caveatiſque ne quam ingratitudinem oſtendatis; quam rem in divina mente, almoque illo Spiritu, qui praeſidere in Concilio creditur, nefas eſt nominare. Illudque evitate, ne vobis dici poſſit, quod dictum eſſe quondam Cicero narrat. Nam cum C. Laelio (bono & ſpectato viro conſulatum petenti) non mos geſtus, magis populus a bono conſule, quam a bono populo repulſus conſul dicebatur. Pergo ad alia, juſtitiaeque erga ſubditos miniſtrandae, aequitatiſve ſervandae ducale ſtudium vel in eo poteſtis comprehendere quod ab omnibus ſubditis peraeque diligitur. Percurrite ejus territorium, omnes uno ore videbitis de ſuo Principe bene dicere, ſibique bene optare, ſuperoſque rogare ut ſuperſtes ac longaevus fiat. Nullum Principi maledicere; nullum niſi magnificè ampliſſimèque de ſuo ſentientes Principe invenietis. Quam rem nemo ex juſtitia natam negaverit. Eò pertinet quod de Sperone aliiſque pleriſque factum eſt, quos cum ipſe in ſubditos graves, acerbos, contumelioſoſque reperiſſet, ab ſe penitus abdicavit, omnique magiſtratu dejecit. Ex quo fit, ut ejus dominatus altiſſimis defixus radicibus exiſtat; eſt enim in amore, ac charitate fundatus, non in timore, qui, ut dicit orator, non eſt diuturnus magiſter officii Nec illud queo praeterire, quod nemo magis mortem hominis abhorret; nemo magis invitus torqueri homines audit. Sed de ſua in hoſtes manſuetudine jam ſermo deſideratur, in qua re non erit abſurdum ſi ea de hoc Principe dixerimus, quae de Senatu Populoque Romano Scipio dixit, quem beneficio, quam metu obligare homines malle, exteraſque gentes fide ac ſocietate junctas habere, quam triſti ſubjectas ſervitio aſſeverabat. Qua laude hunc eſſe dignum ducem paucis colligemus exemplis. Victus adverſo praelio Carolus Malateſta captivus Duci deditur. Expectatis necem aut carceres? nullo receptus ſupercilio fortunatius ſibi fuiſſe vinci quam viciſſe expertus eſt. Quid alios exercituum Duces commemorem, qui in hujus deducti poteſtate tantam clementiam invenerunt, ut jam plerique didicerint, tutius eſſe huic Principi adver-

versari quam favere. Sunt enim quidam homines, qui velut equi, quanto magis illis indulgetur, tanto majori petulantia sunt. Franciscus Carminiola sub hoc Principe militavit, divitiisque, honoreque auctus ad hostes confugit, magnaque clade veterem saepe dominum affecit. Hujus apud hostes defuncti filias suscepit, egregioque matrimonio copulavit, uxori Carminiolae bona omnia restituit. Qualem vero Serenissimis se Aragoniae Navarraeque Regibus exhibuerit, nulla terrarum portio non audivit; hoc omnem exsuperat magnificentiam. En Dux ipse cum alibi alios, hic se ipsum magnificentia superavit. O genus egregium! o proles verissima Galeatii! Est ne hominum ulla conditio, quae non te diligat? Est ne gens ulla tam barbara, tam effera, tam ab omni humanitate alienata, quae tuo nomini non afficiatur? Hic est quem colere omnes debent, cum propter virtutem & probitatem, sicut Cicero credit, etiam eos quos nunquam vidimus, diligamus; quem hostes, sicut ego puto, talia in dies audientes non possunt non laudare. Hunc ergo quis neget erga omnes esse benignum, cum benignissimum semper in hostes repererimus? Quis unquam ad eum venit non benigne magnificeque receptus? Incredibile vobis videretur, si pecuniarum illam explicarem summam, qua quotannis transeuntes dominos & ad se venientes honorat oratores. Cujus rei, si Papiam elegeritis, experimentum Principum oratores, Praelatique videbunt, quorum nemo indonatus abibit. Esset mihi magna copia memorandi plurimos, qui domo extorres, patriaque pulsi, ducali pecunia vitam agunt. Sed jam finem nostra poscit oratio. Quare ea quae ab initio sumus polliciti non probasse solum, sed ostendisse planius opinamur. Quare cum hujus Principis devotionem erga vos & Ecclesiam non minimam neque vulgarem dignoscatis, cum pium, cum justum, cum clementem, cum magnificentissimum Ducem videatis; quid est quod ejus vobis suspectam fidem faciat? Quis timor, quae dubitatio, quae suspicio de ipso potest concipi Duce? Nihil profectò est quod Papiam repudietis. Hic quae ad Graecos opus sunt habetis; hic Papa cum Concilio potest

con-

convenire; hic domos egregias; hic victualium invenietis copiam; hic securitas, hic libertas ostenditur; hic Principem nacti estis, cujus vetus & probata est amicitia, quem si novis postponatis amicis, a Ciceronis consilio recedetis, cujus haec de amicitia verba leguntur: *Existit autem hoc loco quaedam quaestio subdifficilis, nunquid amici novi digni amicitia veteribus amicis sint anteponendi. Homine indigna dubitatio*. Non enim debet esse amicitiarum, sicut aliarum rerum societas, veterrima quaeque, ut ea vina quae vetustatem ferunt, esse debent suavissima. Verum illud est quod dicitur, modios multos salis simul edendos esse, ut amicitiae munus expletum sit. Pythagoras vero haud iniiciendam unicuique dexteram dicebat, idest non prompte, aut inconsulto conciliari oportere, sicut Plutarchus interpretatur. Idem quoque ait, quae nigrantes habent caudas, gustari non oportere: quae ideo dicta sunt ut in rebus agendis illorum conditiones diligenter investigemus, cum quibus contrahimus. Hoc etiam facit, ut intentiones eorum considerare debeatis qui Concilium petunt. In qua re de aliis vos judicetis. Ego de Duce dicam: quae tres causae potissimum movent, ut requisitus satisfaciat, ut in re fidei praesto sit, ut ab omni vos periculo subtrahat. Versatus namque in rebus arduis Princeps, multorum dominorum diversarumque communitatum per exploratores secreta cognoscit, timetque ne locum eligatis, qui vobis perditioni fiet. Cupit ab omni vos fraude omnique periculo eripere. In qua re, Patres optimi, sic precor excubetis, ut nihil improvisum accidere possit, nihil inopinatum, nihil omnino novum. Atque ita acerrimam in omnes partes aciem intendatis, ne qua fraude capiamini. Hic, te precor, humanissime Pater Cardinalis S. Sabinae, intendas, ne quam pluribus annis, summo labore, summaque vigilantia famam perquisivisti, unus dies eripiat. Quamquam quidquid eveniat Bohemicae reductionis te laus assequatur. Sed majorem tibi Graecia laudem attulerit, si locum periculosum effugiens, in eo consenties, in eoque alios animabis, ubi sine periculo maturari negotium possit. Nec te ignoratum, integerri-

gerrime Pater, relinquam Cardinalis S. Petri, qui non solum tuo hic nomine sed populi, regioque hic praesides; aspice quod de te dignum est, quod Summo Pontifici conveniat, quod Regi illi potentissimo victoriosissimoque consentaneum existimas. Neque te hic, neque tuum Regem passio ducit; ille pro fide in patria pugnat, de cujus laudibus bellicisque triumphis nonnihil explicuissem, nisi oratores ejus viros literatissimos atque ornatissimos Patres Conchensem, Burgensemque Praesulem ante oculos cernerem, qui & ornatius, & melius rem valeant absolvere. Tu hic rei fidei curam adhibes; nunc opus, nunc labor est, nunc tua industria viderit, ne loco inepto consentiamus. At te, praestantissime Pater Cardinalis Arelatensis, tanto minus oravero, quanto magis ad rem ipsam te video animatum. Quod si unquam invigilasti, si semper constans firmusque fuisti, si semper Concilii profectum desiderasti, hic aures, hic mentem arrige; nunc tua probitas, nunc tua diligentia pateat. Idcirco namque Cardinales vocamini, quia quasi cardines Ecclesiam sustinetis. Sic vos alios Praelatos oro, ac obtestor. Sic vos omnes precor Ecclesiasticos: aspicite quae fidei, quae justitiae sunt, abiicite passiones, Regem illum christianissimum imitemini, qui nulla victus cupidite ibi locum eligi rogat, ubi geri negotium melius existimetis; ubi quae fidei & quae concordiae sunt valeant terminari. Quae secundum alios alibi, secundum me tutius in Papia conficiantur. Nec enim video quo commodius, aut liberius esse possitis. Itur namque ad Principem benignum & vestri coetus amantissimum, qui fraudes, non modo non instruit, sed prorsus ignorat; cujus animus nihil nisi altum ac magnificum cogitat. Consultius est Principi se nobili, & nihil praeter honorem cupienti committere, quam vulgo, quod est plerumque ingenio mobili, seditiosum atque discordiosum, cupidum novarum rerum, quieti & otio adversum, de quo Virgilius:

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Et cujus vobis fides, quam ipsius Principis potest esse securior? Noti sunt vobis mores ejus, neque concipere metum potestis aliquem. Non hic vindictae exactor, non contumeliae illator, non injuriae prosequutor, cujus rei nemo magis didicit oblivisci; qui cum saepe ulcisci potuerit, vindictam tamen semper abhorruit. Hic animum vincere, iram cohibere, victoriam temperare, adversariosque nobilitate, ingenio & virtute praestantes non modo extollere jacentes, sed etiam amplificare eorum pristinam dignitatem exemplo Caesaris consuevit. Huc ergo ite, huc animos intendite. Securitatem utilitatemque vestram cognoscite, discrimina non rerum solum, sed personarum etiam evadite: Accedite huc qui semper vobis benefecit; ostendite gratitudinem, & memoriam beneficiorum. Sicubi tamen utilius aut melius esse potestis, vestri judicii sit; nihil erit Duci molestum, si bene succedere intellexerit, eumque quocumque pergitis obedientem habebitis. Vestrum tamen est cavere, ne periculosum eligentes locum, & jurisjurandi neglectores suscepti videamini, & qua nunc apud omnes estis, clarissimam famam amittatis, quo bono nihil est humano generi aut acceptabilius a superis, aut praestantius concessum, cujus contemptores haud scio utrum numero sint habendi aliquo; siquidem famae contemptor suae ab eo prodigus appellatur, quem non Apollinis oraculum, sed sacrae literae judicant sapientem.

NOTAE

In superiorem Orationem.

1. GAspar Perusinus. *Credo hunc esse Gasparum illum de Perusio, qui Concilio Constantiensi interfuit, editoque de* beneficiorum reservationibus *opusculo notus. Florebat aetate illa Gaspar alius Perusinus, designatus Episcopus Fulginas, opusculi de sphaera Scriptor.*

e. Si-

2. Simon Venetus. *Sanutus in historia Ducum Venetorum, Rer. Ital. tom.* XXII. *pag.* 1042. *meminit Simonis cujusdam* dalla Valle, *origine Veneti, missumque narrat a Concilio ad Venetos Concilii nomine pactiones quasdam Senatui exhibiturum, ac per ipsum spopondisse Venetos* 7000. *ducatos &* 300 *balistarios, ut & triremes armatas se missuros Constantinopolim ad vehendos Graecos. Huc facere verba Pii censeo.*
3. Isidorum Rolatensem *a Philippo Maria Mediolanensi Duce ad Concilium ea de causa, de qua Pius hic, missum, qui inepte adeo causam Principis suis peroravit, ut a patribus silere sit jussus. Narrat haec Pius ipse in Comment. sub Gobelini nomine vulgatis, pag.*6. *edit. Francofurt.* 1614.
4. Raymundum *Taloni, cui agendi ea de re cum Avenionensibus curam patres imposuerant, teste Abbate Panormitano in libro, seu potius sermone pro Concilio Basileensi coram Sigismundo Imperatore habito. Ita enim lucubratio ista in Codice Felini inscribitur, cum in edito ferat:* Pro Conc. Basileensi liber.
5. Loquendum penitus existimavi oportere, si juramento vellem satisfacere. *Fidem hanc obligatam Concilio commemorat pariter, quanquam subobscure Card. Arelatensis, dum Concilio Basileensi praeesset, in ea quam pro Concilio habuit oratione excerpta ab AEnea Sylvio de Conc. Basil. lib.* I. *pag.* 73. *edit. Helmstad. ait enim* dedisse se suam Concilio fidem; *nempe, ut ego interpretor, ea promendi quae e Concilio putaret. Quo juramento obligatos omnes Concilii ministros arbitror.*
6. Ubi verbis esse non potui, scriptis interfui. *Designari his censeo scripta illa pro asserendo Concilio, quae Pius ipse in Bulla retractationis damnavit.*
7. Contineri Papiam in Decreto nemo ambigit, cum omnes fere Italiae Urbes sint eligibiles. *In Sessione* XIX. *Concilii Basileen. anno* 1434. *habita, approbarunt Patres ea, de quibus deputati a Concilio viri cum Graecis legatis convenerant, ut pro futuro Concilio destinari possent, Calabria, Ancona, Mediolanum, vel alia civitas in Italia.*

8. Unde vetustissimam trahit originem. *Viceeomitum familiam a Teucris derivasse Scriptores nonnullos affirmat Cresentius in Amphiteatro Romano par.* 1. *pag.* 311. *Ex Teucris pariter Turcas accersunt quidam apud Sansovinum de orig. Turcar.*

9. Ex indulgentiis. *Pecuniarum subsidia sibi comparaturum Concilium, sacrarum indulgentiarum thesaurum reseravit fidelibus illis, qui pecunias in ejus usus conferrent.*

10. Simon Caroli, *miles, Regi a consiliis, quem Carolus VII. Gallorum Rex anno* 1433. *ablegavit ad Concilium, & ex eo ad Pontificem. Extat ea de re Caroli Regis ad Basileenses Patres Epistola apud Martene Vet. Mon. tom.* VIII. *pag.* 633.

11. Inimicitias exacto jam anno per pacem sopitas. *Picenos Romani Pontificis ditioni subjectos invaserat Franciscus Sfortia, qui Philippo Mariae Mediolani Duci militavit; quam injuriam ulturus Eugenius arma movit in adversarium. Mox res cum Francisco composita, sed bellum cum Mediolanensi Duce, cujus copias Nicolaus Picininus ductabat, aliquandiu perseveravit, donec tandem anno* 1435. *sopita sunt omnia, pacis ejus sequestribus Joanne S. Petri ad Vincula, & Branda Castellionensi S. R. E. Cardinalibus. Vid. Raynaldum in Annal. ad Ann.* 1434., *&* 35.

12. Auctorem se pacis obtulit. *Jam inde ab anno* 1435. *desciverant a Mediolanensi Duce Genuenses, nec redierant adhuc, quo tempore Pius Orationem istam oravit. Quare si Dux ille Mediolanensis litigii sui arbitrum constituit Pontificem, ut Orator noster testatur, non tamen propterea dissidia cessaverant. Quae vero hic narrantur de studio Pontificis in pace hac componenda, silentibus aliis, nunc primum scimus. Vide Folietta in Annal. Genuen. ad Ann.* 1437.

13. Missi oratores viri ex Archiepiscopali, Episcopalique dignitate. *Concilium Biturim indixit Carolus Galliarum Rex. Decrevere Patres Concilium retinendum esse in Urbe Basileae, nec parendum Pontifici, qui Patribus Bononiam indixerat. Hanc Ecclesiae Gallicanae*

sen-

ſententiam legatio inſignis, ab Archiepiſcopo Lugdunenſi geſta, cum ad Pontificem, tum ad Concilium detulit.

14 Archiepiſcopus Mediolanenſis *Bartholomaeus Capra; quem Concilio Baſileenſi interfuiſſe conſtat ex hoc verſu epigrammatis, ejus ſepulchro inſcripto,*

Concilio accitus, Concilium petiit.

Ibi vero deceſſiſſe, ac in Principe ejus Urbis templo ſepultum, in eodem epitaphio legitur.

Oſſa ſub exiguo claudit Baſilea ſepulchro.

Vide Ughell. Ital. Sac. tom. IV. *pag.* 255. *nov. edit.*

15. Braccius Perufinus, *ſive de Montone, quo tempore Eccleſiae Romanae ditio inter aemulos Pontifices diſtrahebatur, copias Balthaſſaris Coſſae, ſeu Joannis XXIII. ductabat, infeſtabatque loca quae Gregorio XII. parebant. Extincto ſchiſmate, ab armis in eccleſiaſticam ditionem inferendis parum abſtinuit, nam haud diu poſt iterum debacchatus eſt. Demum anno* 1425. *cum Aquilam urgeret, a Jacobo Caldorio Duce copiarum Eccleſiae, & Comite Franciſco Sfortia, qui Philippo Mariae Vicecomiti Mediolanenſi Duci admilitabat, provocatus ad praelium, victus, vulneratus, fugatus, tandem peremptus eſt. Vide Annales Foroliviensſes, vulgatos rer. Ital. tom.* XXII.

16. Martinus Papa V. *in eo bello quod pro Neapolitani Regni poſſeſſione inter Aragonios & Andegavenſes agebatur, Andegavenſibus favebat, auctorque fuit Philippo Mediolanenſi Duci, ut inſtructam Genuenſi milite claſſem Neapolim immitteret. Certatum tunc eſt ad Cajetam, victi Aragonii, Urbs Andegavenſibus parere juſſa. Vide Monſtrelet. Vol.*1. *ad annum* 1423. *&* 1424.

17. Matthaeus *Albiganenſis Epiſcopus, ex illuſtri Marchionum Caretti familia ortus, varias pro Concilio legationes geſſit, ac de cauſa Praemonſtratenſi cum ſociis Concilii nomine cognovit. Expeditas ea de re literas dat Labbeus tom.* XVII. *pag.*1288. *edit. Venet.*

ORA-

Digitized by Google

ORATIONIS II.

Argumentum.

MEdiolano, quo varias excursiones fecit, Basileam regressus AEneas, diem S. Ambrosii festam oratione hac celebrare jussus est a Francisco Piccolopasso Mediolanensi Archiepiscopo. Laudes viri sanctissimi ita persequitur, ut simul etiam abhorrentes ab ea norma Ecclesiasticorum quorundam mores corrigat. Peroravit coram frequenti Patrum coetu, anno, ut in Praefatione adnotavi, 1437.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO II.

Habita Basileae in Divi Ambrosii celebritate.



SI quis me roget, RR. Patres, cur a majoribus sanctorum virorum commemorationes sint introductae, facilè quidem responsum dabo: non tam propter illos, ut gloriam anteactae vitae recipiant, quam propter nos, ut illorum sequamur exempla. Quid enim est quod nostris praeconiis egeant, qui apud maximum Deum recepti, summo illo & ineffabili divinitatis splendore fruuntur? Quidve omnino mortalem exposcant laudem, qui habitantes cum Christo angelicis continuo vocibus extolluntur? Nempe ita beati sunt illi, ut nec addere quicquam eis, nec auferre nostra studia possint. Fiunt igitur ad nostram *constitutionem* commemorationes hujusmodi; ut audientes illorum vitam, quorum vel ortus in lucem, vel transitus ad gloriam celebrantur, quales illi fuere, tales nos esse nitamur. Qui quidem tanta probitate vixerunt, ut pars felicitatis existat nosse quid fecerint. Ea de causa placitum est hero meo Mediolanensi Archiepiscopo, quoniam hodiernus dies antecessori suo beatissimo & excellentissimo Doctori Ambrosio sacer est, non solum ante conspectum vestrum divina celebrare officia, sed mihi quoque de tanto viro, & coram tot tantisque Patribus, ut orationem habeam, omnino insufficienti committere. Vereor tamen, ne sicut negare nescivi, sic etiam obedire non sciam. Obruit enim me magnitudo gestorum, quae si voluerim omnia recensere, nec mihi quidem dies sufficeret, nec memoria tanta tenebit. Perterret me quoque vestra majestas, in cujus praesentia nil nisi tersum dici fas puto. Sed quoniam hunc locum ascendi, & aures vestras au-

Ex Mss. Col. Bibl. Canonic. Cathedr. Lucanae, edita est a me primum in Tom. V. Suppl. Concil. An. 1436.

f. institutionem

auditioni paratas video, antiquius arbitror aliqua dicere, quam penitus obmutescere, ne vel Reverendissimi Domini mei Archipontificis desiderio desim, vel huic celeberrimo festo injuriam faciam; nequaquam tamen meis confisus viribus, sed divino numine fretus ad rem veniam.

Ambrosius noster hodie, Sanctissimi Patres, secundum repraesentationem Ecclesiae diem obiit, quo nec severitate vitae, nec sanctimonia morum, nec optimarum artium studio, nec sacrarum literarum doctrina probatior quisquam fuit. Quid igitur faciemus? obitum ne Sanctissimi viri plorabimus; an potius, sequuti Hesiodum natalem hominum plangentem, in funere gaudebimus? Prohibet quidem Apostolus hujusmodi lacrymas, Christianorumque mortuos dormientes appel-
Mat. IX. 24. lat. Dominus quoque in Evangelio: *Non est mortua*, inquit, *puella*, *sed dormit*. Scimus praeterea nostrum Ambrosium esse cum Christo, & in Sanctorum choris admixtum, cujus in terra ea omnis cura fuit, ut ali-
Psal. XLVII. 9. quando in coelo diceret: *Sicut audivimus sic vidimus in Civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri*. Convenientior igitur huic solemnitati laeta erit oratio, quam tristis. Et si enim, ut est apud Tullium, nulla ex parte moesti Theramenes, & Socrates obiisse creduntur; quid de Ambrosio nostro dicemus, cui vivere Christus erat, & mori lucrum? Congratulandum est quippe tanto Pontifici, ejusque vitae laudes cum alacritate a me referendae, & a vobis cum laetitia sunt audiendae. Quam rem nisi sufficienter implevero, dabitis veniam ingeniolo meo, & voluntatem magis quam vires a me suscipietis. Nec ego praecepta rhetorum hoc loco exequor, quibus mos est majores ejus, qui laudandus proponitur, & eorum altius gesta repetere, ut ramorum sterilitatem, sicut Hieronymus ait, radix foecunda compenset, & quod in fructu non teneas, merearis in trunco. At ego carnis bona, quae semper ipse contempsit, in animae laudibus non reponam. Nec Ambrosium jactabo de genere, quamvis nobilissimus fuit, idest de alienis bonis, cum & Abraham, & Isaac sancti viri Ismaëlem,

&c

& Esau peccatores genuerint, & natus ex meretrice, secundum Apostoli vocem, in catalogo Sanctorum annumeretur; & veteri quoque lege sancitur: *Anima quae peccaverit, ipsa morietur*; ergo & quae non peccaverit ipsa vivet. Nec vitia, nec virtutes parentum liberis imputantur. Ab eo tempore quisque censetur ex quo Christo renascitur. Exurgat igitur nobis infantulus noster Ambrosius, cujus cum fuerit omnis aetas laudabilis, infantilis quoque mirabilis fuit. Nec me aliquis longum existimet quod ita remotè incipiam. Nam sicut in brevi tabella terrarum situs nonnunquam picti reperiuntur; sic in parva oratione mea non expressam, sed adumbratam cernetis Ambrosii vitam. Praefectus erat in Galliis Ambrosius Pater, cum natus est, de quo verba fiunt, Ambrosius, cui adhuc infanti, & apud aream praetorii in cunis jacenti, subito apes advolaverunt, ejusque vagientis ora frequentatis ingredi vicibus, atque egredi cernebantur; quas cum ancilla eademque puelli nutrix abigere vellet, prohibita est a Patre, qui exitum rei sollicitus expectabat. Illae autem, postquam aliquandiu circa puerum levatae in altum, ex oculis omnium evanuerunt. Quod omen tam genitor, quam alii qui aderant portendere aliquod magnum puero autumabant. Mihi videntur aviculae illae futuram hominis eloquentiam praesignasse, secundum quod scriptum est: *Favi mellis sermones boni*. Nec fefellit exitus; siquidem facundissimus postea, ut omnes nostis, evasit Ambrosius. Is quippe amisso patre, cum esset admodum puer, cum matre vidua & sorore virgine nutritus est, & ut primum potuit per aetarem, liberalibus studiis navasse operam traditur, brevique tempore ita doctus evasit, ut inter primos causas peroraret, maximamque apud Probum, virum illustrem, & tunc Romani rectorem imperii, gratiam acquisivit. Ob quam causam juvenis adhuc ad consularem dignitatem pervenit; moxque provincia sibi decreta est Gallia, quae circa Padum intra Italiam jacet, quae res Mediolanam Urbem populosissimam & totius Insubriae caput eum perduxit. Quo tempore mortuo Auxentio Arrianae fatuitatis antistite, qui

Prov. xvi. 24.

expulso Dionysio Mediolanensem occuparat Ecclesiam, circa creationem novi Episcopi non parva erat in civitate seditio, quod alium Arriani, alium orthodoxi Pontificem cupiebant; ideoque visum est Ambrosio ad Ecclesiam pergere, ut animos, si posset, concitatos sua oratione molliret; vixque alloqui plebem coeperat, subito vox fertur infantis personuisse; Ambrosium Episcopum; ad quam vocem tanquam caelitus missam totius populi ora conversa Ambrosium Episcopum conclamabant; factaque repentè concordia hunc omnes unum ordinari antistitem flagitabant. Sed nondum ea, quae nunc viget, ambitio macularat Ecclesiam, nec adhuc pecunia vendebantur Episcopatus: indignabundus Ecclesiam dereliquit Ambrosius, praepositisque tormentis, retrahere populum ab his vocibus satagebat; & nunc se cathecumenum, nunc philosophum respondebat; ac, cum nec sic cessaret populus, meretrices publicas ad se propalam ingredi jussit, ut eo vel maximè modo indignum se redderet Pontificatu. Sed quo plus repugnabat, eò magis in se studia omnium concitabat, merebaturque negando quod esse nolebat, quoniam dignior erat, qui se clamabat indignum. Quam ob causam fugae sese commisit, egressusque noctu Papiam pergebat. At Dominus, qui Ecclesiae suae murum parabat, & turrim adversus Damasci faciem, idest Arrianorum perfidiam, erigebat, fugam tenuit ipsius, erubescenteque aurora ante portam urbis, cui Romana est nomen, ignorantem eum in conspectu populi reddidit; qui & retentus est, & missa legatione ad Caesarem postulatus Episcopus; quod & Valentinianus libens concessit, & laetus audivit Probus, qui eunti in provinciam Ambrosio: ***Vade, age non ut Judex, sed ut Episcopus***, dixerat. Pendente tamen relatione, iterum fugit Ambrosius, & in possessione cujusdam Leontii, clarissimi viri, tandiu latuit, quoad responso Imperatoris habito, ab ipso Leontio est proditus, & in urbem reductus; ubi videns quia resistere Deo non poterat, jugo cervicem praebuit, baptizatusque, ut optabat, a catholico Episcopo, omnia ecclesiastica implens officia, infra octavum diem Episcopus est ordi-

na-

Digitized by Google

natus. Qui ubi assequutus est Episcopatum, non honorem sed onus intelligens, primam curam habuit, ut humilitate superaret invidiam, & instar Salvatoris nostri formam servi accipiens usque ad mortem se humiliavit; haud nesciens quia qui major est, ministri personam debet inducere. Clericos sanè ut clericos honorabat, caeteros omnes, aut filiorum, aut fratrum, aut si aetas ferret, parentum loco habebat. Haereticis solum, & maxime Arrianis erat infestus; ob quam rem magna ei cum Valentiniani matre Justina concertatio fuit; quae cum esset Arriano infecta errore, nihil magis quaerebat, quam Ambrosium perdere; promissisque dignitatibus & officiis sceleltos homines provocabat in eum. Sed, adjuvante Domino, omnem malitiam convincebat Ambrosius; incidebantque in foveam, quam ipsi fecerant, qui sancto viro struebant insidias. Angustiae me temporis tenent, ne omnes Justinae molestias attingam; illud tamen non praeteribo, quod tripartita narrat historia. Cum enim vidisset Justina ad verbum Ambrosii totam plebem esse devotam, armatos ad Ecclesiam misit, qui eum raptum in exilium traherent; sed, audite, obsecro, boni Pastoris, audite Reverendissimi Patres, responsum intrepidum: Ego, inquit Ambrosius, sponte hoc non ago, ne lupis ovium septa contradere videar, aut blasphemantibus Deum; hic, si placet, occido; hoc loco mortem prona suscipio voluntate. O animum vero Pastore dignum! o verba in omnium Episcoporum pectoribus inscribenda! Sciebat eximius doctor, quia bonus Pastor animam pro suis ovibus libenter exponit; anxius nempe Ambrosius erat ne populum sine cura dimitteret, priusque mori volebat, quam oves perdere. Non agros Ecclesiae, sed animas sibi commissas dolebat amittere. At nos hodie (proh pudor) non hominum, sed pecuniarum gerimus curam; non animabus, sed argento studemus, & auro. Illa dignior aestimatur Ecclesia, non cui major est populus, sed cui major est redditus. Habeat innumeras animas Ecclesia, sit infinitus in ea populus; nisi pecuniis abundet, nemo illam adibit, & quasi haereditatem jacere inopem quisquis dimittet; at ubi dives

Episcopatus, & introitus uberes sunt, huc oculi omnium sunt conversi; nec ibi quisquam cum examine ordinatur antistes, quasi non populo, sed pecuniae proponatur Episcopus. Quare, si ita pergimus agere, suadeo ne sacris literis ut praedicatores, sed abaco, ut nummularii studeant clerici, quia sic ad Episcopatum evecti, tractare pecunias, & reddere calculum scient. Melius tamen Ambrosium imitabimur; namque si clerici, hoc est de sorte Domini, esse volumus, eorum viam sequi debemus, quorum sors Dominus fuit. *Habet*, sicut Hieronymus ait, (libenter namque in hujus dictis tanquam in agro fertili versor) *unumquodque propositum suos Principes. Romani duces imitentur Camillos, Fabritios, Regulos, Scipiones; Philosophi proponant sibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Aristotelem; poëtae aemulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentiam; Historici Thucydidem, Salustium, Herodotum, Livium; Oratores Lisiam, Gracchos, Demosthenem, Tullium; & ut ad nostra veniamus, Episcopi, & Presbyteri habeant in exemplum Apostolos, & apostolicos viros, quorum honorem possidentes, nitantur habere & meritum.* Quod si nobis, durior Apostolorum imitatio videtur, at saltem Ambrosii nostri recipiamus exemplum; quod si fecerimus, nequaquam sub Christo paupere sequemur divitias, aut affluentibus ipsis cor minimè apponemus. Exosam enim prae caeteris vitiis avaritiam habuit, praecipue tamen hujus turpissimi sceleris Sacerdotes desiderabat immunes, ne illa quae Romanorum subvertit imperium, Ecclesiam quoque pollueret. Sed quoniam de avaritia sermo incidit, nequaquam inutile fuerit pauca in hoc vitium dicere; & ne quid ambigui nomen efficiat, avaritiam ego non ut aliqui putant solius aeris, sed auri quoque & argenti, & caeterarum opum cupiditatem appello. Fateor enim antiquitus hanc fuisse consuetudinem, ut quod avidi essent aeris, hi dicerentur avari, cum nondum esset ullus usus aureae monetae, vel argenteae, nam solus aes habitum est in pretio apud Romanos usque ad bellum Punicum primum; quinque etenim dumtaxat annis ante id bellum signari argentum *tergendum* coepit, bigarum

Epist. 58. ad Paulin. nov. edit. Veron.

Vox corrupta.

&

& quadrigarum nota; anno urbis conditae quingentesimo octuagesimo quinto: Attamen anno post secundo & sexagesimo nummus aureus percusus est; aes autem Servius Tullius primus signavit nota pecudum, unde pecunia dicta est; cum antea rudi aere uterentur. Itaque licet variarentur monetae materia, idem tamen avaro nomen mansit. Nec ista contraria sunt Lucano, qui ait: *Lucan. Pharsal. lib. VI.*

Primus Thessalicae rector telluris Jonus (Itonus)
In formam calidae percussit pondera massae;
Fudit & argentum flammis, aurumque moneta,
Fregit, & immensis coxit fornacibus aera.

Potuit namque sic inter Graecos fuisse: Utcumque est, exclamare cum Boëtio possumus: *Lib. II. metr. V.*

Heu primus quis fuit ille
Auri, qui pondera tecti,
Gemmasque latere volentes
Pretiosa pericula fodit?

Absit tamen, ut monetae usum damnem, quia & uti eadem rectè licet; eos verò accuso, eosque vitupero, quorum semper est occupatus in quaerendo animus, qui dediti sunt studio thesaurizandi, qui cupiditati obnoxii & pecuniarum, sunt servi hujusce nefandissimi vitii, ut faciem, & quasi picturam quandam Virgilius expressit his versibus, quibus descripsit harpyas: *AEneid. III. v. 216.*

Virginei volucrum vultus, foedissima ventris
Proluvies, uncaeque manus, & pallida semper
Ora fame . . . .

Humanus vultus non hominem significat esse avarum, sed monstrum, sub cujus aspectu placido latet truculenta bestia ad omne nefas parata; testanturque virginei vultus cupiditatem avari semper virescere; nunquam enim, ut scitis, satiatur, aut expletur cupiditas sitis, semper appetit, semper eget: nam veteri proverbio,

tam

tam deest avaro quod habet, quam quod non habet. Praetereo cur volucres finxerit, quid pallida ora, quid proluvies illa ventris importent. Nemo est enim tam hebes ingenio, qui haec avaro nesciat applicare. Sed quid ego in avaritiam armo Gentiles, cum infiniti ex nostris eam impugnent? Utinamque facile hoc scelus omnes dimitterent, quam facile detestantur. Rectè inquit inter suos sermones Zeno; Deus odit avaritiam, est enim libido profunda, cupiditas caeca, tempestas insana, rapacitas sine fine, sollicitudo sine requie, ad sua nunquam perveniens vota. Sed quibus ego verbis detestari avaritiam magis queam, quam Augustini, qui fuit hujus Ambrosii nostri discipulus, & sicut ipse fatetur, per lavacrum fidei filius? errorem namque Manichaeorum apud Chartaginem imbiberat adolescens, quem, sicut nostis, Ambrosius sibi detraxit, quod unum inter nostri doctoris egregia facinora non dubitaverim nominare; ex Ambrosio namque recepit Ecclesia quidquid postea magnus attulit Augustinus. At quid ille de avaritia? Nempe ita in eam irascitur, ut haereticis aequiparare avaros non vereatur in eo libro, qui est contra Donatistas. *Quaero enim ipse quis peccet gravius, an qui nesciens in haeresim incurrit, an qui sciens ab avaritia, hoc est Idololatria, recessit?* Exinde subdit: *sicut ergo haeretici regnum Dei non possidebunt; ita & avari regnum Dei non possidebunt.* Omitto infinitos testes, ne longior fiam, neve Flaccus de nobis rideat dicens:

Aug. de Bapt. cont. Donatist. lib. IV. f. adde *non.*

.... *Amphora coepit*
Institui, currente rota, cur urceus exit?

Redeo ad nostrum Ambrosium, cujus semper in ore Apostoli verbum erat, quo servitutem idolorum praedicat avaritiam, ideoque revocandam esse labentem rationem dicebat, ejusque monitis fore obtemperandum. Subditos suos homines esse dicebat, hoc est umbram & pulverem, ut ait Flaccus, sed praeditos animo immortali. Hunc unum esse ditandum, colendum, ornandum; reliquis vero in rebus non magnum studium esse ponen-

nendum, sed utendum pro commeatu hujus brevissimae vitae, ac velocissimae. Solebat referre Socratem, qui magnum auri pondus abiecit, ut exspeditius sequeretur philosophiam; nec putavit se posse virtutes simul & divitias possidere. Referebat etiam Diogenem Cinicum humana omnia contemnentem, qui se ideo magno rege ditiorem asseverabat, quoniam ipse videlicet paucioribus indigeret. Sororia quoque de nostris narrabat, omnesque illos, paupertatis amatores afferebat in medium, qui post Christum usque ad sua tempora abjectis mundanis opibus se ipsos abnegaverant. Non hic thesaurizandum, sed in coelo admonebat; & cum esset eloquentissimus facilè omnia suadebat. Nec enim cohortari ad virtutem ardentiùs, aut a vitiis revocare acriùs quisquam potuit quam Ambrosius, quia quod aliis praedicabat ipse primus implebat, nec alius domi erat quam in Ecclesia. Thesaurum suum inter egentes assiduè dividebat, asserens quia hujusmodi Ecclesiarum bona non magis possidenda tradantur, quam dispensanda committuntur. Et quoniam eleemosynae peccata delent, mortem perimunt, & poenam perpetui ignis extinguunt; nihil tam aptum fidei, aut tam conveniens pietati putabat, quam egentium juvare pauperiem, infirmorum curam recipere, & fraternis necessitatibus subvenire. Erat etiam ejus studium visitare languentes, provocare hospitio, lenire blanditiis, gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Caecorum baculus, esurientium cibus, spes infirmorum, solamen languentium fuit. Ita in singulis virtutibus eminebat, quasi caeteras non haberet. Nullum ei tempus currebat in vanum; aut enim in Ecclesia plebem docebat, aut intra parietes suos dictante Spiritu Sancto volumina conscribebat. Extant adhuc ejus scripta complurima, scientiae, & sapientiae Dei plena, quorum si quispiam nosse titulos cupit, successorem ejus hic praesentem adeat, qui suas reliquias diligentissimè perquisivit. Dies mihi deesset, si numerare ejus volumina vellem, quae non solum ad scribendum, sed ad legendum quoque integram hominis vitam requirunt; videturque & ille mihi, & ante Episcopatum

&

& postea oratorios codices lectitasse; nec enim verborum delicias omisit, nec flosculos eloquentiae saecularis. Cujus exemplum valdè eos refellit, qui poëtas & oratores ecclesiastico viro interdicunt, Platonem ut existimo, imitati, atque Hieronymum, quorum alter poëtas ex sua civitate exclusit, alter ideo se ab Angelo verberatum dicit, quod Ciceroni nimium inhaereret. Sed audiant Hieronymum qui Hieronymi auctoritate se fulciunt; ad Damasum quidem proposita figura Deuteronomii de muliere captiva sic ait: *Ita & nos facere solemus, quando Philosophos legimus, quando in manus nostras libri eorum veniunt, vel sapientiae saecularis; si quid in eis utile reperimus, ad nostrum dogma convertimus. Si quid vero superfluum, de idolis, de amore, de cura saecularium rerum, haec radimus, his calvitium inducimus, haec in unguium more ferro acutissimo desecamus.* Ad Oratorem vero Romanum latius rem prosequitur, plurimosque tam ex veteri testamento quam ex novo, pro se testes adducens: *Quid mirum est*, inquit, *si & ego sapientiam saecularem propter eloquii venustatem, & membrorum pulchritudinem de ancilla, atque captiva Israëlitam facere cupio?* Legebat igitur, sicut mihi videtur, etiam saeculares authores noster Ambrosius, magnae prudentiae fore dicens aurum in luto quaerere; non tamen in tali lectione requiescebat, nec sonabat in ore ejus, *Jupiter omnipotens, & mi Hercles, & mi Castor, & caetera*, sicut Hieronymus ait, magis portenta quam nomina. Sequebatur etiam in hoc suas apes, quae, ut Basilius apud Graecos doctissimus, inquit: nec penitus omnes flores adeunt, nec si quos adeunt, eos totos absumunt; sed eo ablato quod operi suo aptum sit, reliquum omne valere sinunt. Sic de poëtis Ambrosius factitabat; nec enim omnes passim admittebat. sed tunc solummodo, cum aut virtutes extollunt, aut vitia effulminant; in reliquis verò non aliter quam ipsi poëtae asserunt de Ulisse Sirenarum cantus timenti, aures obturabat. Erat praeterea in orationibus creber, vigilans in precando, lacrymas Deo non hominibus offerebat; longe a simulatione, longe ab hypocrisi, praedicans sem-

Digitized by Google

semper illud Platonicum, quia ultimus terminus amentiae est, bonum videri cum non sis; unde prohibet Ecclesiasticis; ne quis hypocrita in conspectu hominum fiat. Festino ad finem, plurimaque brevitatis causa praetermitto. Nec de parcitate ejus, aut continentia multa dicam, in quibus virtutibus ita enituit, ut parem posthac neminem sibi invenire sciam; abstinebat namque a carnibus, qui carnem crucifigere cum vitiis, & concupiscentiis intendebat. Potuisset sub Pythagora vivere, qui, ut est in Satyro: *Juvenal. Sat. xv. v. ult.*

. . . . . . Ventri indulsit non omne legumen.

Non ferculorum multitudinem, aut vini, sicut hodie facimus varietate oblectabatur; tenebat tamen memoriae, non solum illud Psalmistae: quia vinum laetificat cor hominis; sed Platonis quoque sententiam non ignorabat, qui existimabat fomitem esse quemdam, & pabulum ingenii, virtutisque, si mens ex corpore hominis vino flagraret. Caeterum neque Platonem, neque psalmistam velle dicebat, ut passim haurirentur vina; sed modicis honestisque inter bibendum remissionibus refici, integrarique animos ad instauranda sobrietatis officia. Dicentem quoque cum istis conjungebat Apostolum: *Noli aquam bibere, sed vino modico utere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates*; nihilque aliud vinolentiam esse affirmabat, quam resolutionem veneream, duasque illas voluptates communes nobis esse cum bestiis. Idcirco in pecudum ferarumque haberi numero, quisquis esset voluptatibus occupatus. Adducebat saepè Socratis verba, quem dicere solitum referebat, multos homines propterea velle vivere, ut ederent, & biberent; se bibere, atque esse ut viveret. Fuit igitur noster Ambrosius mirabilis continentiae, incredibilis pudicitiae, infinitae patientiae atque humilitatis. Audierat vocem Domini: *Discite a me quia mitis sum, & humilis corde*, inquientis. Omnibus namque in rebus se vincere reputabat, cum ipse vinceretur, nisi vel honor Dei, vel religionis integritas laederetur.

1. Tim. 5. 23.

Mat. 11. 29.

tur. Tunc enim incredibili vigore animi, & constanti praesentia resistebat. Tunc nec parcebat ulli, nec timebat quemquam. Tenetis memoriae, sicut opinor, quo vultu, quo animo, quibusque verbis respondentem illum Theodosio Caesari tripartita narrat historia, cum sacram illi Basilicam vetuit. Scitis quod postea Ruffino pro Imperatore supplicanti responderit. Ego, inquit, Ruffine, praedico quoniam eum sacra limina ingredi prohibeo; si verò imperium in tyrannidem mutaverit, necem libenter & ego suscipio. O vocem omnium laude dignam! O animum Pastoris egregium! quis est qui martyrem neget Ambrosium? Utinam ille animus, & illa constantia nobis esset, nec enim auctoritatem Ecclesiae in manibus Principum poneremus. Ego faciam dicebat Ambrosius quod Sacerdotis; quod Imperatoris est faciat Imperator; prius est ut animam mihi quam fidem eripiat. Quod si modo dicere auderemus, major Principum esset erga Ecclesiam reverentia. Nec enim Theodosii nunc deessent, si reperirentùr Ambrosii. Sed quid ille de Ambrosio dixerit? Audite obsecro testimonium Theodosii. Vix enim, ait, inveni veritatis magistrum; Ambrosium namque solum novi dignè vocari Pontificem: quo unico testimonio omnes laudes meae vincuntur. At est non solum Caesarea laude sublimis, sed etiam divino praeconio illustris Ambrosius, multifariam namque multisque modis clarere hunc hominem divina majestas voluit. Expellebat enim immundos spiritus, illuminabat caecos, paralyticos liberabat, & omni morbo detentos sanitati restituebat. Florentiae quoque clarissimi viri Dicentii extinctum subita morte filium suscitavit. Praeterea duo corpora martyrum Gervasii atque Protasii Mediolani reperit. Qui martyres, sicut ait Hieronymus, cum jampridem apparendi haberent tempus, hominem, cui se proderent, inquirebant, eum certè, cui sub ea fide revelarent qua martyria sustinuissent. Quibus ex rebus ita erat celebre toto orbe nomen Ambrosii, ut ad solam hominis famam complures pagani ad Christum desciverunt. Inter quos fuit Regina Marcomannorum Fritigil. Duo etiam potentissimi viri Persarum ad audien-

dien-

Digitized by Google

diendam sapientiam Sacerdotis venere Mediolanum, habitisque per interpretem cum eo colloquiis, admiratione pleni discesserunt. Quid ultra? tam clara erat hujus Pontificis fama, ut ideo reputatus sit Arbogastes vincere, quia & notum Ambrosio se diceret, & ab eo dilectum. O igitur beatissimam illam urbem, quae tantum meruit habere Pontificem. O felicissimum Principem, cui tantus patronus est datus. O fortunatissimum populum, qui talem habet apud Deum intercessorem. Ambrosius est qui urbem illam Mediolani populosissimam ex peste praeservat. Ambrosius est qui nostro excellentissimo & sapientissimo Principi secunda efficit bella; Ambrosius est qui omnes adversariorum conatus infringit. Caeterum quid te subtrahis, quid tergiversaris, oro, quid sic times ad ultimum pervenire? Heu miserabilis humana conditio, & sine Christo vanum omne quod vivimus. Omnis caro foenum, & omnis gloria ejus quasi flos foeni. Peregit & noster Ambrosius humanum cursum, sed non invitus e vita migravit, cupiebatque dissolvi & esse cum Christo. Praedixerat ipse quippe suum obitum. Ideoque rogatus a Stilicone comite, ut in vita maneret: non ita inter vos vixi, respondit, ut vivere me pudeat; nec timeo mori, quia bonum Dominum habemus. Cumque in lectulo aegrotaret, circumstantium ipse omnium moestitiam solabatur, & universis circa plorantibus solus ipse cum Christo gaudebat, quem visibiliter ad ipsum descendisse Bassinus Episcopus Laudensis Ecclesiae retulit. Cujus praesentia ita confirmatus Ambrosius est, ut paucis post diebus libens & laetus sumpto Dominico corpore spiritum exhalaverit; unde & corpus terra suscepit, & animam Christus. Ex cujus exemplo debemus & nos animo praemeditari quid futuri simus, & quia sive Titonis senectutem speremus, seu vivacissimi apud nostros Mathusalem, qui mille annos minus XL. vixisse dicitur, moriendum est tandem. Ob quam causam praeparare non ipsos ad virtutem debemus, & caeteris omnibus pro nihilo habitis animum nostrum ad illa coelestis aulae gaudia sublevare, ubi nihil unquam deest; nihil a suo statu tollitur aut declinat.

omnia bona atque perpetua exuberant; ubi nemo eget, nemo invidet, nemo furatur, nemo rapit, nemo proscribit, nemo jugulat, & nemo moritur; ubi omnes felices, omnes unanimes, omnes immortales, omnes sunt semper aequales. Ubi quod unius est, omnium est; & quod omnium singulorum. Ad quam beatitudinem ille nos perducere dignetur, qui cum Spiritu Sancto regnat in saecula benedictus. Amen.

ORA-

Digitized by Google

ORATIONIS III.

Argumentum.

PLebis de Haspach sacrum regimen, beneficio Leonardi Pataviensis Episcopi, adeptus AEneas, in ipso statim exordio, pastoralis solicitudinis suae specimen dedit, plebem illam suam illustri hac Oratione alloquutus, qua & electionis suae, externi & ignotae linguae hominis, factum adprobare illis aggreditur. Tum demum Christiani hominis officia omnia illis exponit, monetque, ne indigna professionis suae vitia consectentur; quid demum de se sperare illos velit, declarat.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO III.

Habita ad Plebem suam Ecclesiae S. Mariae in Haspach Pataviensis Dioecesis.

Ex Lucensi Codice nunc primum prodit.



NON est apud me dubium, Viri circumstantes, quin plerosque vestrum admiratio teneat, me vobis alienigenam, & alterius linguae, magis quam vestrae peritum, in animarum esse vestrarum pastorem rectoremque datum. Majorem namque fortasse vestri curam putavissetis habiturum, qui versatus inter vos diu & virtutes, & vitia vestra novisset. Sicut enim medicus eorum, quibuscum victitat, naturas melius noscit, meliusque medetur aegrotantibus; sic Sacerdotem arbitrantur nonnulli ex convictu mores pleberculae suae perspicere melius, & animabus consulere salubrius. At Sacerdos qui sacrarum Scripturarum notitiam vel mediocrem habet, ac Sanctos Doctores perlegit, non solum civitatis suae, sed orbis totius, quae sint vitia, quaeque virtutes intelligit, nec ullibi non dare salubre consilium nesciet. Una est enim salutis via, & apud Graecos & apud Latinos, quam Dominus & Salvator noster in Evangelio docuit Jesus Christus. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: quod non solum vobis, sed omnibus dictum est, qui sub coelo sunt. Est igitur Sacerdotis, praecepta quae Deus dedit praedicare, tam veteris quam novi testamenti, & quid boni in observatione, & quid mali in transgressione lateat edocere. Ac propterea & timeri simul & amari Sacerdotem oportet. Sic enim facilius fient quae jubet; convictus autem & familiaritas contemptum parit. Nam quis vestrum est qui vereatur eum, qui secum nutritus est, qui convixit, conbibit, collusit, & pueritiae suae rudimenta simul egit? Vera est evangelica vox, nec potest veritas no-

Mat. XIX. 17.

stra

ſtra mentiri. *Non eſt Propheta ſine honore niſi in patria ſua, & in domo ſua.* Hinc apud antiquos uſurpatiſſimum fuit extraneos Epiſcopos dare. Quod ſi Pontificales Cathedras, ac metropoliticas qui primi apud Italos ac vos Germanos rexerint percontari voluerimus, alienigenas plerunque, & per interpretem locutos fuiſſe comperiemus. Fit enim, neſcio quomodo, ut extraneum quiſque & peregrinum, potius quam civem, & proximum demiretur venereturque. Forſitam ideo eſt quod omnes putamus bonos quorum vitia ignoramus. Quos autem bonos credimus, eoſdem etiam honoramus. Peregrinorum vitam non poſſumus non bonam exiſtimare, qui mali nihil ſcimus. Veniunt enim ad nos jam aetate provecti, cum vel vitia reliquerunt, vel tegere ſciunt & virtutes oſtentare; hinc eos demiramur, amamus, obſervamus, veneramur, hiſque paremus, & obſequentiſſimi ſumus recta monentibus. Hoc fortaſſe in mentem venit praeſtantiſſimo Patri, & D. meo colendiſſimo Leonardo Epiſcopo Patavienſi, excellentis & clari nominis Principi, dum hanc mihi Eccleſiam, & veſtri curam commiſit. Reri nanque potuit vos mihi extraneo libentius parituros, quam ſi conterraneum aliquem vobis praefeciſſet. Quod ut faciatis eo magis vos hortor, moneo, requiro, quo veſtris animabus id conducibilius, & ſalubrius fore animadverto. Caeterum ſupra me quantum pondus acceperim, & quot me vinculis obligaverim non ignoro; qui & vobis iter ad ſalutem oſtendere & animas veſtras curare ſum adſtrictus. Quid enim eſt aliud animas regere quam animarum eſſe judicem? Non eſt haec res leviuſcula, neque minima. *Noli quaerere fieri judex*, inquit Sapiens, *niſi valeas virtute irrumpere iniquitatem.* Non ſum virtutis hujuſce. Non bene aliis praeeſt qui ſeipſum regere neſcit; quomodo aliorum tuebitur animas? Qui alios rectificare vult, & ipſum rectum eſſe oportet. Nuſquam enim curvarum virgarum rectae ſunt umbrae. Incurvum eſſe me non erubeſco fateri; ſed doleo talem me fore. Praedicare vobis Evangelium poſſum; hortari ut virtutis opera faciatis; monere ut vitia fugiatis; ſed memini verborum La-

Mar. VI. 4.

Eccli. VII. 6.

Lactantii : *Homines enim malunt exempla quam verba*; quia loqui facile est, & praestare difficile. Utinam quidem tam multi bene facerent, ut quam multi bene loquuntur. Sed qui praecipiunt nec faciunt, abest ab eis fides. Amplius enim oculis quam auribus credunt homines. Turpissimum est cum dicitur: qui praedicas non furandum, furaris; qui dicis non moechandum, moecharis; qui enim abominaris Idola, sacrilegium facis. Nec enim committendum est ut orationi vita dissentiat. Atque id-
Tit. 1. 7. circo, sicut ad Titum Paulus scribit: *Oportet Episcopum*, id est Presbyterum, teste Hieronymo, *sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem; non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum; sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere*. Quae certè dotes in me non sunt, & vereor ne cum vobis praedicavero, ipse reprobus inveniar. Scio
Jo. 1. 8. me peccatorem esse, ac miseriis circundatum. *Si dixero*, inquit Joannes, *quia peccatum non habeo, mendax sum, & veritas in me non est*. Quid igitur faciam? curam ne
Ephes. IV. 1. relinquam? non certe. *Manendum est*, inquit Paulus, *in ea vocatione qua sumus vocati*. Mihi necessum est, quod Praesul meus Pataviensis injunxit munus obire. Quod si nequeo, ut par esset, bene absolvere, danda est opera, ut id quam minus possum inepte, curem. Est autem meum officium docere vos viam vitae; quod ut efficiam, non solum vos reddere meliores, sed & meipsum corripere studebo, ut eamus simul in vitam aeternam. Stultum enim esset, & omnino insanum, alios potius velle salvos quam seipsum. Sed quoniam mihi lingua expedita non est idiomatis vestri, possumque cum Isaia dicere *a a a puer ego sum, nescio loqui*; interdum legendo, interdum loquendo per interpretem verbum Dei vobis annunciabo, & quae ad salutem vestram fuerint demonstrabo. Verum quia primus est hic sermo omnium quos ad vos sum habiturus, audite me, obsecro, hac vice patienter & benigne, attentasque aures adhibete; commen-

Digitized by Google

mendantes memoriae quae dixero, & observare curantes. Si enim bene, ac quiete in hoc mundo vitam ducetis, & in alio vitam accipietis aeternam. Audite, obsecro, filioli mei in Christo Jesu, estis quippe propter curam omnes filii mei; & sicut pater naturalis disciplinam hujus saeculi suos filios docet; sic ego vobis bene vivendi regulam ostendere debeo: quod ut rite possim facere Deum supplex oro & matrem ejus Mariam Virginem, Dominam nostram, in cujus honorem vestri majores hoc templum construxerunt; nec despero meis precibus subveniri. Praesto enim est Dominus omnibus invocantibus eum: Nec beata Virgo quemque spernit, qui suum patrocinium imploravit. Audite ergo filii, addiscite normam bene vivendi, apprehendite disciplinam quam Dominus demonstravit, a quo est omne datum optimum & omne donum perfectum. Medicus ego animarum vestrarum ad vos venio; & quia potestis dicere: Medice cura te ipsum, studebo non me solum praeceptorem, sed etiam testem veritatis exhibere; & tam me quam vos docebo timorem Domini, in quo est initium sapientiae. In exordio ergo sermonis mei quae sunt infirmitates animae, quaeque molestiae videndum est; sic enim facilius remedia reperiemus.

Singulos vestrum, si verum fateri vultis, duae molestiae turbant; una est quod inquietam in hoc mundo vitam degitis; altera est quia moriendum est, timetisque ne perditis aeternae vitae gaudiis apud inferos perpetuas poenas inextinguibilis ignis incidatis. Quas molestias, si mihi obedire, credereque volueritis, levare & adimere non erit arduum; inveni namque salutiferas herbas, quas Sancti Doctores & prisci Philosophi mihi demostrarunt, quibus possim, si modo velitis, molestiis vestris mederi. Docent enim nos viri sancti, qui ad nostram salutem scripserunt, quomodo & hic in terris felicem vitam, & in caelo denique beatam possimus habere. O rem magnam, stupendam, incredibilem, inauditam! Quis est qui putet eum, qui laete jucundeque vixit in hoc saeculo, paradisum in alio obtenturum? *Luc.* XXIV, 46.
Oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam.

Mat. VII. 14. Virtus in arduo sita est: *& arcta est via*, apud Matthaeum dicit Dominus, *quae ducit ad vitam: & pauci sunt qui inveniant eam*. At ego dico juroque vobis paradisum quam infernum minor labos acquirit: arcta est via vitae, nec enim latam esse oportuit, per quas non multi erant ituri: pauci eam inveniunt, quoniam pauci quaerunt. Nemo unquam non invenit qui diligenter investigavit. Circa difficile virtus operatur, antequam in habitum venerit; postquam habitus factus est, & ut ita dicam callus, nihil difficultatis habet. Non propter se, sed propter nos passus est Christus. Nos autem propter vitam non cogimur magna pati, sed levia, sed suavia,

Mat. XI. 29. sed dulcia. Testis est ipsa veritas: *Tollite jugum meum super vos*, in Evangelio inquit, *& discite a me, quia mitis sum & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris: Jugum enim meum suave est, & onus meum leve*: Quis enim ad haec aliquid replicabit? An non est satis efficax testimonium Christi? Non bonis viris, ut La-

Institut. lib. I. cap. IV. ctantius ait, *sed vitiosis, & male viventibus amara sunt praecepta justitiae*. Multi sunt qui arduum iter in caelum, ac difficilia praedicant Christi mandata, quos ipse

Mat. XV. 7. redarguens: *Vae vobis*, inquit, *Scribae & Pharisaei hypocritae, qui clauditis regnum caelorum ante homines*:

I. Jo. V. 3. & in epistola Joannes Apostolus: *Mandata ejus gravia non sunt*. Quid amplius indigemus testibus? nisi fortasse aliquem ex gentilibus ad ruborem nostrum volumus advocare. Seneca ex Romanis acerrimus Philosophus Stoicae Sectae cum multa Lucillo suo bene vivendi praecepta dedisset; subjungit denique: *caeterum magnae indolis est ad ista non properare tanquam meliora, sed tanquam facilia, & sunt, Lucilli, facilia: cum vero multum antea meditatus accesseris, jocunda quoque; inest enim illis, sine qua nihil est jucundum, securitas*. Videtisne viri boni, honestaeque mulieres legis mandata non esse gravia, & habere jucunditatem? Dixi supra, & iterum dico, viam patere, si volumus, nobis, quae vitam hic jucundam praebeat, & post obitum ad aeternae vitae gaudia perducat. Quaeritis quaenam sit ista via? In promptu est, quod quaeritis. Quisquis relinquit vitia & virtu-

tutes sectatur, hic jam est in via. Scio vos non ambigere quoniam omnibus recte viventibus cum virtute, certus sit in caelo diffinitus locus, in quo beati aevo sempiterno fruantur. Sed vobis fortasse non videtur consentaneum jucunde vivere, qui secundum Deum vivit. Audite igitur, & agnoscetis me vera loquutum. Contemplatine aliquando estis mulierculam quampiam Christi servam, nil amplius in terris quaerentem, quamquod esset ad vivendum satis? Quae oravit in templo, in domo negociata est, in via tacita pertransivit. An non creditis hanc mulierculam feliciter vivere? cui nihil deest, nisi mori, & esse cum Christo. Vultisne Christi servos agnoscere? Qui non sunt tristes, non queruli, non maledicentes, non anxii, sed laeti semper atque jocundi: Quorum vultus semper eandem custodit serenitatem. Quorum sermo modestus, & vita sermoni consentiens. Qui semper contenti sunt eo quod adest; quod est sapientiae proprium. Stultitia vero, etsi adepta est quod concupivit, nunquam se tamen satis consequutam putat. At quid aliud est in terris habere paradisum quam laete jucundeque vivere? Caput autem jucunditatis est securitas. Virtuosi quippe secure vivunt, quia & placere se Deo sperant, & quid eis facturi sint homines minime timent. Qui vero sequuntur vitia, servi sunt vitiorum, semper in metu sunt, semper inquieti, semper in cruciatu mentis, nec bene in hoc saeculo vivunt, nec in altero spem habent. Brevis est omnis voluptas peccati, in quo semper extrema gaudii luctus occupat. Virtutis semper est jocunda possessio. Nunquam poenitet, qui secundum virtutem operatur. Post delictum mox adest conscientia, flagellatque delinquentem. Quocirca negat Epicurus, & bene negat, quemquam jocunde posse vivere, nisi idem honeste, sapienter, justeque vivat. Vitia morbos nutriunt; virtus est mater suavitatis. Si ergo rite consideratis, non est arduum intueri bonos viros, rectos, sanctos, jocunditate atque laetitia aetatem suam agere: quod est in terris Paradisum habere. Malos vero, iniquos, sceleratos in anxietate maestitia doloreque semper esse: quod est viventi in terris in-

Digitized by Google

inferni poenas tolerare. Quod si volumus evitare, necessarium est relinquere vitia, cum quibus est impossibile jocundam vitam habere, sicut jam dictum est in genere. Nunc si placet spetialius rem attingamus, ut videatis luce clarius, nullum esse peccatum sine molestia: perlevemque voluptatem, & cito casurum gaudium afferre vitia. Adhibete jam aures animae justae, & cum Dei adjutorio salvandae. Attendite non mea, sed Sanctorum verba doctorum, verba justitiae, verba sapientiae, verba quae vobis auferre molestias, & impartiri consolationem, laetitiam, salutemque poterunt. *Omne quod est in mundo*, inquit Joannes Apostolus, *concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitae.* Idem Lactantius ait: quamvis aliis utitur verbis: tres sunt affectus, qui homines in omnia facinora praecipites agunt: Ira, cupiditas, libido. Ira ultionem desiderat, cupiditas opes, libido voluptates. Ubi Joannes superbiam posuit, hic iram collocavit. Sed nascitur ex superbia nimirum ira. Nos tamen non erimus nunc in verbis curiosi, qui laboramus in rebus. Sequemur autem ordinem Lactantii, qui superbiam sub cupiditate videtur voluisse comprehendi. Studebimusque morbos istos depellere, ac mentes nostras aegritudine liberare. Est enim officium Presbyteri mederi animis, inanes solicitudines detrahere, cupiditatibus liberare, timores fugare, quod juvante divina gratia, jam in vobis incipiam facere. Principium hujus rei ira praestabit. Obsecro vos filii fratresque mei. Quid confert ira? Quid boni est in animo irato? Quid gaudii? Quid jocunditatis? Ira crudelitatem gignit, dolorem affert, poenitudinem, moestitiam, aufert mentem, rationem excaecat. Quis ridet iratus? Quis verba prudentiae inter irascendum profundit? Quid indicant oculi torvi? contortum os? erecta supercilia, frons crispata? nisi animum turbatum esse, & in amaritudine degere? Quid sibi vult illa accidia, quam praese ferunt irati? Nunquid carere ira praestat quam illi servire? At injurias sum perpessus ais: Ulcisci volo: fuerunt qui licitum esse putarunt nocere injuriantibus, inter quos etiam Cicero fuit. Non Ciceronis, sed Christi legi-

gibus vivendum est. Cujus apud Matthaeum haec sunt verba: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, praebe & alteram*. Quod & verbo docuit, & confirmavit exemplo, dum captus, consputus, caesus, flagellatus, confossus: *Pater*, inquit, *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. Dicet aliquis miranda magis quam imitanda esse Christi opera, non nego: Quid Stephanus? Quid caeteri martyres: nunquid omnes pro suis persequutoribus orarunt? Transeo nostros, gentiles cito. Quid tu obsecro Pythace, qui Christi praecepta nunquam vidisti, nec Evangelium audivisti? hic unus fuit e septem Sapientibus, quos numerare solebat Graecia, & cum de suo persequutore ulcisci posset: mihi, ait, pro vindicta, & tibi pro poena sufficiat, quod nec auxilii, nec fugae praesidio te potes salvare, quin injuriae si vellem premia reportares. Dicere quoque solebat hic sapiens, indulgentiam esse supplicio potiorem. Quid Julius Caesar, quamvis esset alias libidinosus; hoc tamen bono praeditus fuit, quod nihil oblivisci consuevit, nisi injurias. Quare nescio quod magis ad tranquillitatem mentis perducat; aut enim vindicare injuriam potes, & satis supplicii habes ex inimico cui parcis, qui eo facto continuis urgetur stimulis, iniquum se, & bonum te inspiciens; aut non potes ulcisci, & unicum remedium est oblivisci, si vis quiete vivere. Ultio autem quid aliud faciet, nisi te similem injurianti? Deliquit in te ille, invides sibi malum, potioresque sibi nequitiae partes non vis relinquere? Audite Apostolum Paulum qui ad Romanos scribit. *Date locum irae: scriptum est enim: mihi vindictam, & ego retribuam*. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Si sitit, potum da illi; hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus: *Noli vinci a malo: sed vince in bono malum*. O verba memoriae commendanda. O doctrinam salubrem. Nullum genus vindictae majus est quam ignoscere. Ille vincitur a malo qui malum vult ulcisci. Ille vincit in bono malum, qui vindictam remittit Deo. Rogo, fratres charissimi, si quis vestrum calce, vel morsu laesus equino, aut bove cornupeta vulneratus, animal laedens ferro ipse tereret at-

que

que interimeret: nonne in risum omnes prorumperetis: stultumque illum ac furiosum judicaretis? Sed aliud esse forsitan bestiarum, aliud hominum injurias perpeti creditis? Vir autem sapiens aeque unum, atque alterum fert: nec enim aliud est homo injurius quam bestia: & fortasse bestia bestior qui plus sibi nocet quam toleranti. Hinc cum Socratem quidam colapho percussisset, atque abiisset, & discipuli ejus insequi vellent percussorem, atque vindictam exigere. State, inquit, finite illum: vosne, si me asinus calce caederet, ipsum repercuteretis? Existimandi igitur sunt omnes bestiae qui injuriantur, bobus & asinis deteriores. Quod si fecerimus, facillime contemnemus injurias. *Sapiens*, inquit Seneca, ***nunquam potest injuriam pati, qui non aestimat injurias, quas sibi homines arbitrantur irrogare***. Verum si injurias contemnemus, nec vindictam exigemus, nec irae subjacebimus, nec accidiae, duobus teterrimis morbis liberati. Quamvis & accidia in aliis quoque delictis serpere soleat. Nunc ad cupiditatem transire oportet: ex qua multa emergunt vitia. Sed duo potissimè. Cupiditas nanque ad honores & potentias se extendit, in quibus est superbia; & ad opes in quibus est avaritia: atque ex his duobus rivulis conficitur, atque inflatur invidia; cum abundare his rebus cernimus quibus ipsi caremus: licet etiam libido sit mater invidiae. Nam & pulchram uxorem, & elegantis formae concubinam, & opiparas coenas, & alias voluptates invidere solemus vicinis nostris. Verum circa cupiditatem tria vulnera inveniuntur quae sanari restaurarique debent. Unum superbia, alterum avaritia facit: tertium ista duo, quoniam invidia ex alterius successu nascitur; superbia ex honore, atque potentia. Superbus est qui plus sibi arrogat quam debeatur. Idem tumens dici potest & inflatus opinione sui. Sed veriori nomine ambitiosus, cujus est majora cupere, quam mereatur, & praesertim circa honores atque potentias. Quis ergo ambitiosi, sive superbi est animus, quam laetus, quam quietus, quam alacer, quam jocundus, licet inspicere, remque omnem expendere. Potestne quisquam superbus esse tranquillae mentis? Cum

res

Digitized by Google

res caducas, fragiles, & in alterius potius quam in fua poteftate conftitutas fequatur. Propter honorem multi fiunt hypocritae, exterminantes faciem fuam ut appareant hominibus jejunantes; intus autem funt lupi rapaces. Ad quos Dominus in Evangelio: *Vae vobis*, inquir, *Scribae & Pharifaei, qui fimiles eftis fepulchris dealbatis, quae foris apparent hominibus fpetiofa, intus autem plena funt offibus mortuorum, & omni fpurcitia*. Verum quam vanum eft in honore fuum finem ponere, honorique infervire: quem faepius mali quam boni affequuti funt. Numquam invenies aliquem qui Deo fimul, & honori hujus faeculi infervire poterit. Videamus tamen qualis eft vita illorum qui venantur honorem. Quis unquam fequutus honores, menti fuae fatisfecit? Quis non majores optavit honores quam confequutus effet? Quidam poftquam omnibus honoribus functi funt, qui hominibus praeftari folent, divinos honores affectaverunt. Sicut de Alexandro, Neroneque & multis aliis legimus. Eft autem infatiabilis appetitus honoris. Sed illud in hoc miferrimum eft, quod ad judicium multitudinis honores adipifcimur, quae faepius malos quam bonos viros honorare confuevit. Nemo praeterea tot tantaque fecit, quin ubi deftitir, a multitudine deferatur oblivionique detur. Quo fit, ut qui cupidus eft honoris, is nunquam poffit effe quietus. Servit enim vulgari opinioni, cui non folum in dies, fed in horas praebendum eft aliquid admiratione dignum. Nos vero honorem iftum fpernere debemus, imitarique fanctos Patres, qui faeculi honores, tanquam peftem aliquam faeviffimam devitarunt. Joannes Apoftolus cum vidiffet Cratonem Philofophum ex contemptu mundi coram plebe gloriam quaerere, ac difcipulos ejus pretiofas margaritas in publico terere: Stultus eft, inquit, ifte mundi contemptus, qui hominum ore laudatur, condemnatur autem divino juditio. Superbi ergo qui venantur honores, nec Deo placent, nec fibi quiete vivunt. Quaerunt enim quod non poffunt affequi. Quidam fuperbi funt, qui fe vel nobiles, vel virtuofos, vel literatos, vel aftutos gloriantes, dedignantur caeteros, ad quos Paulus Apoftolus: *Hoc enim,* in-

nquit, *sentite in vobis, quod & in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, se esse aequalem: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem factus, & habitu inventus ut homo; humiliavit semetipsum, obediensque usque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur caelestium, terrestrium, & infernorum*. Quis est qui se velit exaltare, cum Christus Dei Filius seipsum exinaniverit? Cum superbia ruinae subjaceat, humilitas exaltationi, quid est in te homo dignum laude? Quid fecisti cinis? Quid superbis terra? Quid habes, ut Pauli Apostoli utar verbis, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris? quasi non acceperis. Abiice hunc fastum, hanc ventositatem: Scito te hominem esse, cogita quia breves sunt dies tui. Superbia tibi nihil affert boni; semper plus vult, quam habet: non socium, non amicum patitur: & cum omnes subjicere sibi velit, omnium calcatur pedibus. Nulla pax est, nulla quies ubi superbia dominatur. Inter superbos, inquit sapiens, semper jurgia sunt. Nos vero si pacem volumus, si tranquille vivere cupimus, si Paradisum in terris optamus, honores istos mundanos oportet fugere, quos Christus contempsit, Apostoli refutarunt, Discipuli spreverunt, & omnes Sancti quasi perniciosissimam pestem ab sese abdicarunt. Ad potentiam transeo, quam superbia non minus, quam honores exoptat. Quid boni est in potentatibus? Quid est quod tantopere quaeritur? estne melius Principantibus quam privatis hominibus? Regibus multo pejus est, inquit Crispus, quam servientibus. At pulchrum est fieri statim quod jusseris, splendidis uti vestibus, longum famulantium ordinem ducere, exquisitissimis frui cibariis, egregiis equis insidere, uxores habere quot velis. Sed nescitis inter tot voluptates, quot amaritudines misceantur? Sine securitate nihil potest esse jocundum: principantes in assiduo versantur metu. Nunc venenum timent, nunc ferrum. Quod si aliunde non intelligetis, aspicite altos muros, profundas foveas, pontes elevatos,

tos, ferrata ostia, custodes ubique manentes. Quid haec aliud nisi metum indicant? Non fratribus, non consanguineis confidunt, nec illis ipsis quos sui corporis custodes statuerunt. Dionysius Syracusanus asseveranti cuidam felicem vitam Principes ducere: mecum, inquit, ad coenam venito; paritum est, coenatur. Interim super caput illius suspendi equina seta gladium acutum e laquearibus Dionysius jussit. Quem cum aspexisset hospes, quamvis saepe invitatus coenare non poterat; rogavitque sibi quid hic gladius vellet. Ad quem Dionysius, sicut tu inquit nunc vivis, sic assidue vivunt Principes; & rectè sane, nunquam enim sine metu sunt, qui Civitatibus, & Provinciis dominantur. Sicut in fabulis, ad morem Sisiphi casurum saxum semper supra se reformidant. Adde conscientiae stimolos. Sciunt Principes debitum suum esse tam parvo quam magno justitiam ministrare. Propterea namque creati sunt. Quod cum negligant, non sunt absque remorsu. In coenis vero & aliis voluptatibus cum assidue versentur, non sentiunt jocunditatem. Quia non assiduitas, sed raritas efficit sapidas voluptates. Si quis praeterea numerare Principes posset, quos vel ferrum, vel venenum perdidit, in comparationem multitudinis, & paucitatis multò sunt plures quam plebei. Quocirca tutissimum est potentias non ambire, quae multo plus habent molesti, quam jucundi. Nos vero, si potentiam contempserimus, & honores, magnam cupiditatis partem sedaverimus. Tranquillamque vitam securam & quietam, in qua est felicitas, poterimus consequi. Sed sunt etiam alia curanda vulnera, si volumus integram sanitatem nancisci. Sicut enim febre remota non est sanum corpus quod iliorum dolore laborat; sic adhuc aeger est animus, in quo sublata superbia remansit avaritia. De hoc igitur avaritiae vitio in praesentiarum dicendum est, in quo plures mortales periclitantur. Vos si morbum hunc curari vultis attendite. Est enim admodum pestifer, nec illum cognoscunt, nisi qui rectè seipsos expendunt. Avaritiam dicit Cicero vehementem esse opinionem de pecunia, quod valdè sit expetenda, inhaerentem penitus & insitam. Augustinus in eo, quem scri-

psit de libero arbitrio, libro, avaritiam censet esse plus velle quam satis est. Alii diffiniunt avaritiam esse habendi cupiditatem immensam, vel potius famem quandam divitiarum cumulandarum. Vitium hoc & divino & humano judicio reprobatur, damnaturque. Paulus ad Ephesios: *Hoc enim scitote*, inquit, *quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet haereditatem in Regno Christi, & Dei*. Ecclesiasticus verò: *nihil est*, ait, *avaro scelestius*. Et iterum: *nihil est iniquius quam amare pecunias*. Hic enim animam suam venalem habet. Contrariatur autem avarus duobus maximis, quae sunt in lege mandatis: nec enim Deum diligit cum sit idololatra; nec proximum quem spoliat. Salustius verò, avaritia, dicit, pecuniae studium habet, quam nemo sapiens concupivit. Jam intelligitis damnatum & grande peccatum avaritiam continere. Nunc qualis sit avarorum vita discutiamus, & an aliquid in ea sit quo delectemur. *Avarus*, inquit Eccli., *non implebitur pecunia*, & *qui amat divitias, fructus non capiet ex eis*. Et Satyrus poëta:

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Intueamur avari mores, atque naturam. Quis est pecuniae studiosus qui unquam quiescat, qui pacem habeat, qui noctes non ducat insomnes, qui sine pavore sit, sine anxietate, sine cura diurna atque nocturna? semper lucrari studet, aut parta tueri. Estque in lucrando anxietas animi, in custodiendo timor; per mare, per saxa, per ignes, per strictos enses lucra sectatur: non comedunt, non bibunt avari; sed omne studium cumulandi est. Ajunt se casus vereri fortunae, & arcam potius plenam quam ventrem cupere. Rectè, si hoc facerent tanquam naturam sequentes, quae paucis minimisque rebus contentatur. Stultè, quia pecuniam cumulando, evitare fortunae impetum credunt. Non enim qui amat, sed qui spernit pecunias, fortunae resistit. At avarus nihil magis timet, quam pecunia carere, & ut non

ca-

careat, ſemper caret. Avaro namque tam deeſt quod habet, quam quod non habet. Timet paupertatem, & ipſe ſemper eſt pauper. Non enim qui parum habet, ſi modo contentus eſt, ſed qui plus cupit quam habet, is pauper eſt; cujuſmodi eſt omnis avarus, qui omnibus nocet, omnes lædit, omnibus eſt infenſus, dum ſibi aliquid quaerat. Avaritia omnem virtutem aufert; ſine amicitia, ſine benevolentia, ſine charitate vivit avarus, plenus fraude, malevolentia, impietate, nulli bonus, ſibi peſſimus; qui nihil rectè facit, niſi cum moritur. Audiamus Paulum Apoſtolum, cujus ad Titum haec ſunt verba: *Nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium quia nec auferre quicquam poſſumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociva, quae mergunt homines in interitu, & in perditione. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas.* Jam cernitis omnia mala ex avaritia provenire. Quid igitur in ea re poteſt eſſe bonitatis, ubi eſt omne malum; quid jucunditatis, quid laetitiae? nullum poteſt eſſe verum gaudium ubi tot ſcelera reperiuntur conjuncta. Nos autem ſi volumus pie, juſtè, tranquillèque vivere, abjiciamus hoc vitium, quod eſt omnis laetitiae omniſque jucunditatis expers, Salvatoriſque noſtri vocem audiamus, qui non in terris ubi aerugo, & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur, ſed in coelo dumtaxat theſaurizandum jubet. *Nemo naſcitur dives*, inquit, Seneca: quiſquis exit in lucem juſſus eſt lacte & pane eſſe contentus. Si quis tamen vult dives fieri, dabo vobis certam regulam: non cumulando pecunias, ſed minuendo cupiditatem divites eritis. Qui contentus eſt fortuna ſua, is dives eſt. Et nos igitur per hunc modum divites eſſe nitamur. Sic enim & teterrimum vitium avaritiae fugiemus, & vitae tranquillae gaudiis potiemur, non ſolum ſuperbia atque avaritia, ſed invidia quoque nudati. Nam qui nec potentiam appetit, nec glicit honores, nec opes ſequitur, quod cuiquam invideat, nihil habet, niſi fortaſſe voluptates ſectetur, de quibus poſt dicemus.

Cur enim potenti invideat, quem brevi casurum noscit? Cur honorato, qui mox carebit honore? Cur opulento qui quod habet non habet? Caeterum hoc vitium, carissimi, quod invidiam appellamus maximè fugiendum est, si non solum placere Deo, sed etiam nobis vivere volumus. Prohibuit omnem sanè invidiam Dominus, cum proximum diligi jussit. Quomodo enim tanquam se ipsum diligit proximum, qui de proximi successu tristatur? Hoc etiam vitium gentiles explodunt. *Cor non comminducabis*, inquit Pythagoras, quasi non invidendum diceret. Comedit enim cor suum quisquis invidet. Invidia, ut Cicero putat, in eo est qui invidet, & in eo cui invidetur. Invidentiam autem dicunt Stoici aegritudinem esse, susceptam propter alterius res secundas, quae nihil noceant invidenti. Nos ergo invidiam invidentiae loco suscepimus, ne simus in verbis occupati. Sic enim communis habet usus loquendi. Vidistis, carissimi, nonnunquam vicini segetem in agro quam multam surgere, pratum herbidum, pingue pecus, lanosum gregem, & doluistis, invidia est, fugienda est. Laetari, non dolere debemus, cum proximo nostro bene videmus esse; nam si defuerit nobis victus, habemus ad quem recurramus. Invidere autem quid confert? quid boni habet? Estne aliquis vestrum, quem oblectet invidia? an non est in poenis atque suppliciis omnis invidus? *Animus gaudens*, inquit in parabolis Sapiens, *aetatem floridam facit; spiritus tristis exsiccat ossa; tristis est omnis invidus*. In omnibus vitiis videtur esse aliquid jucunditatis, quamvis non vera jucunditas est, quam vitia parant. In invidia nec est voluptas, nec apparet; non ei cui invidet, sed sibi ipsi nocet invidus, se laedit, se macerat, se cruciat, de se ipso supplicium sumit. Bene ait ille poëta: invidia Siculi non invenere tyranni majus tormentum. Verum ut videatis quam miser sit qui deditus est invidiae, non verebor ingeniosi vatis verba referre quamvis gentilis. Afferunt magnum lumen nonnunquam ad fulminanda vitia litterae saeculares, sicut & Basilium & Divum Hieronymum novimus dicere. Quid igitur de invidia dicat Ovidius, animadvertite. Domum primum

de

Digitized by Google

describit ubi manet invidia. Est operae pretium ista cognoscere.

Protinus invidiae nigro squallentia tabo
Tecta petit, domus est imis in vallibus hujus
Abdita, Sole carens, non ulli pervia vento,
Tristis & ignavi plenissima frigoris, & quae
Igne vacet semper, caligine semper abundet.

Talis est domus omnis invidi, squallet putrido sanguine, qui rixas videre cupit, & sanguinis effusionem. Est in vallibus, quia in tenebris & mentis caecitate consistit; sine Sole, sine lumine, sine vento, sine refrigerio, plena frigore, igne carens, quia charitatis non habet ardorem. In caligine, in errore atque ignorantia. Sic domus est invidi. Sed qualis invidia videt intus edentem? Vipereas carnes vitiorum alimenta suorum invidiam. Et iterum:

Surgit humo pigra, semesarumque relinquit
Corpora serpentum, passuque incedit inerti.
Pallor in ore sedet, macies in corpore toto;
Nusquam recta acies, livent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno,
Risus abest, nisi quem visi fecere dolores;
Nec fruitur somno vigilantibus excita curis;
Sed videt ingratos, intabescitque videndo
Successus hominum, carpitque, & carpitur una.

Qualis invidia est, talis est invidus, iners, pallidus, macer, strabo, comedit viperas, idest cor suum viperinum; in lingua & pectore fert venenum; non ridet nisi ex alieno malo; rubiginosi dentes, ut cum mordeant magis laedant; ex alieno bono dolet, semper detrahit aliis, & sibi quoque detrahitur. Estque omnis invidus sibi supplicium, ut poëta subjungit. Habetis quid sit invidia, quantum noceat, ut quietam vitam impediat, & ut sine molestia nunquam sit, plane cernitis. Nunc officii nostri est hunc morbum relinquere, & induere charitatem sibi con-

contrariam, si feliciter volumus vivere, & non cum accidia, quae alumna est invidiae, semper tristis, semper torpore atque inertia plena. Sic enim ex tribus affectibus, qui mentes nostras excaecans duo, abdicaverimus iram, atque cupiditatem. Superest tertius, quem libidinem vocitamus. Libido voluptates sequitur. De qua re dicam quid sentiant auctores sanctique viri, quod non minus praestat agnoscere, quam ea quae supra retulimus. Sunt enim admodum pauci qui voluptate non capiantur. Quidam verò etiam summum bonum in ea collocarunt, & animam simul perdiderunt & corpus. Expedit igitur hunc affectum depellere, nec voluptates ullas sequi, quae non sint honestae. Quinque igitur sunt hominum sensus, per quos voluptas animo, aut corpori quaeri videtur. Tactus, gustus, odoratus, visus, auditus. Ex his omnibus, ut Aristotelem dicere Macrobius asserit, voluptas quae immodicè capitur, turpis & improba est; sed ea praesertim quae ex gustu tactuque est. Ea igitur gemina voluptas, sicut sapientes viri censuerunt, omnium rerum foetidissima est, istasque duas voluptates cibi & Veneris solas hominibus communes esse videmus cum bestiis; atque idcirco pecudum ferarumque numero habetur quisquis est his voluptatibus occupatus. Ex aliis tribus sensibus proficiscentes voluptates hominum propriae sunt, non tamen extra modum, neque in turpibus rebus sumendae. Quis igitur habens aliquid humani pudoris, voluptatibus his duabus, coëundi, atque comedendi, quae homini cum sue atque asino sunt communes, gratulari potest? Socrates dicebat multos homines propterea velle vivere ut ederent & biberent; se bibere atque esse ut viveret. Hyppocrates autem, divina vir scientia, existimabat coitum Venereum partem esse quandam morbi teterrimi, quem nostri Comitialem dixerunt. Pythagoras verò dicenti cuidam: mallem cum mulieribus, quàm cum Philosophis conversari; & sues, inquit, libentius in coeno quam in aqua versantur, luxuriososque homines porcis adaequavit. Intellexistis quid gentiles de gula atque luxuria sentiant? Jam nostri quid dicant attendite. Inter praecepta Legis est il-

illud: *non moechaberis*. In Evangelio autem inquit Dominus: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est in corde suo*. Ad Corinthios verò scribens Paulus: Templum Dei nos esse dicit, & spiritum Dei habitare in nobis, & omnem qui templum Dei violaverit disperdendum esse a Deo. Quibus ex verbis damnandos esse libidinosos nequaquam ambigimus, tanquam templi Dei violatores. Nam & ad eosdem Corinthios idem Doctor: *Fugite*, inquit, *fornicationem: omne enim peccatum quodcumque fecerit homo extra corpus est; qui autem fornicatur in corpus suum peccat*. Violatur ergo per fornicationem templum animae quod est corpus, & anima illinc suscipit labem, & immunditiam, quae Dei est templum: In luxuria namque est omnis immunditia, cum nupta, vidua, moniali, virgine, meretrice. Superius autem dixi vobis ex auctoritate Pauli, nullum fornicatorem in regno Christi haereditatem habiturum. Poena ergo luxuriae est haereditatis aeternae privatio. Idem quoque de gula vobis dixerim; nam & gula mater est luxuriae. Hinc ad Ephesios Paulus: *Nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo est luxuria.* Sed audite Prophetam Isaiam, & terreamini omnes, qui ebrietati, crapulaeque incumbitis, aut potius emendetis vitam: *Vae qui surgitis mane ad ebrietatem sectandam, & ad potandum usque ad vesperam, ut vino aestuetis. Cythara & lyra & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis vestris, & opus Domini non respicitis*. Et iterum. *Vae qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem*. Audistis Prophetam; non parum est quod inquit *Vae*; per hoc enim verbum aeternam mortem comminatur, sicut & Christus dum ait: *Vae vobis Scribae, & Pharisaei, qui decimatis anetum, &c.* Verba sunt enim aeternum supplicium comminantia. Crapulosi namque, & ebriosi regnum Dei non possidebunt, Non prohibeo vobis vinum, carissimi, sed ut modicè sumatis instruo; non ad extinguendam sitim, quod aqua melius faceret, sed ad reficiendum reintegrandumque animos, ad instauranda sobrietatis officia, sicut & Platonem de legibus refert

vo-

voluisse Macrobius. Scitis enim ex testimonio David quia vinum laetificat cor hominis; quod intelligendum est si moderatè frugaliterque bibatur: immodicè verò sumptum gignit ebrietatem, & in omnem turpitudinem provolvit hominem. Sic de Loth legimus qui vino inebriatus cum propriis filiabus jacuit. Sic etiam de carne praeceperim: Cum propriis uxoribus jacere non veto, sed refero vobis ad Thessalonicenses Paulum, ipsum audite, atque sequimini. *Haec est enim*, inquit, *voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderii, sicut & gentes, quae ignorant Deum*. Cum propria dormire conjuge sobolis procreandae causa, ac propter evitandam fornicationem; comedere & bibere ad sustentationem corporis permissum est. Quidquid aliter fit, delictum habet. Verum quia adhuc de voluptatibus loquimur, videamus quid mali afferat voluptas gutturis atque veneris, non dico de coelestis amissione regni; hoc enim jam est ostensum; sed quomodo etiam in terris vitam nobis felicem eripit, infinitasque infert calamitates & animorum perturbationes, inquietationesque mentis, cum quibus nulla potest regnare jucunditas. De voluptatibus ergo sic accipite, quoniam nulla capitalior pestis est hominibus, nulla noxior, quàm voluptas corporis. Sic Archita Tarentinus clarus Philosophus solebat dicere; homines namque qui voluptatibus dediti sunt, hujusmodi patrimonium liguriunt, omnesque dissipant facultates, ut tamen perseverare possint, ac voluptatibus suppeditare sumptus, omnibus se periculis objectant, & omnia aggrediuntur scelera, nullumque malum facinus est, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impellat. Nihil praeterea Deus atque natura praestabilius mente dedit hominibus; per hanc enim bona & mala cognoscimus, & per hanc Deo similes sumus. At huic tam divino muneri ac dono nihil est tam inimicum quam voluptas. Dominante namque libidine non habet temperantia locum; neque in regno voluptatis potest consistere virtus. Quisquis enim aut venereis, aut cibi potusque voluptatibus

tibus est immersus, nihil agitare mente potest, nihil ratione, cogitationeque consequi. Tantum pensi est inebrio, quantum in porco; cibo plenus, crapulaque distentus, iners, tardus, ac somnolentus est, extra se est, & alienus a mente. Quisquis luxuriae succubuit, quo major est voluptas corporea, eo magis animi lumen extinguit. Plato Philosophus sapientissimus voluptatem omnium malorum escam appellat, quod ea videlicet homines capiantur ut pisces. An non videtis ad cellas vinarias ramos frondentes poni, homineſque illuc quasi pisces currere, & quasi hamo capi, dum inebriantur, mentemque perdunt, ac bestiis fiunt simillimi? Sed non solum mentem perdimus voluptatibus delibuti corporeis, quod maximum est; sed etiam corpus ipsum cui servimus reddimus imbecillum, corruptum, putridum. Mater est enim omnium infirmitatum Venus; cibus autem atque potus plures interficit homines quam gladius. Addite molestiam mentis cum nos absumpsisse patrimonia voluptatis causa cernimus. Foedissimus, inquit Seneca, patrimoniorum exitus est culina. Juvenalis autem de immoderato cibo sic ait:

Hinc subitae mortes, atque intestata senectus.

Nemo est quem non tandem poeniteat immoderatae voluptatis. Cum aegrotamus in lecto, tum potum, tum cibum, tum coitum habemus odio. Nec unquam in his deliquisse vellemus, & abstinere deinceps promittimus; liberati tamen nequaquam servamus. Quod si quis ita viveret quemadmodum in adversa valetudine se victurum spopondit, is proculdubio bonus, sanctus, felixque vir esset, & viveret hic in terris jucundè, & post obitum vitam beatam consequeretur. Videtis, dilectissimi, quomodo in omnibus vitiis nihil est laetitiae, nihil jucunditatis, nihil verae fixaeque voluptatis. Sed contra vitiosi omnes inquieti sunt, moesti, tristes, insani, furiosi, nullam vel corporis vel animi, quae duret, consolationem sentientes. O igitur pium, ac clementissimum Deum! O prudentiam ineffabilem majestatis aeternae!

O veram divinae pietatis charitatem! Nihil nobis Deus praecipit, nisi quod nobis est sanitati, nihil mandat nisi quod est utilitati, nihil injungit nisi quod est jucunditati; rectè ergo vereque dicitur: *Jugum meum suave est, & onus meum leve*. Nec enim ad aliquid nos Deus astringit, quod nobis in terra manentibus, & ad suavitatem corporis, & ad quietem mentis non sit necessarium. Nos ergo, si quemadmodum ab initio promisi, Paradisum in terris volumus possidere, tranquillitatem paceinque possidentes, abiiciamus a nobis opera tenebrarum. Sit procul ira, absit libido, facessat cupiditas. Si non sunt divitiae non appetamus, quae plus curarum quàm voluptatis afferunt. Si res nostra nobis non sufficit, sufficiamus ei parce viventes, ut Socrates monuit. Si minor est noster ager quam vicini, minori opera indiget. Si non sunt pecora, non timemus raptores. Si parva est domus, minori cum damno ruet. Si pecuniam debes, creditori magis quam tibi est cura. Si ventura est paupertas, scies qui veri amici fuerint, & illi te non deserent, nec tibi victum negabit Dominus, qui dat escam omni carni. Si deformis est uxor, non vereris moechum. Si vitiosa est & litigiosa, habes domi unde patientiam discas. Si non sunt liberi, non times pestem, & levior est inopia rerum, quam cum paucioribus toleras. Si sunt filii nec habes unde nutrias, invenies qui nutriat, & gratiam Deo referre debes, qui ex duobus tibi quod magis amas dedit; quaerebas enim liberos atque divitias, jam verò filios cum divitiis non commutares, sicut barbari faciunt & praesertim Scythae. Si nubilis est filia, nec dotis pecuniam habes, magna dos est cum virginitate probitas. Si princeps nimis emungit, nihil tuum aufert, nihil enim in hunc mundum portasti. Si mendicare cogeris, memento quod Christus, & Apostoli, & alii multi Sancti eleemosynas petiverunt. Si sunt illatae injuriae, minus tibi quam injurianti nocuerunt. Si mala tenêris valetudine, vel morte, vel sanitate liberaberis. Si non es corpore pulcer, animi pulchritudinem quaere, ex qua magis Deo placebis. Si vili te in loco pater genuit, non quali sis natus patria,

tria,

tria, sed quali sis dignus considera, & fac ut bene vivendo supernae civitatis Hierusalem civis efficiaris. Si non es literatus, & in saeculo sapiens, stude ut in simplicitate cordis Deo placeas, apud quem sicut Paulus dicit: *Stultitia est hujus mundi sapientia*. Si non habes dominium neque potentiam, non est cur tibi parentur insidiae. Si non honoraris, non est unde superbias Si mortuus est filius, mortalem genueras. Si caecus es, non vides mala multa quae fiunt. Si surdus es, non audis cytharedi vocem, nec stridorem ferri cum acuitur, nec grunnitum porci cum jugulatur audis. Si servus es; & regina Hecuba, & Plato, & Diogenes Philosophi serviverunt. Si exul ex patria, totum mundum esse patriam tuam cogita, sicut Socrates, & non existimabis te exulem. Si senex es, gaude quia privatus es his voluptatibus quae te in perditionem adducebant. Si mors appropinquat, laetare quia corporis carcere cito exibis, & sic vivito, ut lucis potius quam tenebrarum loca adire jubearis. Sed ne per singula discurramus, quod est non minus taediosum quam longum; si quis hujus saeculi quae dicuntur mala facilius vult tolerare, apud Euripidem, quod Theseus fecisse dicitur, imitari debet. Sic enim ait:

Futuras mecum commentabar miserias,
Aut mortem acerbam, aut exilii moestam fugam,
Aut semper aliquam molem meditabar mali,
Ut si qua injecta diritas casu foret,
Ne me imparatum cura laceraret repens.

Cogitare debemus & animum nostrum ad omnia parare, quae possunt accidere, ac non solum quae ante oculos sunt, sed etiam futura de longe prospicere, ac praemeditari omnia, ne nos improvisos tempestas submergat. *Minus* enim, inquit B. Gregorius, *jacula feriunt quae praevidentur, & nos tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra haec per providentiae clypeum munimur*. Infirmitates namque, dilectissimi, quae nos affligunt, exilia, captivitates, vulnera, mortes,

inopiae, filiorum orbitates, delicta conjugum, detractiones & caetera istiusmodi, quae videntur mala, mentemque vexant, communia sunt & bonis & malis viris; sed malis duriora quàm bonis; armat se namque patientia vir bonus, redditque laeviora quaecumque eveniunt: mali autem opprimuntur & deficiunt sub pondere. Et quamvis in Apocalypsi dicat Joannes: *Ego quos amo, arguo & castigo*; & iterum ad Titum Paulus: *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu persequutionem patiuntur*: ac rursus ad Hebraeos: *Quem enim diligit Dominus castigat, flagellat enim omnem filium quem recipit*. Et postea: *Quis enim filius quem non corripiat pater?* Non sunt tamen ad mortem hujusmodi correctiones, sed ad vitam, ad quas facilius sustinendas verborum Senecae meminisse debemus, qui sic ait. *Deus homines pro liberis habet; sed corruptos, & vitiosos luxuriose ac delicatè patitur vivere, quia non putat emendatione sua dignos. Bonos autem, quos diligit, castigat saepius, & assiduis laboribus ad usum virtutis exercet, nec nos caducis ac mortalibus bonis corrumpi ac depravari sinit*. Quae verba cum Paulo conveniunt qui ait: *Mali autem homines & seductores proficiunt in pejus errantes*. Quae omnia non sunt contraria his quae praemisi, dum bonos omnes viros possidere in terris dixi paradisum. Nam etsi persequutionem patiantur, non tamen minus felices sunt, quia mentis tranquillitatem & pacem non perdunt. Cogitant namque semper quod Epithetus Philosophus ait, non omnino Deo exosos esse, qui in hac vita cum aerumnarum varietate luctantur; sed esse arcanas causas, ad quas paucorum hominum potuit pervenire curiositas. Verum sicut cupidis gloriae militibus leves habentur belli labores, semperque jucundi videntur & hilares; sic athletae Christi tanto magis laetantur, quanto majora patiuntur incommoda, nam & Stephano lapides, & Laurentio carbones dulces fuerunt. Qui verò perfectionem hanc non possunt attingere, doloresque sentiunt, secum ipsi Lactantii dicta revolvunt ac se consolantur, cujus haec verba sunt: *Exiguis enim momentis status rerum humanarum novantur*,

tur, nec prosperitas diuturna, nec aerumna est pertinax. Ita nec miserum esse, nec contra, perpetuum est, sed alternae sequuntur, & in iisdem variae vices rerum, quae omnia vir bonus considerat, & in miseria quamvis miser esse non possit, foelicitatem sperat. In foelicitate verò fortunae mutationem meditatur, & armat se, ne prosperitate desinente in adversitate deficiat. Mali autem & in adversitate desperant, & in prosperis rebus superbiunt; nec secundae, nec adversae fortunae sciunt modum tenere; miseri dum fortuna arridet, & dum irascitur miseriores, nec uni, nec alii statui convenientes. Verum ego, dilectissimi, cum hominum vitas intueor, & quid quaeque gens agat attente considero, non video genus vitae, in quo homines & jucundiùs & salubrius versari possint quàm vestrum est, qui colitis agros & in rure commoramini sequestrati ab omni civili ambitione atque furore, qui, si non habetis magnas divitias, cum Sapiente potestis dicere: *Melius est parum cum justitia, quàm multi fructus cum iniquitate*; qui rationem habetis cum terra, quae nunquam recusat imperium, nec unquam sine usura reddit quod accepit; qui non pestiferas, si vultis, sed sanas atque jucundas in colendis agris potestis percipere voluptates; qui non solum ex fructu, qui est honestissimus, sed etiam ex ipsius terrae vi atque natura delectamini. An non est jucundum visu, cum terra ipsa gremio suo mollito, bene culto, atque subacto sparsum semen excipit, quae primo occatum cohibet, dein tepefactum vapore & compressu suo diffundit, & elicit herbescentem ex eo viriditatem, quae nixa, ac substentata radicibus & fibris stirpium sensim adolescit, culmoque tecta geniculato vaginis jam quasi pubescens includitur, e quibus cum emerserit, effundit frugem, ordinibus spicarum structis, & contra avium minorum morsus aristarum vallo munitur: ex hinc metitis & in horreum defertis. Credo vos non posse satis delectationem vestram enarrare quam percipitis, dum vim omnium quae generantur e terra conspicitis, quae facit ut ex tantulo grano, aut ex acino vinaceo, aut ex caetera-

rum

rum frugum, aut ſtirpium minutiſſimis ſeminibus tantos truncos, ramoſque procreet, quanta in hortis pomariis, lucis, pratiſque jucunditas dat, quorum cultura & natura ipſa delectat. Sunt irrigationes, foſſiones agri, repaſtinationes, quibus fit multo terra foecundior. Quid cum pinos maloſque inſeritis, ac ex agreſti arbore, aſpera, & inutili domeſticam mollem ac utilem redditis? Quanta in pecudum paſtu voluptas, quanta in lactis munctura, quanta in pullis novellis cornua producentibus & ungulas, quanta in apium examinibus, & florum omnium varietate? Quid de venandi piſcandique oblectatione; quid de aucupiis loquar? Omnia iſta licita & honeſta ſunt exercitia, voluptateſque permiſſae quae ſuſcipiuntur ex eis. Si modo rerum iſtarum ſtudio ab aliis juſtitiae & pietatis officiis non ceſſatis; ſi ſtatis contenti fortuna veſtra, ſi nulli infertis injuriam: credite mihi, facile vobis eſt coelum acquirere in hac veſtra communi & ruſtica vita. Hinc eſt quod inter ruſticos quàm urbanos homines, qui feliciter viverent faciliùs ſunt reperti; ſicut de Aglao Arcade ruris cultore, qui rege Perſarum felicior judicatus fuit. Solon autem unus e ſeptem ſapientibus interrogatus a Rege Lidiae potentiſſimo, qui ei viderentur eſſe felices: non reges aut magnates, urbiumque cultores, aut hos quos dicimus nobiles, ſed eos qui ſine fama forent, ignorarentque vitia, reſpondit eſſe felices, cujuſmodi homines in rure ſaepiùs quàm in urbibus reperiuntur. Vos tamen, ſi vultis eſſe felices (debetis autem omnes velle) non invidere divitibus debetis, ſed ſcire quia magnae divitiae ſunt lege naturae compoſita paupertas, ut Seneca ait; ne plus cupere quam adſit, ac laetari vos eſſe pauperes quia ſecura eſt paupertas & expedita; nec de cibo anxios vos eſſe oporter, quia facile eſt paſcere paucos ventres bene inſtitutos, & nihil aliud deſiderantes quàm impleri. Parvo fames conſtat, magno faſtidium. Quod ſi haec perfectiora non poteſtis attingere, nec paupertatem quaſi divitias reputare, hoc ſaltem efficite, ne vel divitias in prima felicitatis parte ponatis, vel paupertatem in ultimo miſeriarum ſtatu collocetis.

Quia

Digitized by Google

Quia divitiarum saepè frons hilaris, multis intus amaritudinibus est referta; & paupertatis horridior aspectus certis bonis & solidis nonnunquam abundat; & si divitias laudatis dicite cum Sapiente: *Quia bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia*; quae si reperiri debet, faciliùs apud vos ex fructu terrae viventes, quàm apud cives ex pecunia mercaturisque lucra trahentes comperietur: si modo veraces esse vultis, fideles, sinceri, recti; vestrum namque negotium cum terra est quae sine verbis reddit quod accepit; illi cum hominibus mercantur, nec lucrari multum possunt nisi admodum mentiantur. Estote igitur contenti vestra fortuna, carissimi, & si non habetis maximas facultates, gaudete quia non deest vobis victus. Mihi amictui est, dicebat Anacharsis Philosophus Scythicum tegmen, hirsuta scilicet aliqua pellis, sicut de Joanne Baptista legimus: *praebebat hirtum tegmen Camelus*; calceamentum est solearum callus, cubile terra, pulmentum fames, lacte, caseo, carne vescor. Vobis melior est quàm illi, qui & laneas vestes, & calceos non ex vestro, sed & ex alieno habetis corio, dormitisque mollius, si non pluma omnes, at non in terra. Merito ergo contenti esse debetis, paupertatemque vestram jucundè ferre, cum ille hilariter summam gestarit inopiam, ac se sic felicem existimaret. Quod si feceritis, ut vos precor & moneo, ducetis hìc in terra felicem vitam, laetamque, tranquillam, hilarem, nudatique passionibus singulis, quam vobis ab initio promisi, invenietis & possidebitis Paradisum. Caeterum quia non cives in hoc mundo, sicut ait Socrates, sed peregrini sumus, aliam patriam aliamque civitatem inquirentes; cumque parum sit quod hic vivimus, vitaque nostra sicut fumus transit, & qui hodie adest; cras aberit; non satis est vobis haec Paradisus, de qua sumus loquuti, quia finem habet, & brevem. Inquirenda est igitur altera paradisus coelestis, ad quam adipiscendam omnes navare operas, omnes curas adhibere, omniaque impartiri debemus studia, ut ibi sine fine divitiis illis fruamur, atque delitiis, quae tot tantaeque sunt, ut nec dici possint nec cogitari. Sed

quam-

Digitized by Google

quamvis omnia, quae dicta sunt, gradus quidam fuerint & scalae, per quas ire in coelum debemus; non tamen sufficiunt, nec portas illas Paradisi possunt aperire, nisi alia conjungamus. Ducunt nos ista quae praemissa sunt usque ad coelum; sed cum illuc ventum est, antiquus ille gravisque senex prolixam barbam demulcens, aeternae vitae claviger B. Petrus Apostolus nequaquam nobis aperiet, nisi quatuor aera obtulerimus. Sunt enim omnes janitores avari, nec ulli aperiunt nisi corrupti muneribus. Vos scitis qui aliquando principum atria visitatis, qui nihil magis horretis quam janitoris iratam faciem. Sic ergo & B. Petrus terribilis est, nullique exorabilis, nisi qui suum sibi tributum reddiderit. Quicumque igitur vult post obitum suum Paradisi portas intrare, is quatuor aera secum deferat, non adulterinae, sed verae monetae. Antiqui Gentiles stultè crediderunt apud inferos esse flumen, quod transire haberent omnes, qui ad felices campos (quos Elisios appellabant) essent ituri, ibique nautam exposcere naulum, ac propterea in ore mortuorum unum nummum ponebant. Non sic est, minimè namque in campis Elisiis, sed in coelo est vera beatitudo; nec nummus unus, sed quatuor necessarii sunt intrare cupientibus. Jam scio vos quaerere quales debeant esse isti nummi, quaque signati imagine: dicam vobis e vestigio; sed vos curate ut haec aera vobiscum deferatis, si vultis B. Petrum invenire benignum. Primus nummus est superioribus nostris debitum impartiri; secundus est inferioribus benè praeesse; tertius est aequales benè tractare; quartus est seipsum bene regere. Haec sunt quatuor aera quae B Petro necessarium est offerre, quisquis regni coelestis aulam ingredi cupit. Nunc verò attendite quomodo haec aera possitis acquirere, atque illuc deferre. Primus noster superior est Deus. Deus verò, ut Cicero dicit, est mens quaedam soluta & libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens & movens, hic est Pater & Filius & Spiritus Sanctus, trinus in personis, & unus in substantia, omnipotens, aeternus, increatus, immensus, qui machinam quam cernimus, mundumque di-

dicimus coelum, & terram, & aquam, & omnia quae in eis sunt creavit ex nihilo; qui licet sit Deus & Dominus noster, mitiori tamen vocabulo Patrem compellari se sinit, & affectu nos patrio respicit, atque gubernat. Nam & propter nos, cum essemus mancipia Diaboli ex delicto primi parentis, incarnari voluit persona Filii, nasci ex Virgine, inter homines conversari, sitim & famem, & alia quae fert humana conditio pati, veritatem praedicare, capi, caedi, flagellari, conspui, contumelias audire, crucifigi, mori propter salutem nostram, transire ad inferos, tertia die resurgere, apparere multis, & demum in coelum astante credentium multitudine visibiliter elevari, ac postmodum Spiritum Sanctum Paraclytum, qui locutus est per Prophetas, & qui docet nos omnia in Sancta Matre Ecclesia, quique mansurus est nobiscum usque ad consummationem saeculi, pro tutela directioneque nostra transmittere; dimisso nobis Eucharistiae Sacramento, in quo per manus Sacerdotis carnem & sanguinem ad vitam consequendam manducaremus, Filii Dei Jesu Christi. Quae omnia firmiter credere nos oportet si volumus vivere ad vitam aeternam. *Justus* enim, ut Paulus dicit, *ex fide vivit*. Nec aliud quam unum Deum, unum quoque Dominum credere debemus, quia praeceptum est: *Dominum Deum tuum ex toto corde diliges, & non ibis post Deos alienos. Scimus*, inquit ad Corinthios Paulus, *quoniam nihil est idolum in mundo, & quoniam nullus Deus nisi unus*. Nam si sunt qui dicantur Dii sive in coelo sive in terra, sive quidem sunt multi Dii & multi Domini, nobis tamen unus Deus pater est, ex quo omnia, & nos in illo, & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Debemus & mortuorum resurrectionem expectare. Neque his assentiri ullo pacto, qui hoc negaverint: namque ut ad eosdem Corinthios scribit Paulus, si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Et iterum: *Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit; quod si Christus non resurrexit, vana est fides nostra*. Tu ergo qui credis & credere debes Christum resurrexisse, & mortuos quoque resurrecturos cre-

credito; quia qui negat unum, negat etiam aliud, & animam suam interficit. Oportet unam Ecclesiam Catholicam & Apostolicam Christi Sponsam immaculatam tenere. Unum Baptisma in remissionem peccatorum, & vitam aeternam quam consecuturi sunt in Regno Dei, & Christi, quicumque rectè credentes praecepta servaverint. Pro hac autem fide neque mortem effugere convenit, si necessarium fuerit, sed mori potius quam negare Christum debemus; *Corde* namque, ut inquit Paulus, *creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Quod si quis metu mortis negaverit Christum, salvus esse nequaquam poterit. Nec super hujusmodi fide quicquam dubitare fas est. Sed omnia inconcussè firmiterque tenere quae tradit Ecclesia; nam *qui haesitat*, ut Jacobus ait Apostolus, *similis est fluctui maris, qui a vento movetur & circumfertur*. Si quem autem vestrum mens sua nonnunquam exagitat, ac dubia movet; & nunc de partu virginali, quam etiam Prophetae praedixerunt ut Hieremias: *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*; nunc de Sacramento Altaris, de quo Christus ipse Salvator noster testimonium perhibet qui ait: *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*: quaestio vertitur: Potest enim hoc saepius contingere, quia non sumus primi motus nostri potentes. Jactate cogitatus vestros in Domino & ipse vos enutriet. Allidite pueros vestros ad petram, hoc est primos motus ad Christum qui petra est. Allidite & nolite plus sapere quam oporteat sapere, sed sapite ad sobrietatem. Cogitate Deum omnipotentem, nec majus opus esse credite, mulierem ex viri semine quam Virginem ex afflatu Spiritus Sancti concipere. Nec majus miraculum putate sub modica panis spetie Christum contineri, quam Christum clausis januis in carne & ossibus domum intrasse in qua erant discipuli. Scitote quoniam manus Dei non sunt alligatae, nec aliquid ab eo non posse fieri putate, qui mundum fecit ex nihilo; & gaudete quia talia creditis, quae ratione humana probari non possunt. Sic enim est nobis majus meritum & absque dubio plus meretur, qui non vidit & credit,

quo-

Digitized by Google

quomodo Thomas qui ideo credidit quia vidit; fidesnamque noſtra non habet meritum, ubi humana ratio praebet experimentum. Verum cum fides ſine operibus mortua ſit. Nam & Daemones credunt, quia unus eſt Deus; & contremiſcunt; oportet etiam alia ſuperaddere, quia *non omnis qui dicit Domine Domine, intrabit in regnum coelorum*; ſed qui Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine ſua dilexerit, timuerit, & ei ſoli ſerviverit, & mandata ejus impleverit. Cavendum eſt ne Deos ſequamur alienos: quod ſi nunc apud nos minus quam olim apud Hebraeos verendum ſit, quia non ſunt in his terris idola; quidam tamen tantum pecunias, mulieres, ciboſque diligunt, ut eos ſibi Deos faciant, & idololatrae vocantur, ſicut ſupra retuli. Et de guloſis, inquit Apoſtolus: *quorum Deus venter eſt*. Similiter qui veneficas mulieres, & incantationes ſequuntur, & in earum verbis adhibent fidem, Deos alienos colunt, indignoſque ſe reddunt coeleſti regno. Jubet etiam Moyſes, ne nomen Dei noſtri uſurpemus fruſtra, quia non erit impunitus qui ſuper re vana nomen ejus aſſumpſerit; cujus mandati violatores ſunt perjuriantes, blaſphemi, turpiloqui, & omnes qui Deum nominantes falſum teſtimonium dicunt, quique in amatoriis carminibus Dei nomen aſſumunt; quod omnino vitare neceſſe eſt, nec in re quapiam non ſeria, inhoneſta Deum debemus inſerere. Sabbata quoque ſanctificanda ſunt, ideſt omnia feſta, quae cuſtodiri mandat Eccleſia, non ſolum ceſſando ab opere, ſed jejunando ubi praeceptum eſt; intereſſendo divinis officiis, orando, non fabulando, offerendo Sacerdoti. Dicit enim per Moyſem Dominus: *Non apparebis in conſpectu meo vacuus*. Viſitare autem tabernas vinarias, compotare, commeſſari, inebriari, rixari, ductare choreas, jocari cum foeminis, taxillis, atque alea ludere, non ſanctificare eſt Sabbatum, ſed prophanare, & Diaboli potius quam Dei feſtum celebrare. Si quis ergo rite vult Sabbatum ſanctificare, nec lucri cauſa, nec voluptatis aliquid agat. Quod ſi bos, vel aliud animal in ſpecum ceciderit, non vetaverim patresfamilias adhibitis operis

illud liberare, nec juvare fustentaculis domum, quae minetur ruinam, nec pecus adaquare, nec rivos avertere qui inundantes nocerent fatis, & talia, quae fine magno damno praetermitti non poffunt. Nec enim imitari Judaeos debemus, qui, ut eft in Machabaeorum libris, occidi fe potius permittebant a militibus Antiochi, quam arma fumerent in die Sabbati; quod nec ipfi poftea continuarunt. Apud Romanos confultus Scaevola quid feriis liceret agere, refpondit: *Quod praetermiffum noceret.* Pulchra ad noftrum propofitum quamvis gentilis hominis auctoritas. Nos tamen nocumentum non in lucro perdendo, fed in damno fubeundo, eoque non quocumque minimo, debemus accipere. Poft haec fi quis virorum, ut ait per Moyfem Dominus, votum Domino voverit aut conftrinxerit juramento, non faciet irritum verbum fuum, fed omne quod promiferit implebit. Uxor quoque in domo viri cum fe voto conftrinxerit, fponfioni non contradicente viro, reddet quodcumque promiferit. In orationibus autem, chariffimi, quas in Ecclefia coram Deo facitis, cavete ne quid inhonefti petatis; fed fic loquamini cum Deo tanquam homines audiant. Supplicate Deo veftri ut curam gerat, ut ignofcat quod erratum eft, & gratiam fequendi virtutes infundat. Nemo divitias, vel potentiam, vel defideria carnis expoftulet. Socrates nihil effe petendum a Deo dicebat nifi bona, fcit enim Deus quid unicuique fit utile. Nos autem id faepe votis expetimus, quod non impetraffe melius fuerat. Hinc B. Petrus Apoftolus impetrare fanitatem filiae fuae Petronillae noluit, quia non expediebat ei: Juvenalis vero, optandum ut fit mens fana in corpore fano, nec plura, putat. Vos verò orationem Dominicam habetis, illam vos fcire oportet, nec plura petere quàm ibi contineantur. Illic enim fatis eft homini provifum. Cum autem oratis, cogitate ut & operemini quae Deo placent. *Sapiens* enim, ut inquit Pythagoras, *non reputat Deum honoratum fuis alloquiis, fed operibus.* Propheta verò de his qui multum orant & opera juftitiae praetermittunt, *Populus hic*, ait, *labiis me adorat; cor autem eorum longe a me eft.* Ad comme-

Digitized by Google

memorationem quoque Dei, & ad noftram falutem debemus communicare, & corpus Domini fufcipere. Nos quidem clerici faepius; vos autem laici ad minus femel in anno; quod qui praetermiferit, reus eft mortis ni poenituerit. In facro autem recipiendo verborum Apoftoli meminiffe debemus: *Probet autem fe ipfum homo, & fic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducaverit & biberit indigne, judicium fibi manducat & bibit.* Videtis ergo, dilectiffimi, quod non communicantes, rei funt mortis; quod ut evitemus, communicandum eft, & dignè communicandum; dignè autem communicat omnis qui verè dolet de peccatorum fuorum commiffione & verè confitetur, ac ubi eft opus fatisfacit. Verum ad hoc ut fciatis melius quomodo erga Deum vos debetis gerere, Lactantii verba vobis commemorabo; fic enim ait: *Hac conditione gignimur, ut generanti nos Deo jufta & debita obfequia praebeamus, hunc folum noverimus, hunc fequamur, quod tunc ritè faciemus, cum a vitiis abftinebimus. Nihil* enim, ut idem Lactantius inquit, *fancta & fingularis illa majeftas aliud ab homine defiderat, quam folam innocentiam, quae omnium eft vitiorum expulfio.* Vitiorum autem carentia, ut prius dixi, non folum Dei gratiam nobis reconciliat; fed etiam vitam in hoc faeculo quietiorem praeftat. Et ifta impraefentiarum de debito Deo reddendo fufficienter dicta putentur. Secundum fuperioritatis gradum obtinent Sancti & in primis Beatiffima Virgo Maria, quae abfque virili femine nobis peperit Salvatorem; & jam modo in coelis pro nobis affidue intercedit, Filioque fuo fupplex iram quam pro peccatis meremur avertit. Nulliufque licet maximi peccatoris preces faftidit, qui ad eam cum humilitate recurrit, fuorum poenitens delictorum. Hanc igitur venerari, & verbis collaudare debemus, nunquam fermonem de ipfa nifi cum reverentia facere, jejunare vigilias, feftaque fua devotè celebrare, ac dedicata fibi templa faepius vifitare, diebufque Sabbatinis fpecialem ejus commemorationem efficere, quibus diebus fi quis ob ejus reverentiam abftinuerit, devoteque habuerit fe, ficut doctores quidam affeverant, fine

fide

fide & confeſſione non morietur. Adveſperaſcentibus quoque diebus introduxit Eccleſia pulſari campanas in memoriam Annuntiationis; quod cum fit debetis omnes felicis redemptionis noſtrae reminiſci, Beatamque Virginem cum Angelo reſalutare. Poſt hanc ſunt Spiritus illi coeleſtes Angeli & Archangeli, Throni, Poteſtates, Cherubim, Seraphim, & omnis ille ſpiritalis exercitus, qui adverſus Draconem praeliatus eſt in coelis, & aſtitit Agno, de quibus nonnulli ad noſtram cuſtodiam ſunt deputati, diabolicis fallaciis obviantes, ac noſtra quocumque pergimus veſtigia ſubſequentes, & cogitationes bonas ſubminiſtrantes, quibus profectò magnas diebus ſingulis referre grates debemus, ac nos ipſos ſedulò commendatos efficere, devotiſque mentibus ea feſta celebrare, quae in honorem ſupernorum ſpirituum introduxit Eccleſia. Poſt hos Joannem Baptiſtam, quo major inter natos mulierum non ſurrexit, teſtimonio veritatis, ac Prophetas, Apoſtolos, Evangeliſtas, Martyres, Confeſſores, Virgines, Viduas, & omnes qui relicto ergaſtulo carnali per eccleſiam in coelis eſſe creduntur, pia convenit proſequi devotione. Reliquias venerari, jejunare vigilias ubi praeceptum eſt, feſtivitates celebrare, miracula quae ab his facta dicuntur pie credere. Nec propterea illa negare quia videantur impoſſibilia. Miracula namque, ut inquit Valerius, ideo dicuntur, quia unde manaverunt, aut qua ratione conſtiterint arduum eſt dignoſcere. Chriſtus autem qui mentiri non poteſt, cum caecis lumen reddidiſſet, & claudos ambulare feciſſet, aut quod maximum erat jam mortuis vitam reſtituiſſet, mirantibus Diſcipulis, *& vos*, inquit, *majora horum facietis*. Non ergo increduli eſſe debemus cum miracula referuntur, quia mirabilis eſt Deus in Sanctis ſuis, ut Propheta teſtatur: amovete riſum, & omnem ſermonis turpitudinem cum de Sanctis loquimini. Non blaſphemetis eos, non contemnatis, nec ſcandalizetis; quia licet nocere eis nihil poſſitis, non tamen erit inultum ſcelus; ſed honorate omnes, veſtroſque interceſſores ſemper aliquos habere curate, qui apud Deum vobis patrocinentur, & praeſertim glorioſiſſimam

Vir-

Virginem Mariam, sub cujus titulo haec est fundata, de qua re summam potestis consolationem recipere, summèque laetari quia Patronam habetis in coelo, cui Deus negare non vult, nec audet quicquam. In tertio supereminentiae gradu Ecclesia est humilis mater omnium Christianorum, quae nos per baptismum Christo regeneravit, extra quam non est salus, cujus voluntati nefas est adversari. Ait enim Sanctus Calixtus: *Sicut Filius venit facere voluntatem Patris, sic vos impleatis voluntatem matris vestrae, quae est Ecclesia.* Hanc generalia Concilia repraesentant; ac propterea, quod Patres in generalibus Conciliis, ac Synodis congregati sanxerunt, servandum est. Verum cum multae sint Ecclesiae particulares, sciendum est Romanam Ecclesiam omnium esse caput aliarum. Hinc Calixti verba: *Nulli ergo dubium est quod apostolica Ecclesia mater sit omnium Ecclesiarum, a cujus regulis nullatenus convenit deviare.* Clarius quoque Anacletus: *Apostolica*, inquit, *sedes, cardo, & caput, ut factum est a Domino, & non ab alio est constituta; & sicut cardine ostium regitur, sic hujus Sanctae Sedis auctoritate omnes Ecclesiae, Domino disponente, reguntur.* In Ecclesia verò universali quidam superiores sunt, quibus obedientiam, & reverentiam impendere tenemini; quibusdam verò solam reverentiam. In priori parte sunt Romanus Pontifex, Legati ejus, Archiepiscopus Salzeburgensis, Episcopus Pataviensis, & Plebanus vester. Possibile esset aliquem Praepositum, vel Archidiaconum super vos habere jurisdictionem, vel aliquem ex monasticis, de quibus non constat; quidquid sit, limitatum esse oportet, & quatenus se jurisdictio extendit parendum est. In secunda parte sunt omnes Sacerdotes, omnesque clerici tam saeculares quam religiosi, qui non habent in vos jurisdictionem, sive sint Cardinales, sive Patriarchae, sive Archiepiscopi, sive alii quicumque clerici, qui propter dignitatem sunt vestri superiores, quibus transeuntibus debetis assurgere, loco cedere, honorareque ipsos, & operibus & sermonibus, nec injuriantes eis, nec ab aliis sibi injurias inferri permittentes. Sed revertamur ad eos, quibus est etiam parendum. In tota uni-

universali Ecclesia primus superior est Romanus Pontifex Petri Successor ac Christi Vicarius, cui datae sunt claves regni coelorum, ut quidquid in terra ligaverit, sit etiam in coelo ligatum, & quod solverit, solutum existat. In cujus obedientia omnino manendum est, nec aliter quisquam salvari potest; Ait enim B. Augustinus: *Nec studium bonae actionis, nec opus sanctae contemplationis, nec lacrymae poenitentis extra obedientiam Romanae Ecclesiae possunt esse Deo accepta*. Huic ergo obedire debetis & reverentiam impartiri, ac plus sibi quam caeteris hominibus credere atque parere, nihilque omnino moliri, quod sibi vel damno sit, vel dedecori. *Observa*, inquit per Moysem Dominus, *diligenter*, *ne incurras in lepram leprae*; quod Doctores interpretantur pro majori excommunicatione, quam fert in rebelles Romanus Pontifex. Hujus quoque Romani Pontificis Nuntiis, sive Legatis de latere, sive quivis alii fuerint, eatenus parere debetis, quatenus eorum facultates se extendunt. Verum quia non potestis ista cognoscere, Pontificis vestri Pataviensis jussionem expectare oportet, ne quid plus minusve faciatis quam sit necesse, Plebanique vestri super hoc captare consilium; sed honorare, & humanitatem impendere, absque ulla cunctatione debetis. Similiter Archiepiscopo Salzaburgensi, qui est hujus terrae Metropolitanus, in certis casibus parendum est, quin ex appellationis vigore ad eum causae devolvuntur. In quibus rebus non facio multa verba, quia raro ista contingunt, & tunc magis ex consilio quam ex vestro sensu procedendum est vobis, ac sic trium superiorum qui sunt in Ecclesia meritum scietis. Quartus superior est & vobis & mihi Pataviensis Episcopus, cujus speciales estis oves, in quem respicere multo diligentiori oculo quam in alios debetis. Hic enim ex Dei & Sedis Apostolicae ordinatione pater vester est factus rector & pastor. Vos autem estis oves. Ac propterea cum haec vestra Ecclesia vacat, ejus est vobis directorem Plebanumque dare, qui suo ac Dei nomine vestras animas curet; hunc venerari debetis, & operibus & sermonibus obedire sibi, nullisque adversari mandatis,

Digitized by Google

datis, nullam moleſtiam facere, nunquam obloqui, nunquam vel facta ejus accuſare vel dicta, oves namque eſtis. Hinc Pius Papa ſummus: *Oves*, inquit, *Paſtorem ſuum non reprehendant. Plebs verò Epiſcopum non accuſet, nec vulgus eum arguat, quia non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, neque ſervus ſuper dominum ſuum. Epiſcopi autem a Domino Deo ſunt judicandi, qui eos ſibi oculos elegit*. Euſebius etiam Papa: *Oves*, inquit, *quae paſtori ſuo commiſſae fuerint, eum non debent reprehendere, nec nullatenus accuſare poſſunt, niſi a recta fide exorbitaverint*. Et iterum Evariſtus Papa: *Non eſt itaque aut a plebe, aut a vulgaribus hominibus arguendus, vel accuſandus Epiſcopus, licet ſit inordinatus, quia pro meritis ſubditorum diſponitur a Deo vita rectorum*. Cui & Calixtus adſtipulatur dicens: *Ex merito namque plebis nonnunquam Epiſcopi depravantur*. Ex quibus Sanctorum dictis poteſtis intelligere, dilectiſſimi, veſtri officii non eſſe in aliquo Epiſcopum reprehendere, niſi fidem Chriſtianam abnegaret; ſed obedire incumbit vobis, & facere quae mandantur, tueri ſtatum & honorem Epiſcopi. Si quid adverſus eum machinationis audire contingat, ſibi vel ſuis conſiliariis referre. In caſibus reſervatis quos alio vobis exponam tempore, ad eum recurrere, fidelitatemque ſibi in omnibus tanquam patri, & Domino ſpirituali ſtabilem & inconcuſſam ſervare. Quintus ſuperior veſter eſt Plebanus, quem vobis dederit Pataviensis antiſtes, qui etiam paſtor eſt animarum veſtrarum, dux, rector, & gubernator. Quod onus impraeſentiarum, ſicut eidem Domino Pataviensi placuit, meum eſt. Scio me non ſufficientem tantae dignitati, tantoque ponderi; ſed mihi neceſſarium eſt obedire ſuperiori, voſque regere, & in vitam aeternam dirigere. Quod tunc rectè faciam, cum vos etiam debitum veſtrum erga me adimplebitis. Namque ſi exceſſeritis timeo, ne me quoque praevaricari contingat. Inquit enim Iſaias: *& erit ſicut populus ſic & Sacerdos*. Si ergo me vel alium Plebanum benè, ac ſancte vobis praeeſſe vultis, facite quod veſtrum eſt; honorate Plebanum, nolite eſſe ſibi moleſti, nolite obloqui, facite quod Eccleſiaſticus jubet:

Digitized by Google

Presbytero, inquit, *humilia animam tuam*. Et iterum: *honorifica Sacerdotes*; quod vobis non erit grave, si sciveritis, ut in Epistola B. Clementis legitur, Summum Pontificem locum Christi tenere, Episcopos vicem Apostolorum gerere, ac reliquorum discipulorum figuram gestare Presbyteros. Debetis igitur, ut Paulus jubet, obedire praepositis vestris, & subjacere eis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Studete igitur, ut cum gaudio haec faciant, non gementes. Sinite Plebanum vestrum, ejusque Vicarium & singulos, qui ab eo sunt, ecclesiastica libertate gaudere; possessiones eorum nemo turbet; nemo agris, pecoribus aut aliis presbyterorum rebus noceat. Oblationes quae fiunt in Ecclesia, nemo vestrum attingat. Ait namque per Moysem Dominus: *Omnes quoque primitiae, quas offerunt filii Israël, ad Sacerdotem pertinent, & quidquid in sanctuarium offertur, & a singulis traditur in manus Sacerdotis, ipsius erit*. Decimas eorum quae singulis annis colligitis, absque cunctatione persolvite, quia non hominis, sed jussu divino debentur. Nam & Abraham, qui teste ad Hebraeos Paulo rex justitiae interpretatur, rediens a caede Regum, decimas dedit Melchisedech regi Salem sibi benedicenti. Deponat quilibet vestrum murmurationem, quam nonnunquam facitis dum petuntur decimae, & alia Ecclesiae jura. Cur nos, inquiunt aliqui, res quas nostro labore, atque sudore quaerimus, Sacerdotibus dividere tenemur, cum ipsi aliunde satis habeant. Damnata est enim haec consideratio murmuratioque, quia non Sacerdotibus, sed Deo dividitis; nec de vestro datis, sed ex eo quod Deus largitus est, cujus est terra & plenitudo ejus; sic ait Psalmigraphus. Sed audite obsecro in hac re Paulum ad Corinthios scribentem, qui & ipsi non libenter victum, & alias oblationes praebebant Sacerdotibus: *Quis pascit gregem*, inquit, *& de lacte gregis non manducat*? Et iterum scriptum est in lege Moysi: *Non alligabis os bovi trituranti*. *Nunquid de bobus Deo cura est*; *an utique non propter nos haec dicit*. Nec his contentus subiicit: *Si vobis spiritualia seminamus*; *magnum est*, *si nos carnalia*

lia vestra metamus. Et rursus. *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt; qui altario serviunt, de altario participantur?* Ita & Dominus ordinavit his, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere. Reddite igitur sponte jus suum Sacerdotibus, non contradicentes, non murmurantes. De Sacerdotibus enim inquit idem Paulus, quia Dei sunt adjutores; vos autem Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis. Sicut igitur terra sine contradictione, ac sine querela cultori suo multiplicatum reddit, ita & vos libenti animo puraque mente decimas reddite Sacerdotibus. Nec miremini, si absque tributo sint, quia & semper magna libertas Sacerdotum fuit. Nam cum tota olim AEgyptus ex ordinatione Joseph quintae partis frugum tributaria redderetur, sola terra Sacerdotum libera mansit, quia non hominibus, sed Deo subsunt Sacerdotes, ac propterea de sorte Domini esse dicuntur. Neque suorum superiorum, qui vel Apostolorum, vel Christi vicem tenent, injussu gravandi sunt. Et sane cavendum est diligenter, si quid adversus Plebanum, vel ejus ministros habetis, ne coram alio quàm spirituali judice vestrum jus persequamini, quod & vocanti, & cognoscenti perniciosum esset. Ait enim B. Papa Clemens: *Et quis est, qui alterius judicet servum?* nam ista non patiuntur homines; nec Deus Deorum, & Dominus dominantium haec nullatenus patietur. Cavete igitur ne Plebanum vestrum contristemini, ne sibi, vel suis ministris injuriemini, ne quid in eum mali machinemini, quia pater est, & non sibi, sed Deo molesti estis cum Praepositis vestris specialibus estis injuriosi. Videat unusquisque vestrum, ne cui confiteatur nisi Plebano suo, vel ejus vicario. Statuit enim Urbanus Papa II. ne quis alteri quàm suo Sacerdoti confiteatur absque licentia. Cum vero confitemini, filii fratresque dilectissimi, denudate conscientias vestras, nihil retinete; quia, sicut non sanatur aegrotus nisi ex toto putre foras miserit; sic non mundatur peccator, nisi universam labem eructaverit. Sit confessio vestra verecunda, integra, simplex, devota, obediens, pura, humilis. Nemo propterea

confiteri desistat, quia magnus peccator sit; sed eo celerius Sacerdotem adeat. Paulus Apostolus, ut idem ipse fatetur, blasphemus, persequutor, contumeliosusque fuit, & misericordiam Dei consequutus est. Nullius sanè tam magna iniquitas est, quin major sit omnipotens misericordia, quae Judae non minus quam latroni pepercisset, si veniam petere voluisset. Sacramentum confessionis, charissimi, necessarium est ad vitam aeternam; quia nemo est sine peccato. Confitemini ergo, sumite poenitentiam & adimplete illam; recipite corpus Dominicum. Pueros vestros baptismatis unda mundate. Confirmationem chrismatis petite; matrimonia absque ritu Ecclesiae non celebretis. Cum aegrotatis, instareque periculum vitae cernitis, unctionem extremam requirite, & ut Christianos decet, vitam bonam curate; ut bonus sequatur finis, ut mereamini inter fideles sepeliri & introire coelestem aulam: talibusque modis erga superiores vestros Ecclesiasticos vitam vestram dirigite. Superest nunc, ut de quarto superioritatis gradu nonnihil dicamus in temporalitate, qui multiplex est, in quo primum locum Principes obtinent, de quibus multa referre oporteret, si vellemus singula examinare, quod mihi non videtur necessarium. Non enim modo generalem doctrinam tradimus, sed eam solum quae vobis est necessaria. Inter Principes igitur superior vester est praecipuus Illustrissimus Princeps Henricus Dux Bajoariae hujus terrae Dominus; huic obedite, hunc honorate, hujus statum defendite, nec fraudem sibi facite, nec ab aliis fieri quantum in vobis est permittite. Nam qui Principem suum a fraude non eripit, se ipsum interficit. Nemo vestrum sui Principis mandata contemnat, quia, ut inquit Seneca, contendere cum superiore furiosum, atque periculosum est. Et iterum: *Sapiens nunquam potentum iras provocabit, sed declinabit; dies namque suos morte praevenit, qui Principi repugnat*. Et Ecclesiasticus audiendus est, qui neque contra faciem potentis, neque contra impetum fluvii conandum dicit. Sed ne ista fortasse peregrina videantur, & non ex lege Christiana, Paulum Apostolum audite: *Omnis anima*, inquit ille, *po-*

testa-

Digitized by Google

teſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non eſt enim poteſtas niſi a Deo; quae ſunt autem a Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſterint, ſibi ipſi damnationem acquirunt. Nam Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa; Dei enim miniſter eſt tibi in bonum: ſi autem malum feceris, time, non enim ſine cauſa gladium portat; Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit. Ideoque neceſſitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram, ſed propter conſcientiam. Ideo enim tributa praeſtatis; miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſervientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem. Audiſtis verba Pauli, quam praegnantia ſunt, quam clara, quam limitata. Quid amplius eſt, quod huic auctoritati poſſit adjungi? Satis vos monent haec verba, quo pacto Principibus veſtris parere debetis. Nec hoc uno in loco Paulus dicit; ſed ad Titum quoque ſic ait: *Admone illos, Principibus & Poteſtatibus ſubditos eſſe; dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe.* Cui & Apoſtolus Petrus aſtipulatur: *Subditi*, dicens, *eſtote omni creaturae propter Deum, ſive Regi tanquam praecellenti, ſive ducibus tanquam ab eo miſſis.* Quibus fretus auctoritatibus hortor vos, dilectiſſimi, ut Principi veſtro non ſolum mandanti, ſed etiam roganti praeſto ſitis obedire. Poteſtas enim, ut ait Laberius Eques Romanus apud Macrobium, non ſolum ſi invitet, ſed etiam ſi ſupplicet, cogit. Cogitate quod in Parabolis ſcriptum eſt: *Sicut fremitus leonis, ita & ira Regis; & ſicut ros ſuper herbam, ita & hilaritas ejus.* Cujus proculdubio participes eritis, ſi veſtro Principi, & ejus offitialibus obſequentes vos exhibebitis. Nam quod de Rege dicitur, idem quoque Ducibus, & aliis Principibus congruit, quibus in tantum eſtis obnoxii, ut nec fratribus, nec filiis, nec parentibus aſſiſtere debeatis contra Principes conſpirantibus, quos nolentes veſtris monitis deſiſtere, accuſare potius decet quam pati, ut admittant facinus. Sunt item ſuperiores veſtri ſinguli, quorum colitis agros, qui-

quibusque servitio nonnullo tenemini, erga quos servare fidem oportet, nihil eos celare, nihil eorum rapere, nihil negligere, neque committere quicquam ex studio, quod rem illorum reddat deteriorem; sed arbores, terram, & pecus non aliter curare quam si vestra essent omnia. De parentibus nunc dicendum est, qui & ipsi superiores existunt, erga quos magna est obligatio & forsitan nullatenus adimplenda. Quo enim pacto satis grati parentibus esse possimus, qui nos genuerunt, paverunt, eduxerunt? Verum mira est clementia Dei, qui etsi nos obligatos lege naturae sciat honorare parentes, praemia tamen honorantibus pollicetur non solum in caelo, sed etiam hìc in terris. Duo praecipuè consequuntur in hoc mundo qui parentes honorant, fiunt enim longaevi super terram, ut ait per Moysem Dominus, & jucundantur in filiis, ut Ecclesiasticus inquit. Diligite igitur, charissimi, parentes vestros & honorate ipsos. Mandata eorum custodite; si sunt indigentes nutrite, subvenite in omnibus adversitatibus. Bene, inquit Socrates: *Filio modesto nunquam grave est quod pater jubet.* Tales ergo vestris parentibus estote quales erga vos fieri natos optatis: ac ne multa in hac parte dicam quae notissima est; solum Paulum recensebo, qui sic ad Ephesios scribit: *Filii, obedite parentibus vestris in Domino; hoc enim justum est: honora Patrem tuum & Matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, ut bene sit tibi, & sis longaevus super terram.* Nonnulli superiores sunt, quos Dominos appellamus, qui jus habent vendendi servum; quod licet his in terris raro contingat, referam tamen vobis Pauli verba, ut si qui sint qui dominos tales habeant, quo pacto regere se debeant non ignorent. In hunc enim modum Ephesios alloquitur: *Servi, obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore in simplicitate cordis vestri, sicut in Christo, non ad oculum servientes quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei.* Superiores insuper sunt qui vos ad cultioris vitae doctrinam instituerunt, quos tanquam parentes venerari debemus. Meminisse nanque convenit verborum Aristotelis qui ex

paren-

parentibus honorabiliores aſſerit eſſe qui inſtruunt, quam qui ſolum generant; quoniam hi quidem dant vivere; illi verò benè vivere. Superiorum quoque loco recipere oportet qui ſunt literatiores, ac prudentiores quam nos. Et item omnes qui meliores eſſe videntur, & in quolibet exercitio peritiores; hiſque reverentiam & honorem convenit impartiri. Potentiores etiam atque nobiliores honorandi ſunt, fugiendaeque cum his contentiones, quamvis juriſdictionem non habeant. Quibus addimus & ſenes, qui vos aevo praecedunt, quibus & aſſurgendum eſt, honor impendendus, ut praecedant, prius loquantur, prius bibant; ad quod propoſitum audiendus eſt Paulus qui Titum his verbis admonitum reddit: *Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut patrem, juvenes ut fratres, anus ut matres, juvenculas ut ſorores, in omni caſtitate viduas honora*. Petrus quoque Apoſtolus ſimiliter: *Adoleſcentes*, inquit, *ſubditi eſtote ſenioribus*. Supereſt modo de mulieribus aliquid attingere, quae & ipſae viros ſuos tanquam ſuperiores habeant. Audite igitur optimae mulieres, nam haec pars vos potiſſimum reſpicit. Eſtote viris veſtris obſequentes. Nolite adverſari praeceptis eorum; contentiones, rixas & oblocutiones abiicite. Sic enim Paulus ad Coloſſenſes ſcribit: *Mulieres ſubditae eſtote viris, ſicut oportet in Domino*; dum ait *in Domino* turpitudinem univerſam ſecludit. Et iterum ad Corinthios: *Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir ejus vivit; quod ſi vir ejus dormierit, liberata eſt a lege viri*. Et rurſus ad Timotheum: *docere mulieri non permitto, neque dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio*. Nec in praeſentiarum plura de ſuperioribus diſſeram. Satis etiam ut opinor oſtenſum eſt quae reverentia, quaeve obedientia noſtris ſuperioribus ſit exhibenda; in qua re ſi diligenter intenti fuerimus, habebimus illud primum aes, quod eſt ad vitam aeternam neceſſarium. Recondamus ergo hoc in pera noſtra, & attente cuſtodiamus uſque in finem vitae praeſentis. Quod poſtmodum B. Petro coeleſtis aulae clavigero porrigentes, intromitti facilius mereamur. Modo ad ſecundum nummum tranſeundum eſt, quod in omnes aequales reſpi-

ſpicit, erga quos niſi bene nos geſſerimus, non inveniemus benevolum janitorem. Expendamus igitur hanc pecuniam, & cujus ſigni eſſe oporteat videamus. AEquales noſtri ſunt fratres, propinqui, amici, vicini, conterranei, peregrini, amici, hoſtes, quos omnes uno verbo ſacra ſcriptura proximos appellat, ut eſt illud Pauli ad Galatas: *Omnis lex in uno ſermone impletur: Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum*. Debemus igitur hujuſmodi homines ut nos ipſos diligere, non mentiri eis, nihil auferre, nuſquam injurari. Et ut Salvator apud Mattheum dicit: *Omnia quae vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis; hoc enim eſt vobis lex & prophetae*. Sunt tamen quaedam praecepta ſeorſum danda. Nec enim ab re eſt germano melius velle quam peregrino; nam etſi pater omnium unus fuit Adam, ſanguis tamen ille per infinitas diviſus generationes., cum fratre meo junctus eſt, eſtque ſuaviſſima recordatio in eodem domicilio ante nativitatem habitaſſe, in iiſdem cunabulis infantiae tempora peregiſſe, eoſdem appellaſſe parentes, eadem ſuxiſſe ubera, eadem arma ferre, eamdem haereditatem expectare. Quibus ex rebus datur proculdubio venia ſi fratres prae caeteris aequalibus diligimus. Juvet igitur frater fratrem, quia ut eſt in Parabolis: *Frater qui adjuvatur a fratre quaſi civitas firma*. Nulla interveniat in haereditatis diviſione fraus, nullus audiatur qui diſſidium ſeminet; adſit correctio ubi criminis eſt commiſſio. Cum fratribus ſunt ſorores, quas ſua portione fraudare non decet. Cuſtodiatur earum pudicitia, jungantur viris probis ſi velint nubere. Cum viduae fuerint benigne recipiantur, defendanturque ab injuriis. Propinquis oonſulendum eſt in eorum neceſſitatibus, ſubveniendum in opibus, propulſandaeque ab eis injuriae ſunt. In lite propinquum potius quam alium defende; ſed cave ut juſtum ſit quod tueris, ne cui adverſus veritatem patrocineris. Verum cum amicitiae quoque vinculum pervalidum ſit, neque ulla ex parte ſanguinis viribus inferius; videndum eſt cum amicis quomodo ſit vivendum; in qua re meminiſſe Byantis debemus qui diu deliberandum dixit antequam amicus reciperetur;

ſed

ſed poſtquam receptus eſt, amici vitam noſtram putandam eſſe, recte enim apprehenſum amicum ſpernere non convenit. Quia, ut inquit Valerius: *celerius eſt ſine reprehenſione propinquum, quam amicum avertere*. Si tamen deſerendus amicus ſit, quia fortaſſe vitioſus eſt, nec vult corripi, amicitiam non praecidas repente, ſed ſenſim dilue. Cum amico ſic vivito, ne timeas inimicum fieri. Communica tamen omnia quae te urgent amico; quia ſe ipſum jugulat, qui celat amicum. Inter amicos eam ſervato legem, ut nec roges turpia, nec rogatus facias: loquar apertius. Interfuiſtis caedibus, rapinis, adulteriis, combibiſtis, concaenaſtis; ultra quam ſatis eſt amici cauſa: ſed nulla eſt excuſatio, ut Cicero tradit, ſi propter amicum pecces; quod ne tibi accidat, illos amicos, ut Pythagoras jubet, aſſumito, qui ſequantur veritatem, & fugiant multiloquium. Inter conterraneos tuos aequo, & pari jure vivito, neque te nimis ſubmittas, neque abjicias, neque efferas. In patria ſemper tranquilla, & honeſta velis; omneſque novitates deteſteris. Peregrino non eris moleſtus, non inficiaberis debitum, nullumque jus negabis. Ait namque per Moyſem Dominus: *Advenam non contriſtabis, neque effugies eum*. Et iterum: *Peregrino moleſtus non eris*. Quidquid denique in aliena tibi vis fieri terra, idem in tua patria concedito peregrinis. Quod ſi te peregrinum eſſe contingat, nihil praeter negotium tuum cures; nihil de alieno inquiras, nec de aliena Republica curioſum te praebeas. Cum vicinis cuſtodiendi ſunt termini, quia maledictus eſt qui transfert terminos proximi ſui, ſicut in Deuteronomio legimus. Communicare quae habemus bona, inſtrumenta commodare, ſervare pudicitiam domus ſuae, prohibere ab eorum bonis fures atque latrones, communique conſilio tueri agros, focoſque, liberos, conjuges, Eccleſiam, ut ſi fieri poſſit, una fiat ex omnibus ſocietas. Inimicos amare debemus, ſic enim in Evangelio Dominus jubet; nam cum ſint creaturae Dei, ſicut & nos; quod Deus creavit, nefas eſt odiſſe. Quod ſi vitioſi ſunt, non vitia ſunt amanda, ſed anima illa diligenda eſt, quam inſpiravit

 Deus;

Deus; supplicandumque est divinae pietati, ut illi gratiam praebeat, qua se a vitiis redimat, virtutique serviat. Cum hostibus servanda est fides, nec crudeliter convenit cum eis agere, quia & homines sunt, & fortasse juste se bellum existimant gerere. Nos tamen cavere oportet, ne bellum absque rationabili causa suscipiamus, semperque pacis consilia praeponenda sunt armis; ubi tamen necessitas cogit, pro fide, pro patria, pto veritate tuenda non est detrectandum certamen, sed adhibenda est moderatio, ne crudeles, infidi, atque inhumani & immanes reputemur. Neque enim sitire sanguinem decet, sed parta victoria puniendi sunt auctores mali cum moderamine; multitudini verò parcendum est. Et quamvis jura civilia, quae bello quaeruntur, justè retinere posse diffiniant; Christianus tamen belli spolia fugiet, non subvertet Urbes, non exercebit rapinas, non trucidabit multitudinem, sed satis existimabit, se pacem ex bello consequi. Verum cum adhuc inter aequales versemur, adiicienda sunt aliqua, quae ad omnes pertinent, ut est illud Pauli ad Colossenses, quod non debemus alter alterum irritare, aut graviter quidquam ferre, sed tolerare, supportantes invicem, *donantes nobis metipsis, si quis adversum nos aliquam habet quaerelam, sicut & Dominus donavit nobis*. Et iterum: *alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*. Et ad Ephesios: *loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo*. Non debet alter alterum carpere, non diffamare, non spernere, non mentiri invicem, non furari; sed oportet servare promissa. In vendendo apertum esse, ingenuum, justum & bonum virum; nihil celare sui emolumenti causa, quod emptoris intersit scire; nihil insidiosè, nihil simulate, nihil fallaciter facere. In vendendo emendoque quam minime loqui, etsi possibile sit, tantum semel; & ut omnia perstringam, in tutelis, societatibus, fideicommissis, mandatis, rebus emptis, venditis, conductis, locatis, singulisque contractibus & actibus, quibus vitae societas continetur, bonam fidem adhibe, fraudem, & astutiam tolle, atque malitiam. Prodesse omnibus stude, & nulli

no-

nocere: Quibus diligenter curatis invenies nummum ſecundum, quem Divo Petro janitori regni coeleſtis pro introitu praebeas. Supereſt tertium nummum inquirere, qui mox praeſto erit, ſi circa inferiores officii noſtri, quid ſit noverimus & adimpleverimus. De quo jam dicere aggrediar. Inferiores tot numero ſunt, quot ſuperiores, quia non eſt alius ſine alio. Sed in hoc loco non expedit de omni genere inferiorum dicere, quia non eſtis Principes, nec Praelati Eccleſiae, ut ſcire vos oporteat quo pacto ſubditos regere debeatis; ſed dicam vobis de illis inferioribus, quibus vos plerumque ſuperiores eſtis, inter quos primum locum tenent liberi, poſt conjuges, exinde pupilli, viduae, indocti, inexperti, debiles, ſervi, juniores, captivi, pauperes, ignobiliores, ſtulti, mercenarii. De liberis primum loquamur: His danda eſt nutrix bona, quia nonnihil ex lacte trahitur de natura nutricis. Sunt inſtituendi ad virtutes, edocendi ad ſobrietatem, nutriendi ad laborem, & ad patientiam animi, & corporis indurandi. Tradantur his aliqui ſenes optimi, & probatiſſimi, quorum conſilio, atque auctoritate utantur. Ineuntis etiam aetatis inſcitia ſenum prudentia regi debet. Cavendum eſt ne coram filiis aliquid turpitudinis admittatur, ne ſermo inhoneſtus habeatur. Qui poteſt, literas tradat filiis. De fide religioneque noſtra nullus non inſtruatur; quidquid tibi parentes boni fecerunt, idem tu filiis exhibebis. Timorem eos doce, & juſtitiae cultum. Si quae ſunt foeminae, ad pudicitiam inſtruantur, & parviloquium. Vinum fugiant, parum comedant, ſuo tempore nubant. Ait enim ad Titum Paulus: *Volo ergo juvenes nubere, filios procreare, matres familias eſſe.* Quod tam de virginibus, quam de viduis poteſt intelligi, ſi ulterius continere non valent. Filii, dum pueri ſunt, ſub virga teneantur; inquit enim in parabolis Sapiens: *Qui parcit virgae, odit filium ſuum.* Cum vero adulti ſunt, mitius haberi debent. *Et vos patres*, inquit Apoſtolus Paulus, *nolite ad iracundiam provocare filios; ſed educate illos in diſciplina, & correptione Domini.* Apud Romanos moris fuit, ut cum parentibus filii non lavarent,

nec cum soceris generi; quod etiam inter vos servari vellem, quia nimia familiaritas reverentiam perimit, quam parentibus filii debent. Quod autem de filiis dico, id etiam de nepotibus, caeterisque propinquis dico, qui vestrae curationi subjacent. De uxoribus praecipio vobis cum Paulo ad Ephesios: *Viri, diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea.* Magnum verbum est, dilectissimi, nam etsi vobis uxores subjectas esse convenit, non tamen vos insanire, ac saevire in eas decet; sed ut jubet Paulus diligere uti corpora vestra; quia qui suam uxorem diligit, se ipsum diligit. Quod si molesta est uxor, garrula, contentiosa; non tamen propterea repellenda est, sed imitari Socratem potius decet, qui cum rogaretur a suis uxorem Xantippem jurgiosam domo abigere. *Nolo*, inquit, *quia disco in domo, qualis in foro esse debeam; cum enim talem domi patior, assuesco & exercitor, quo pacto foris caeterorum petulantiam & injuriam facilius feram.* Uxorem praeterea, ut ait apud Matthaeum Dominus: *Non licet dimittere excepta causa fornicationis; & qui duxerit dimissam, adulterat*: quod praeceptum etiam uxorem ligat. *His autem*, inquit Paulus, *qui juncti sunt praecipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Et iterum: *alligatus es uxori, noli quaerere solutionem.* Caeterum, carissimi, propter fornicationem, inquit ad Corinthios Paulus, *unusquisque suam uxorem habeat, & unaquaeque suum virum. Uxori vir debitum reddat; similiter autem uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem, & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Ex quo fit, ut certis in casibus viro mulier sit superior. Verum cum ait Apostolus: *Propter fornicationem* intelligendum est, evitandam. Namque cum non potest conjux continere, tunc reddendum est debitum. Non enim sine causa, inquit, *debitum*, quod tunc est; cum evitari non potest. Quod si quis ad voluptatem, & non ad necessitatem matrimonio utatur, is proculdubio

bio

Digitized by Google

bio non evitat, sed committit fornicationem. Debet enim, ut supra est dictum, unusquisque vas suum in sanctificatione possidere. Pupilli, & viduae ex inferiorum sunt numero, quorum causas tueri debemus, & maximè si ad nostram pertinent curam. Et viduis quidem si continere possunt, suadendum est cum Apostolo, ut sic maneant. Illis, inquam, quae ad sobolem procreandam non sunt idoneae; quod si non se continent, nubant; melius est enim nubere quam uri. Caeterum scire nos convenit quod omnis qui pervertit judicium adverae, pupilli, & viduae, maledictus est a Domino per Moysem. Audite, obsecro, verba, & timete violare sententiam. *Viduae, & pupillo*, inquit Dominus, *non nocebitis; si laeseritis eos, vociferabunt ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt uxores viduae, & filii vestri pupilli*. Quod judicium formidare omnes debent, qui ex bonis pupillorum, & viduarum sese faciunt ditiores. Quod peccatum, carissimi, a vobis procul absit De indoctis, inexpertis atque debilibus admonet nos Paulus ad Romanos, sic inquiens: *Debemus autem nos firmiores infirmitates imbecillorum sustinere, & non nobis placere*. Unusquisque nostrum proximo suo placeat in bonum ad aedificationem. Si quis errat, labitur, decipitur, non irridendus est, sed instruendus. Cum servis clementer vivendum est, comiter, dulciter; admittendi sunt in sermonem, & nonnunquam in consilium necessarium, si sunt industrii. Nec enim fortuna aestimare homines debemus, sed moribus; quia sibi quisque dat morem; conditionem vero casus assignat. Remittendae sunt erga eos minae, ut inquit Paulus; scire namque oportet, quia Dominus qui est in coelo tam servorum, quàm noster est Dominus, & personarum acceptio non est apud Deum. Sed quia usus servorum hic non est, transeo ad mercenarios, quos fraudare stipe sua non convenit: *Dignus est* enim, ut ait in Evangelio Salvator, *mercede sua mercenarius*. Si quis conducit operarios, reddat eis quod suum est; non sint cum famulis rixae, non jurgia, non deceptiones,

In

Digitized by Google

In moribus instruite, bonum exemplum datae, revocate a libidine, laudate benè agentes, corripite delinquentes, captivis commiserescite, nolite contemnere ignobiliores, quia unus est pater omnium Deus, qui benè agunt. Inter pauperes aliqui sani sunt, aliqui aegrotantes; quibus omnibus convenit subvenire. Caeco ducatum praebete; nemo errorem sibi statuat in via, quia maledictus est a Domino per Moysem qui errare facit caecum in via. Date omnibus eleemosynam, quia, ut inquit Ecclesiasticus: *Ignem ardentem extinguit aqua, ita & (eleemosyna) resistit peccatis*. Praebete igitur affluenter eleemosynas, ne *parce seminantes, parce metatis*, ut Paulus dicit. Nec propterea manum restringite, quia malus fuerit qui eleemosynam petit. Nec enim illi sed Deo datis. Aristoteles cum iniquo cuidam dedisset eleemosynam: *Naturae*, inquit, *non malitiae, sum misertus*. Sed audite Sacram Scripturam: apud Tobiam sic scriptum est: *Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere; ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini*. Sed dicitis fortasse: nos etiam parum habemus. Attendite quod sequitur: *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum fuerit tibi, etiam exiguum libenter impartiri stude; quoniam eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras*. Fiducia magna erit coram summo Deo omnibus eleemosynam facientibus. Quis igitur eleemosynam facere negligat, in qua tantus invenitur fructus? Habetis Divi Martini exemplum, qui cum aliter nudo subvenire non posset, pallium suum partitus est, texitque nudum. Nolite contemnere pauperes, dilectissimi, quia & *Deus*, ut ait Jacobus Apostolus; *Pauperes in hoc mundo elegit; divites autem fide & haeredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se*. In parabolis quoque dicit Sapiens: *Foeneratur Domino, qui miseretur pauperum*. Nec existimet quispiam voluntatis esse, & non praecepti eleemosynam dare; dicit enim per Moysem Dominus in Deuteronomio: *Idcirco praecipio tibi, ut aperias manum fratri tuo, & egeno & pauperi, qui tecum versa-*

Digitized by Google

satur in terra. Vos autem ditiores qui aliquando pecunias mutuo datis pauperioribus, cavete ne urgeatis eos quasi exactores, neve usuris opprimatis, quia Deus id fieri vetat; sed subvenite misericorditer in opibus, pascite famelicos, date potum sitibundis, cooperite nudos, visitate infirmos, & incarceratos, peregrinos in domum suscipite, mortuos sepelite, & omnes auxilio juvate, stultos declinate, facultatemque nocendi ipsis eripite. *Cum fatuis*, inquit Ecclesiasticus, *non habeas consilium; non enim possunt diligere nisi quae ipsis placent*. Atque ista de tertio nummo libasse sufficiat. Jam quartum, atque ultimum attingamus; qui nos ipsos respicit. Ad quem parandum sic vos, nieque instituam. Justitia opus est nobis non solum erga alios, de qua jam dictum est; sed etiam erga nos, quae consistit in voluntate, & animo nostro, ut scilicet nihil cupiamus quod sit injustum. In qua re unum est praecipuum consilium, ne quid faciamus aut facere velimus, quod dubitemus aequum, an iniquum sit; licet juvare nos lege, consuetudineque possimus. Si id conscientia non dictat, nullatenus nos defendamus. Adsit voluntas referendi gratias, proficiendique omnibus, etiam si facultas absit. Quo modo liberales erimus. Ut simus fortes, non frangamur metu, neque cupiditate, neque voluptate; pecuniam si abest contemnamus; si adest ad beneficentiam liberalitatemque conferamus; exerceamus corpus nostrum, ut obedire consilio rationique possit; in exercendis negotiis & in labore tolerando, si simus juvenes; senibus autem labores corporis minuendi, exercitationes animi augendae sunt. Caveant senes ne languori se desidiaeque dedant. Ne objectemus nos periculis sine causa; nemo plus famam, quam salutem curet. Quanto superior quisquam est, tanto se gerat submissius. In rebus secundis potissime consiliis utamur. Nec assentemur ipsi, nec aures assentatoribus praebeamus. Quid de nobis alii sentiant dicantque minimè negligamus; nihil agamus, cujus causam probabilem reddere non possimus: ludo, vel joco qui sit profusus, aut inhonestus non utamur; sic enim tem-

Digitized by Google

temperati erimus. Prudentia verò tunc augetur, cum mens hominis alitur discendo, cogitando, inquirendo, agendo, videndo, audiendo: victus, cultusque corporis ad valetudinem referatur, & ad vires, non ad voluptatem. Ad quas res apti natura sumus, in his elaboremus, si modò honestae sunt. Si mutandum est genus vitae, bono consilio fiat; non imitemur quemque in vicium. In omni re agenda, & consilio capiendo servemus constantiam. Quae natura in nostro corpore occultavit, ea ab oculis hominum removeamus. Quidquid naturaliter ab oculorum auriumque approbatione abhorret, fugiamus: status, incessus, sessus, accubatio, vultus, oculi, manuumque motus decore se habeant. In vestitu nec odiosa munditia, nec inhumana negligentia videatur. In ingressu, neque tarditas sit, neque celeritas nisi coacta. Motus animorum duo sunt, alteri cogitationis, appetitus alteri. Cogitatio in exquirendo vero versatur, appetitus ad agendum impellit. Cogitatione igitur ad res optimas utamur, rationi appetitum subjiciamus. Facessat e splene nimia laetitia, ira ex felle, libido ex jecore, timor ex corde. Avertamus faciem nostram ab omni turpitudine, & praesertim a muliere compta, ut, inquit Ecclesiasticus, quia eruendus est oculus, qui scandalizat, ut jubet Salvator. *Sex sunt*, inquit in parabolis Sapiens, *quae odit Dominus, & septimum odit anima ejus*; quae diligenter vitanda sunt; *oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias. Lingua modicum membrum*, ut ait Apostolus Jacobus, *& magna excitat incendia*. Plurimum erramus in multiloquio; ob quam rem duo sunt nobis praecepta necessaria, ut inquit Socrates, unum ut tacere, aliud ut loqui discamus. Tacenda sunt omnia turpia; honesta verò semper dicenda. De loquendo autem haec sit regula. Sermo lenis instituatur, non pertinax, non contentiosus; insit in eo lepos atque jucunditas. Nemo

mo ſic loquatur ut alios excludat, nec ſemper de una re ſit, ſed varietur; non detrahat, non irrideat, non ſit maledicus, non contumelioſus. Si ad inhoneſtas res ventum fuerit, mox revocetur ad honeſtas. Ut ratio eſt incipiendi, ſic & finiendi modus ſit. Nihil de nobis ipſis praedicemus, falſa praeſertim, cum inimicos alloquimur. Si quid audimus moleſti, gravitatem tamen teneamus, & pellamus iracundiam; nam quae cum perturbatione fiunt, ea nec conſtanter fieri poſſunt, neque ab his qui aſſunt probari. Verum cum os unum ſit nobis, aures duae, audiamus multa, loquamur pauca. Sic ergo & aures & linguam inſtruamus. Nares ab odoratu turpi cuſtodiamus, neque oblectemur odoribus. Guttur atque palatum contentum ſit eſca communi; nec vina pretioſa, nec cibaria delicatiora quaeramus, & quantum ſatis eſt ad ſubſtentandum naturam ſuſcipiamus. Caſtigetur venter, & in ſervitutem redigatur, ut obſequatur & obtemperet rationi. Somnus is recipiatur qui foveat, & nutriat ſpiritum, non hebetet: nullum membrum in corpore noſtro turpitudini ſerviat. Unam ad quam vivamus regulam praetendamus, & ad hanc omnem vitam noſtram cum honeſtate timoreque Domini exequemur; ac ſic quartum illum, & ultimum nummum inveniemus, quem beatiſſimo Petro praebentes, ingredi januam coeleſtis regni merebimur; & nihilominus dum ſpiritus hos reget artus, vitam hic in terris tranquillam, felicemque obtinebimus. Si tamen ſuper his *modicum nunc contriſtari oporteat in tentationibus variis*, ſuſtinete patienter; & facite, *ut probatio veſtrae fidei pretioſior ſit auro, quod per ignem probatur in laudem, gloriam, honorem, & revelationem Jeſu Chriſti, quem cum non videritis diligitis, & in quem nunc quoque, non videntes, creditis; credentes autem,* ut inquit ille janitor, cui nummos afferre debetis, *exultabitis laetitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei veſtrae, ſalutem animarum veſtrarum.* Et ut Apoſtolus Jacobus affirmat, *coronam accipietis, quam promiſit Dominus diligentibus ſe* in regno coeleſti,

sti, ad quod vos perducat Christus Jesus, quem cum Patre, & Spiritu Sancto regnantem per omnia saecula profitemur. Amen.

ORA-

Digitized by Google

ORATIONIS IV.

Argumentum.

Coactum Basileae Concilium ita placuerat Germanis Principibus, ut audax illud facinus novi capitis Ecclesiae imponendi, veteri deposito, minime probarint. Quare neutri parendum censuerant, quandiu de veritate plenius non docerentur. Tandem veritatem agnoscentes opera potissimum AEneae Sylvii in Francofordiensi priori Conventu, statuerunt propositis conditionibus obsequium Eugenio restituere. Missus Romam AEneas voluntatem Pontificis quoad conditiones illas exploravit, cunctisque cum eo compositis, rediit iterum in Germaniam, & in novo Francofordiensi Conventu, anno 1446. coacto, ita res omnes attemperavit, quomodo norat accepturos Germanos Principes, nec Eugenium reprobaturum. Admissa sunt omnia in consilio Principum, quare Legati ad Eugenium Pontificem delecti, AEneas Imperatori a secretis, & Procopius Raberisteyn Bohemus. Romam ut venerunt & in conspectum admissi, AEnea oratore, hanc orationem habuerunt. Exponitur in ea sumptum a Principibus consilium parendi Eugenio; pacis hujus leges proponuntur quatuor, I. ut generale Concilium statim & in loco mox designando indicatur, II. ut generalium Conciliorum cognoscatur authoritas. Id vero ita ex condicto admissum est, ut summa esset Conciliorum authoritas, siquidem rite & canonice celebrata fuissent, quod ex Eugenii sensu, Pontificis confirmationem non excludebat. III. ut gravata multis exactionibus Germanica Ecclesia alleviaretur. IV. quaecunque electorum Principum incommodo constituta fuerant, haec infecta statuerentur. Admissa sunt a Pontifice omnia; atque ita Germania rediit ad obsequium, eoque subducto fulcimento Basileense Concilium ruit.

ORATIO IV.

Pro fideli Alamannorum obedientia, reconciliationeque Schismatis, ac celebrando Concilio coram Eugenio Papa IV.

Ex Martene Vet. Monum. Tom. VIII.



ON habet me dubium, Pater sanctissime, quin apud te sit illa domus, quam Dominus in Evangelio supra firmam petram laudat aedificatam, ad quam recurrendum est regnante diluvio; nam extra eam non est salus, & ejus decorem diligere se Propheta testatur; persuasumque mihi jam dudum fuerat in amplissimo loco neminem loqui decere, nisi vel summa doctrina, vel auctoritate, vel vitae sanctimonia praestantem. Rursus quoque nihil huc afferri rebar oportere, nisi perfectum ingenio, elaboratum industria, rebusque ipsis illustratum esset; nec immerito, nisi fallor. Quis enim aliter vel coram te, summo Pontifice, aeterni regni clavigero, ac Jesu Christi vicario, vel coram his gravissimis, ac sapientissimis Patribus verba faciens commendatur?

Haec ego, cum alias ad te missus mecum tacitus expendissem, in tuae Sanctitatis conspectu tacere, priusquam loqui voluissem; sed quoniam solus eram, qui Legationis Regiae munus obibam, quod voluntas repulit, necessitas impulit. Nunc vero secundo ad te remissus, sperabam nobilis Equitis, ac clarissimi collegae mei, beneficio & eloquentia hoc fasce levari, qui & prudentius, & gravius, & ornatius multo quam ego desiderium regium, electorumque Principum complevisset. Sed nescio quid factum sit, ut mihi potissime nihil apto, & multum repugnanti sit onus dicendi mandatum; forsitan quia tecum alias, vel quia sum Italus, habere nonnihil energiae vel notitia, vel communis patria creditur. In me

Vide Argumentum hujus Orationis.

Digitized by Google

me aliud nihil eſt, quod mihi prae caeteris facit dicendi neceſſitatem. At ego, etſi magnum eſt jubentis imperium, etſi parere majoribus cupio, neutiquam tamen in praeſentiarum tuam alloqui ſanctitatem fuiſſem auſus, niſi me res ipſae, de quibus eſt agendum, maximae, Reipublicae Chriſtianae plurimum neceſſariae commoviſſent; niſi & animum illi darent, quorum nomine verba fient, ſublimes altique Principes, quos intueberis dum me audies, & quod tuae mihi negaſſent aures, praeſtabunt illis. Nec enim vel pauca ſunt, vel ab ingratis miſſa Principibus, quae mihi oranda incumbunt. Caeterum quia moris eſt coram te loquentibus breviuſculam ſibi aliquam unde exordiantur ex ſacris literis ſententiam aſſumere, non adverſabor ipſe conſuetudini, quam docere oporteret. Inter auctoritates autem quas ſacroſanctis poſſum ex codicibus mutuari, nulla mihi aptior, nullaque noſtro convenientior propoſito viſa eſt illa, quam nobis Paralipomenon affert: Morabatur in praeſidiis inclytus David; acceſſerunt ad eum viri Beniamin & Juda, quibus obviam David egreſſus: *Si pacifici venitis*, inquit, *ad me, ut auxiliemini mihi, cor meum jungatur vobis. Si autem inſidiamini mihi pro adverſariis meis, cum ego iniquitatem in manibus non habeam, videat Deus patrum noſtrorum, & judicet*. Ad quem illi: *Tui ſumus, o David, & tecum, fili Iſai, manebimus. Pax, pax tibi, pax adjutoribus tuis, te enim adjuvat Deus tuus*.

Aptiſſima, ſicut mihi videtur, ad propoſitum noſtrum verba ſunt. Quaeris enim forſitan ex nobis, Pater ſanctiſſime, an amici venimus; quid quaerimus: quid afferimus; dum nos omnino, non nos ipſos, qui auſumus, ſed Dominum Caeſarem Fridericum, tuae Sanctitatis devotiſſimum filium, ac praeclariſſimos Principes, & reverendiſſimos Patres Sacri Imperii Electores, tum proceres & Praelatos tibi dediſſimos, quorum hic oratores vides, intelligi volo. Sumus igitur non ſolum amici, ſed etiam adjutores, pacem afferimus, pacem quaerimus, atque idcirco cum filiis Beniamin & Judae dicimus: *Pax, pax tibi, pax adjutoribus tuis; te enim adju-*

juvat Deus tuus. Plena pacis petitio est, plena pacis oblatio. Pacis nomen, ut inquit orator, dulce est, & res ipsa tum jucunda, tum salutaris. *Qui ineunt pacis consilia*, teste Sapiente, *sequitur eos gaudium*. Dominus vero in Evangelio, beatos esse pacificos tradit; ideoque jubet in Epistolis Doctor gentium, ut quae sunt pacis sectemur, mercedem repromittens. *Pacem*, inquit, *habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiscum*. Hujus igitur tam sanctae rei, tam utilis, tam necessariae, tam commendatae, & nuncii, & petitores sumus ac propterea repetimus: *Pax, pax tibi, pax adjutoribus tuis; te enim adjuvat Deus tuus*.

Super his verbis tria jacimus orationis nostrae fundamenta, & quae ultima sunt verba thematis prius recipimus. Ostendendum est enim quomodo te Deus tuus adjuvat, dum Germaniae Principes in tuum dirigit auxilium. Monstrandum est quam ferimus pacem; dicendum est quam petimus. Sic enim pacificum nostrum adventum intelliges, & cor tuum, sicut speramus nostris jungetur principibus, eruntque illi tui, & manebunt tecum in *principium*. Adjuvat igitur te Deus tuus, sanctissime Pater; adjutores namque tui Germanos Principes dedit. Altius sunt aliqua repetenda, si quo pacto nostri te adjuvent Principes referimus, quod brevissime faciam.

f. in perpetuum.

Exorto pridem apud Basileam dissidio, quod omnibus notum est, doluerunt Imperii Sacri Principes, dum vulnerari Ecclesiam, & inconsutilem Christi tunicam scindi videbant; moxque ad componendam in Ecclesia pacem navare operas statuerunt. Quod ut commodius facerent, utque nationis seditiones facilius evitarent, & ne processibus contrariis involverentur, quibusdam protestationibus usi sunt; devotionem tamen suam, quam erga te sanctamque Sedem Apostolicam gerebant, nihil propterea imminuentes. Sic animorum suspensio orta est. Hanc Albertus, indelebilis memoriae Romanorum Rex, amplexus est. Huic & invictissimus noster Fredericus Caesar assensum praebuit; tum ne a suis Electoribus, id exigentibus, dissentiret, tum ne plus sapere

Vide Argumentum hujus Orationis,

Digitized by Google

pere velle videretur, quam suus sapuerat antecessor, speravitque regia serenitas, vel pacem extemplo reperire, vel melius rem cognoscere. Elaboratum est saepe & multum pro concordia; sed quamvis tua serenitas semper bonum consuluerit, (1) ***nonnullorum tamen culpa factum est, ut omnes incassum hactenus conatus abierint***, ut frustra saepe Principes convenerint, frustraque nunc huc, nunc illuc transmissae fuerint legationes. Ea de re statuit regia Majestas, statuerunt & sui Principes modum suspensionis animorum ponere, convenientesque nuper Franchfordiae partim personaliter, partim per Legatos, ac scientes te illi succedere, cui dictum est: ***Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & dabo tibi claves regni coelorum; & pasce oves meas***; & plurima his fororia; recta vulgataque via obedientiam tibi praebere decreverunt. Sed quia nonnulli aderant tam ex Basilea, quam ex aliis locis, qui longe aliter sentiebant, aliterque suadebant, magna contentio fuit, & anceps praelium nunc huc, nunc illuc acie inclinata. Cum levasti manus, hoc est cum oratores tui benigne responderunt, ex parte tui nostrorumque Principum validius pugnabatur. Cum vero brachia remisisti; hoc est ***cum oratores tui duriores fuerunt***, languidior erat cuneus tuorum, vincebantque adversarii. Similis pugnae faciem habemus in Exodo: Fervente namque inter populum Dei, & Amalech praelio, ascenderunt Moyses & Aaron in verticem collis; Josue vero cum electis viris pugnabat. Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israël; sin autem paululum remisisset, superabat Amalech; & ut sim brevis; non coaptabo singula, ut possem, singulis. Sed vera est Chrysostomi sententia. Non cessat impugnari Ecclesia, non cessat insidias pati, sed in Christi nomine semper superat, semper vincit; & quamvis alii insidientur, quamvis alii repercutiant eam fluctus, fundamentum tamen, quod supra petram est, non quassatur. Exploratum est quod inquit Hilarius: Proprium esse Ecclesiae solet, ut tunc vincat cum laeditur, tunc intelligat cum arguitur, tunc obtineat cum superata videtur; nam etsi multoties desperatae res viderentur, ad

ad extremum tamen, cum ante oculos hominum tuae sanctimonia vitae, tua clementia, tua liberalitas, tua benignitas posita est, impletum est quod inquit Sapiens: *Cum placuerint Domino viae hominis, & inimicos ejus vertet ad pacem*. Namque non solum regia Majestas, quae tibi semper deditissima fuit, & quasi alter Josue pro te pugnavit; non solum Principes sui electores, atque alii viri electi tuum statum tuumque decus tuebantur; sed plures alii qui malignandi causa confluxerant, permoti sunt, & in tuum versi favorem. Quibus ex rebus manifestum est, quia te adjuvat Deus tuus, Germanosque Principes tibi efficit adjutores, quod fuit Orationis nostrae membrum primum, propter quod dicimus. *Pax, pax tibi, pax adjutoribus tuis; te enim adjuvat Deus tuus*.

Sed non monstravimus adhuc Beatitudini tuae qualis & quanta pax est, quam Sanctitati tuae afferimus; membri namque secundi destinata materia fuit, quam nunc breviter absolvimus. Nihil erraverim, clementissime Pater, si maximum esse, atque amplissimum dixerim munus, quod Apostolicae Sedi jam sumus exhibituri. Non enim unius Urbis, uniusve Provinciae, sive Regni, sed maximi & inclyti nominis Theutonici, nobilissimae, atque latissimae Nationis Germanicae declarationem, & obedientiam sumus exhibituri. Quod si gloriabundus de populo suo dicebat Moyses: *Non est alia natio tam grandis, quae habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Dominus Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris*. Quae est enim alia gens tam inclyta? & caetera hujusmodi? Quanto magis de Natione Germanica licet nostris Principibus gloriari, quae ab alpibus Italiae usque in Oceanum, & a Rheni fluente usque in Tartarorum barbariem protensa, tot splendidas Urbes in se continet, tot latissimas Provincias, tot amplissima Regna, tot venerandas Ecclesias, tot potentes Principes, tot populos, tot linguas diversas; nempe si, teste Sapiente, *in multitudine populi dignitas regis, & in paucitate plebis ignominia Principis*; ingens gloria est nostris Principibus, ingens dignitas. Sed major tuae Sanctitati modum

dum

Digitized by Google

dum in mirum, quae declarationem, & obedientiam recepturа est hujus nationis, in qua non solum Principes, ac Reges potentissimi sunt, sed ipsum regnorum omnium caput, Romanum Imperium est constitutum. Vetus dictum est, Sanctissime Pater, per duo luminaria magna, quae Deus in firmamento posuit, sanctam Apostolicam Sedem, & Sacrum Imperium significari. Duo sunt, inquit, unus ex tuis antecessoribus, quibus principaliter hic mundus regitur, regalis potestas, & auctoritas sacra Pontificum.

ca. Duo sunt *Dist.* XCVI. & *est Gelasii I.*

Praetereo nunc Apostolicam Sedem, quae nihil aliud est quam refugium, ac patrocinium orbis terrae. Taceo de sacro reverendissimorum Collegio, coetuque Cardinalium, qui recte mundi consilium, totiusque militantis Ecclesiae Senatus appellari potest. Quis satis Imperii Sacri privilegia possit exprimere? Quis satis augustalis culminis perorare valeat dignitatem? Sub Augusto nasci Salvator, & censum ferre dignatus est, didragma pro se Petroque solvi & reddi; quae Caesaris essent Caesari divinum jussit oraculum. Tantum quoque ex alto suscepisse privilegium Caesaream sublimitatem quidam afferunt, ut (2) Imperio stante, nihil sit cur Antichristi formidemus adventum. Sic enim Apostoli Pauli verba commentantur: *Qui tenet, teneat, donec de medio fiat*. At hujus amplissimae dignitatis potestas in divinum Caesarem Fridericum modernum rite translata est. Hujus igitur maximi Principis, mundi Domini, inter omnes, qui regnant, altioris, suorumque Principum, ac Nationis Germanicae debitam ex nobis recipies obedientiam.

2. Thess. 2. 7.

Sed quoniam de Natione loquimur, haec est illa natio, Pater sanctissime, quae viros habet industrios, litterarum capaces, rei militaris peritos, pacis cupidos, fidei zelatores, & ad omnia gnaros. Haec est illa natio, quae non modo hoc, modo illud, sed semper idem vult quando rectum est, quod semel voluit. Haec est illa natio, quae non leviter recipit aliquid, nec facile deserit. Quod si post dissidium ortum animorum suspensionem tardius videtur relinquere, confidit quia utilius tecum manebit, nec divelli unquam a tua devotio-

tione poterit; atque ista pax est, quam tuae Sanctitati asserimus, propter quam dicimus: *Pax, pax tibi, pax adjutoribus tuis, te enim adjuvat Deus tuus.*

At si pacem cupis hujusmodi, Pater Sanctissime, quemadmodum cupere te confidimus, opus est, ut Nationem Germanicam beneficio pacis quoque impartiaris, ut sit quoque pax adjutoribus tuis. Quis enim sic pacem aliis largiatur, quod pacis ipse remaneat expers? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducet? Quis os triturantis alliget bovis? Afferunt pacem Germani Principes, sed pacem etiam expetunt. Cupiunt enim aliqua, quae nisi obtineant, nec curari vulnera possunt, nec pax Nationis haberi. Ea quatuor principalia sunt. Primum est ut generale Concilium in hoc tempore locoque designando convocetur; alterum est, ut professio potestatis, auctoritatis, & praeeminentiae generalium Conciliorum catholicam militantem ecclesiam repraesentantium per tuos oratores Franchfordiae facta, tuis literis approbetur. Tertium est, ut Nationi Germanicae super gravaminibus opportune provideatur. Quarto & ultimo loco, ut quae in (3) *praejudicium duorum Principum Electorum*, vel suarum ecclesiarum acta sunt, ex tuae Sanctitatis clementia revocentur. Quibus per tuam Sanctitatem concessis, pax firma tibi erit, pax Apostolicae Sedi, pax Nationi Germanicae; pax toti Ecclesiae. Deorsum ista breviter & succincte libabimus.

Concilium sane propterea petitur, quia plurima necessario sunt reformanda, nedum in populo, sed etiam in clero; & providendum est ut omnis dissidii fomes in Ecclesia sopiatur. Et habet haec petitio plurimum honestatis, nec quisquam est qui non putet honestum generale Concilium convocari. Venerabile est, & in omnium populorum, gentium, Nationumque reverentia generalis Concilii nomen. Tanta quoque Conciliorum dignitas est, ut ex his non solum Romani Pontifices, sed etiam Episcopi, Caesares, ingentem gloriam sint assecuti. Praetereo quae multis in locis synodaliter & utiliter gesta sunt. In Constantiensi Concilio Schisma, quod circiter

ter annis quadraginta vexarat Ecclesiam abolitum est. Ex quo fit, ut honesta sit & sancta Concilii postulatio. Super qua re plurima diceremus, nisi quia te nunquam invenimus convocationi Concilii repugnantem, si quae vel (4) *olim Alberto Regi oblata fuerunt*, vel quae nuper Franchfordiae tui polliciti sunt oratores memoriae repetamus.

Sed migramus jam ad petitionem secundam, cujus tenorem superius recensuimus. Scimus, Pater Beatissime, in ea te Sede sedere, quae cardo & caput Ecclesiae, ut factum est, a Domino, & non ab alio constituta est. Et sicut cardine ostium regitur, sic hujus Sanctae Sedis auctoritate omnes Ecclesiae, Domino disponente, reguntur. Nihil est, quod aut regia Majestas, aut Principes tui de tua vel fide, vel sinceritate, vel doctrina mussitent; sed innuerunt apud Franchfordiam conceptum quendam mentis sinistrum de auctoritate Conciliorum oratores tui, qui plebi gravior videbatur. Is nunc penitus tuis literis extinguendus est. Consueverunt Antecessores tui, quos tu non solum sequeris, sed aequas, ac praecedis benefaciendo, obmutescere facere malorum hominum audaciam; dum rationem omnibus de sua fide reddebant. Nec novum est, nec inusitatum Romanis Pontificibus, Romanis Regibus suae fidei puritatem rescribere. B. Gregorius, cujus vita sanctior, an auctoritas major fuerit incertum putes, sicut quatuor Evangelii libros, sic quatuor Concilia se suscipere, ac venerari fatetur. Non tam lata, nec tam magnifica de te verba petuntur, sed solum quoddam, ut supra diximus; quod ab hac Sanctissima Sede non haesitamus assequi, cujus sublimitas in humilitate fundatur, cujus auctoritas in honestate stabilitur, cujus est omnia facere, quibus salus quaeritur animarum, & omnia fugere quibus scandalizari fratres queant. Duas jam petitiones absolvimus modo quo supra.

De gravaminibus dicendum est; audiat benigne Sanctitas tua, modestiamque Nationis attendat. Gravamina, de quibus agitur, bifariam dividuntur, alia per decreta tolluntur Concilii Basileensis; alia tuae Sanctitatis indi-

digent auxilio. Quae decretis abolentur, sunt reservationes nimiae, annatae graves, causarum ad Romanam curiam frequentes advocationes, & caetera istiusmodi, quibus ordinaria jurisdictio erat penitus evacuata; quae licet dudum ante tuam ad summi Apostolatus apicem vocationem Nationi gravia viderentur, non tamen ut decem illae Tribus apud Roboam filium Salomonis, auctoritate propria jugum excussit, sed Basileensis Concilii provisionem expectavit, (5) *cujus decreta cum nonnullis modificationibus* acceptavit, iisque est usa. Ergo ut posthac sine gravamine natio sit, quod iis decretis in futurum uti possit, per te liceat, petitur. Habes hujus partis modestiam.

Nunc honestatem sequentem cognosce. Dum locus neutralitati fuit, quamplures viri praestantes Ecclesiarum Metropolitanarum, Cathedralium, Monasteriorum, diversarumque dignitatum, & beneficiorum, vel integram, vel majorem partem bonorum possessionem sunt assecuti, quidam tua, quidam aliorum auctoritatibus. Horum pax securitasque deposcitur. Quod si in magna multitudine possessores nonnulli comperiuntur, injustis ditati titulis; tolerabilius est tamen paucos injuste possidere cum pace, quam multos juste possidentes pace turbari. Sunt enim quaedam sui natura injusta, quae communis boni causa, & publicae pacis intuitu sororia justis fiunt. Laudatur apud veteres, magnusque habetur Scionius ille, qui restitutis in Urbe sua sexcentis exulibus, non quae prius habuerant bona reddidit, sed accepta mutuo pecunia, quanti res eorum fuerant, accipere jussit. Indignum namque vir bonus putavit longi temporis praescriptionem possessione movere. Similiter & in omni unione vel nostra, vel majorum nostrorum tempestate celebrata, possessorum conditio semper melior fuit; nec ab re, nam si secus fiat, pax omnibus abrumpitur. Caetera quae petimus in scriptis, leviora sunt. Annatas enim remitti vel jus decretorum, vel tuae liberalitatis est munus; relaxari censuras, quae contra foedus neutralitatis actae sunt, pium aequumque. Si tamen inter haec aliquid est, quod Apostolicae Sedi grave

vi-

videatur, supplicant Principes, ut tua Sanctitas, quae patienter jam annis quindecim omnia quae acta sunt toleravit, nunc etiam pro parvo tempore patientiam habeat, & obedientiam Nationis, ut offertur, recipiat. Quo facto, omnia in melius redigentur; est enim intentio regiae Majestatis, & suorum Principum, hanc Sanctissimam Sedem, quae per Dei ordinationem ex munificentia Caesaris mirifice sublimata fuit, omnem dignitatem suam retinere, omne jus, omnem splendorem, omnem potestatem, ad quas res suis temporibus enixe laborare intendunt. In Francofordiensi diaeta non fuit otium, ut erat voluntas, de provisione tuae Sanctitati, tuaeque Sedi facienda transigere.

Quarta nunc & ultima petitio superest. Coloniensem, & Trevirensem Ecclesias, earumque Praelatos res ista concernit, cujus honestas eo major est, quo tuae naturae humanitati, dignitati, Sedique Apostolicae convenientior est. Nihil ad nos attinet, Beatissime Pater, de tuarum sententiarum viribus disputare, cum primae sedis facta solius Dei judicio reserventur. Sed formidamus scandalum, nisi tua clementia in hac ultima petitione preces nostras exaudiat. Namque Praelati magno conatu, magnoque Potentatu, amicis & clientelis fulti, in opibus amicisque fidentes sine spoliis, sine incendiis, sine magno Ecclesiarum damno amoveri facile nequiverunt. In veteri testamento cautum est, ne quis hoedum in ventre matris suae coquat, quod minime absurde fuerit interpretatum, si quis Praelatum in Ecclesiae sanguine mulctandum esse negaverit. Scis, beatissime Pater, quam sancta est Coloniensis Ecclesia, quam vetus Treverensis, quam venerabiles ambae, quam toto memorabiles orbe. Scis quantum cleri, quantum populi sub se habeant. Nolit tua Beatitudo duas illas Ecclesias, quae duo magna Nationis Germanicae luminaria sunt, nostris periclitari temporibus. Multis rationibus hunc locum consolari possemus; sed scimus tuam consuetudinem, clementiam, pietatem; scimus Cardinales, Episcopos, aliosque Praelatos, quos ad te redeuntes, non extulisti solum jacentes, sed amplificasti etiam eo-

rum

rum priſtinas dignitates. Scimus quia nulla res magis Deo proxima eſt, quam ſalutem hominibus dare. Ideo parcimus verbis, teque ſolum oratum facimus, ut tua Beatitudo, quae in alios ſaepe multos benigniſſima reperta eſt, nunc etiam erga Praelatos, & Principes, de quibus agimus, & ipſorum Eccleſias, ſui ſit memor ipſius, innataque ſibi clementia, & humanitate utatur. Quod ſi feceris ut ſperamus, & Nationem integram habebis obedientem, & nulla unquam aetas de tuis laudibus conticeſcet.

Haec ſunt, Sanctiſſime Pater, quae noſtri Principes ex te petunt. Magna ſane, ſed rationi, & honeſtati conſona. In prima petitione communis verſatur utilitas; in ſecunda humilitas; in tertia aequitas; in quarta benignitas, & tua deſideratur humanitas. Tuum eſt quod juſte petitur libenter annuere. In tua manu nunc eſt radicem omnem Schiſmatis evellere, pacem orbi concedere, conſolari Nationem, & ejus obedientiam ſuſcipere. Cumque, ut vides, noſtri Principes in amicitia ad te miſerint, ut auxilientur tibi, tempus eſt, ut cor tuum jungatur eis, ſintque illi tui, & maneant tecum in perpetuum; & tempeſtive, & convenienter a nobis dictum repetatur, quod ab initio ex ſacris accepimus literis. *Pax, pax tibi, pax adjutoribus tuis, te enim adjuvat Deus tuus*, qui tuam Beatitudinem proſperioribus dietim ſucceſſibus augeat.

NOTAE

In ſuperiorem Orationem.

1. NOnnullorum culpa factum eſt, &c. *Scopulus in quem Romanae Legationes omnes impingebant, ille erat duriſſimus, de Conciliorum authoritate, quam ad mentem, ut quidem rebantur Germani, Conſtantienſis Concilii, ipſi pariter indubitato Pontifici ſuperiorem agno-*

agnosci volebant Germani. Id vero decoquere non poterant Romani. Insuper ea, quae de tollendis annatis, alitsque vectigalibus Romano Pontifici solvendis statuerat Basileense Concilium potentissime trahebat Germanos; nihil verò ea de re indulgere volebant Romanae Ecclesiae Legati. Denique novum Concilium in loco a Basilea, & Florentia diverso indicendum esse vix proponi sibi Pontifex ad id usque toleraverat. Poscenti id pariter Galliarum Regi obsecundari recusaverat. Re tandem desperata Pontifex id arripuit consilii; cum praesertim in ejus aures clam insusurratum fuisset, Germanos post hac haud ita vehementer regressum suum ad Pontificem flagitaturos; ut ex actis Concilii Basileensis Patricianis refert Raynald. ad Ann. 1446. IV. *Quid in tantae rei expediendae difficultate praestiterit AEneas ad complanandam ad concordiam viam partim ex oratione hac, partim ex praemisso ad illam argumento nostro discere licet.*

2. Imperio stante nihil sit cur Antichristi formidemus adventum. *Hanc fuisse Patrum Sententiam Chrysostomi, Theodoreti & aliorum asserit a Lapide in* 2. *Thessal.* 2. 7. *Vide & Calmet Comment. in eandem epist. Verum Pauli dictum alii longe aliter exponunt. Vide Calmet ibid.*

3. Ut quae in praejudicium duorum Principum Electorum. *Archiepiscoporum nempe Coloniensis, & Trevirensis. Ambo hi Principes praeter communem illam cum caeteris Imperii Principibus offensionem in Eugenium, quod scilicet ab ejus obsequio tantisper se continuerant; laesos etiam se privata injuria a Pontifice querebantur. Utrumque enim Eugenius lata sententia ac expedita Bulla exauthoravit. Dejectionis hujus meminit Gobelinus Comment. lib.* 1. *pag.* 11. *edit. Francford.*

4. Quae olim Alberto Regi oblata fuerant. *Vix in animum inducere potuissem, Eugenium jam inde a tempore Alberti Caesaris spem fecisse Germanis de Concilio, tertio quodam in loco habendo. Nihil quidem ea de re legi uspiam; quare nisi apud me summe valeret AEneae aucto-*

auctoritas, nunquam his fidem addixissem. Oportet vero haec proposuisse Nicolaum Albergatum Card. tit. S. Crucis, quem Eugenius Legatum suum ad dietam Nurimbergensem anno 1439. *miserat, ut ex Poggio in laudatione funebri ejus Cardinalis admonet Raynaldus in Annal. ad eundem annum num.* 23. *Facit in rem praesentem epistola AEneae Sylvii ad Joannem Carvajal. lib.* 1. *epist.* 25. *in qua scribit oblatam esse a Pontifice tertii Concilii celebrationem Regi Galliarum.*

5. Cujus decreta cum nonnullis modificationibus acceptavit. *Id ipsum repetunt Acta Concilii Patriciana cap.*88. *Instantibus Legatis Basileensium, conventus Germanorum acceptavit suscepitque omnia Concilii Basileensis decreta, ea pariter quae ad judicium contra Papam qupdammodo spectabant; & in plerisque aliis limitationes & exceptiones aliquas praescripsit a Concilio deinde confirmandas. Acta sunt haec Maguntiae* VII. *Kal. Aprilis an. Sal.* 1439.

ORA-

ORATIONIS V.

Argumentum.

PHilippo Maria Vicecomite Mediolani Duce anno 1447. extincto, cum nulli ex eo liberi superessent, ditionis illius Principatum ambierunt multi. Alphonsus Aragoniae Rex ex testamento Vicecomitis relictus haeres jus illud suum urgebat; Carolus Aurelianensis Dux eam sibi pariter haereditatem asserebat debitam ex juncto olim inter suos, & Vicecomites connubio. Fridericus vero Caesar, ex familiae Vicecomitum extinctione, revolutum ad Imperium feudum contendebat. Rei suae repetundae Caesar AEneam Sylvium Piccolomineum Secretarium suum eo misit una cum Friderico Episcopo Secoviensi, Gaspare Sclichio Imperii Cancellario, Joanne Magistro Camerae, Jacobo Landronio Physico, & Pancario Rinzate, nobilibus equitibus. Causam Legationis, suo & omnium Sociorum nomine AEneas oratione hac Mediolanensibus exposuit, jus simul Caesaris, Urbis commune, & privatum civium commodum in ea Principatus restitutione, si Caesari concederetur, expendens. Nec Mediolanenses difficiles nactus fuisset, quin in eam sententiam, agnoscendi Caesarem dominum, concederent; siquidem dominatione certis diffinita limitibus (id enim sibi juris olim concessum affirmabant) Caesar uti consentiret. AEneas, quamvis iniquiores esse conditiones illas intelligebat; admittendas tamen judicabat, ac serviendum tempori. Negantibus tamen Sociis, nec acquiescere volentibus, re infecta, Legatio absoluta est.

ORATIO V.

Ad Populum Mediolanensem.

Ex Lucensi Codice nunc primum datur.



EST mihi non parum oneris, Rev. Patres, Magn. & spectabiles Domini, caeterique viri praestantes, in hoc amplissimo loco, gloriosissimi Domini nostri D. Friderici Romanorum Regis semper Augusti, quae suscepimus mandata referre; quamvis justissima sunt, & vobis erunt, ut arbitror, omnibus gratissima & perjucunda; scio namque quia nec rerum magnitudini, nec auditorum dignitati, nec mittentis auctoritati parem orationem habebo; solatur me tamen unum, postquam collegis parere oportet, in auditorio namque sapientum virorum loquar, apud quos potentior est nuda veritas quam vestita, qui nec lenocinia diligunt, nec artificiosis orationibus delectantur. Parebo, igitur superioribus meis, & aperto sermone, quae nobis commissa sunt, absolvam paucis. Vos non tantum aures, obsecro, sed etiam animos adhibete. Res enim maximas & huic utiles populo totique patriae gloriosas exponam.

Accepit sane regia sublimitas, non multi sunt dies, clausisse oculos, naturaeque debitum persolvisse indelebilis clarissimaeque memoriae Dominum quondam Philippum Mariam ducem, & principem vestrum. Indoluit ejus obitum regia majestas, nam & consanguineum amisit charissimum, qui multis victoriis, magnisque rebus gestis claruerat, & imperium sacrum fideli ac memorabili principe destitutum videbat, ferventeque bello, timebat ne mors tanti Domini magnam aliquam mutationem clademque pareret. Et quoniam de Mediolanensi sanguine origo est illi; quanto magis afficitur huic urbi, tanto de vobis statuque vestro solicitiorem cu-

curam gerebat. Intellexiſtis jam vos ſuis ex literis, quomodo Venetis & aliis per circuitum exiſtentibus mandatum eſt, ne quam vobis moleſtiam inferant; ſed urbem iſtam totumque dominium ſub imperii ſacri devotione, ac ſub alis regiae majeſtatis tanquam veri naturalis & ordinarii domini, honeſtate, libertate paceque frui permittant. Intellexiſtis etiam decreviſſe regiam majeſtatem oratores ſuos huc transmittere, mentem ſuam ſignificare plenius; totiſque conatibus ſuis ad tuitionem veſtram navare operas. Medio tempore vos, uti fortes viros decebat, patriam tutati eſtis, libertatem defendiſtis, nec alienari dominium permiſiſtis. Commendat hoc regia majeſtas, confidenſque vos, uti fideles praeſtanteſque viros, ad honorem & commodum imperii, cujus eſtis peculiares, omnia direxiſſe. Nec enim vos latet hanc urbem, caeteraque dominia iſtius patriae, quae fuerunt Ducis privati, ad imperium ſacrum ſereniſſimumque Dominum noſtrum Romanorum regem tanquam feudi dominum pleno jure per mortem ejus eſſe devoluta; ſolamque regiam majeſtatem de jure in his habere juriſdictionem. Aſſumus jam igitur nos oratores regii, quos cernitis, plenaque poteſtate fulciti, rogamus dignitates veſtras, & requirimus magnificentias, ut poſtpoſitis aliis tractatibus, ſi qui ſunt obliqui, regio culmini vero, & naturali domino veſtro dumtaxat auſcultetis. Namque cum ſacro imperio, cui juridice ſubeſtis, honorem ſuum, & debitum veſtrum praeſtabitis, glorioſiſſimam pacem adipiſcemini. Nulla de vobis querela ſupererit, & firmus erit ſtatus veſter. Accepimus aliquos eſſe, qui vobis multa repromittunt; neminem nominamus, vos illos melius noſtis; videant amicitiae veſtrae, ne ſub blandis verbis deceptiones lateant, ne plus quaeratur quam offeratur. Fugiendi ſunt adulterini Domini. Qui verus eſt haeres, cui jus competit, illi dandus eſt honor. Juſta imperia firma ſunt, ſtabilia, perpetua. Cum tyrannis abortiviſque dominis nulla poteſt eſſe firma tranquillitas, nulla pax, nulla quies. Saepius experta eſt hoc Longobardica terra. Quidquid violentum eſt, caducum eſt; in-

infirmus est principatus, quem gladius non fides tuetur. Justum imperium non indiget ferro. Melius ista cognoscitis, quam nos fari possimus. Et quoniam imperiales estis, nullam viam intelligitis esse securam, nullum stabile foedus, nullum solidum regimen, cui non faverit culmen imperiale. Exhortatur itaque populum istum regia Majestas, ut secum de hac florenti republica conveniatis, sibique tanquam justo principi vestro, de vestro sanguine originem habenti, (1) condignum praebeatis honorem. Ad cujus perinsignis dominii gubernationem suis consiliis & auxiliis auscultare velitis; quia non solum protegere & conservare, sed etiam augere totis viribus pristinam vestram dignitatem intendit. Novit serenitas imperatoria urbem istam splendidam, ac magnificentissimam, quae coeli clementia, soli ubertate, ac industria civium, non solum Galliae Cisalpinae, sed Italiae totius praecellit Urbes, ut tradunt historici, duobus millibus annorum, & amplius semper Insubrium caput fuisse, & nunc magnorum Ducum, nunc Regum, nunc Caesarum sedem extitisse. Nam & Theodosium, & Valentinianum Romanosque plures hoc loco Imperatores sedisse, jura reddidisse, Concilia celebrasse constat. Semper autem magnum & clarum populi Mediolanensis nomen erat. Multae subinde varietates fuere, utque nutant semper mortalia, nunc floridus, nunc obscurus hujus Urbis status fuit. Ad manus demum nobilissimae domus Vicecomitum venistis, qui primo (2) munere Divi Henrici Caesaris septimi Imperatoris Imperiales Vicarii, & tandem gratia gloriosissimi Regis Wenceslai creati Duces annis centum, & ultra Principatum in hac Urbe tenuerunt. Multa superioribus temporibus perpessus est hic populus dura; dum fortunarum potius quam fidei vult jacturam pati. Modo, qui rursus ad Imperium reversi estis, non ambigit regia sublimitas quin vos Imperio fideles sitis, qui fuistis Ducibus fidelissimi. Quod si feceritis, ut spes est indubia, post maximam tempestatem felici serenitate fruemini. Redibunt tempora prisca, rursusque triumphabitis. Quatuor autem potissime bona sub devotione, & obedien-

tia

tia Sacri Imperii consequemini; libertatem honestam, pacem longam, gloriam ingentem, & divitiarum incrementa. Quae sunt enim privilegia vestra ex indulgentia Caesarum vobis concessa, & rite confirmata, rata vult manere regia benignitas. Novas & inordinatas exactiones, gabellas insolitas, gravesque tollere; jura & libertates vestras, uti rationabiliter processerunt, sine violatione consistere; utque libertas sit omnibus bene vivendi, novis & decentibus honoribus hunc populum sublimare. Vicinos vestros ad pacem vel inducet, vel compellet regalis providentia. Non est parva, ut omnes sciunt, potentia Serenissimi Domini Regis nostri, (3) qui patruelem suum gubernat, Hungariae Bohemiaeque Regem; inclita domus Austriae, cui praesidet regalis sublimitas, longe lateque dominatur. Italiam ab Adriatico sinu secus Forum Julii per Athesinos pluresque montes Sabaudiam cingit. Consanguinitate & affinitate conjuncta est omnibus Germaniae Galliaeque Principibus. His accedunt vires imperii incomparabiles, maximi Domini civitatesque potentes Alemaniae ad Imperii gloriam decusque voluntariae. Nec in Italia desunt, uti Deo dante videbitis, qui favent Imperio Principes populique. His adjumentis vobis debite juvantibus B. Ambrosio Protectore vestro opem ferente, & justitia suffragante, non erit difficile sublimitati regiae quod proposuit hostes propulsare, agros tueri vestros, vendicare quae sunt erepta, pacemque perpetuam constituere. Ex his nascetur ingens gloria populo Mediolanensi, qui ex Ducali Imperialis factus libertatem defenderit, hostes terruerit, amissa recuperaverit, pacem obtinuerit: qui nulli subest, nisi cui subsunt omnes, qui regem habet de sanguine suo cretum, affectum sibi prae omnibus & gratiosum, qui solo paret Imperatori, cujus officium, dignitas & auctoritas omnibus se gratiosum praestat saecularibus potestatibus, cui subesse libertas est, & regnare potius quam servire. Ex his etiam pace parta ampliabuntur divitiae vestrae. Filia bellorum paupertas est; pax est mater opum. Uberes sunt agri tempore pacis, utilia flumina, feraces etiam sylvae, omnia in pace fructi-

ctificant; multa ex pace vobis succrescent commoda. Venire namque ad vos decrevit personaliter, morari inter vos, suamque sedem more majorum, ut opus esse cognoverit, hic locare. Sequentur multi ex Alemania Principes, clarisque semper ejus curia florebit plena magnatibus. Habebitis hic Principem humanissimum, nulli gravem, omnibus mitem, pium, religiosum, justitiae cultorem; quem semper affari poteritis, ac ejus aspectu benignissimo jucundoque perfrui. Clerus vester sub religioso Principe, religiosam observabit vitam, gaudebitque libere suis bonis. Nobilitas in curia regia splendidior fiet; literati industriosique omnes viri tribunal Imperatorium circumdabunt; mercatoribus terra, mariaque patebunt. Quotidianum lucrum artifices duplicabunt. Conditionem suam singuli meliorem efficient; auctaque civitas haec divitiis, potentatu, honore, gloria ad pristinam dignitatem splendoremque revertetur: cum sedentibus hic Caesaribus Romam alteram appellabunt Mediolanum. Quae cum ita sint futura verisimiliter; cum vera intelligatis esse, quae dixerim, omnia, nec aliquis ea justa saltem ratione refellere possit; cumque hoc dominium ad Sacrum Imperium de jure pertineat; cum velit possitque regia Majestas vos tueri, cum libertatis honestae pacisque bonum vobis repromittatur; cum gloria, & utilitas hinc maxima redundet; cum procuIdubio status nullus in hac Patria sine justitia, & Imperiali beneplacito stabilis esse queat; cum Dominus noster Divus Caesar Fridericus ex sanguine Mediolanensium natus, huic civitati affectissimus tanquam Romanorum Rex vester sit naturalis, ordinarius, verus & supremus Dominus: velint magnificentiae vestrae suam Majestatem uti dominum vestrum debite venerari, sibique, sicut par est, circa regimen hujus Urbis directionemque vestri status, & aliarum terrarum in his, quae justa & rationabilia sunt, acquiescere, & una secum, nobis mediantibus, pertractare ac concludere, ut descendat super vos benedictio Domini, qui vos totamque vestram communitatem sub devotione, obedientia, atque obsequio regiae Majestatis ad laudem, & gloriam super-

per-

perni Numinis, & Imperii sacri decus felicioribus in dies efferat incrementis. Amen.

NOTAE

In superiorem Orationem.

1. DE vestro sanguine originem habenti. *Fridericus natus est Ernesto Austriae Duce parente, qui sane Ernestus Virida Vicecomite, & Leopoldo Austriaco parentibus est ortus. Fridericus igitur proavos Vicecomites habuit. Vide Crescentium amphitheatr. part.* 1. *pag.* 325.
2. Munere Divi Henrici Caesaris VII. Imperialis Vicarii. *Corius tamen in historia Mediolanensi dignitatem hanc Vicarii Imperialis datam asserit primo Arnulpho Imperatore Matthaeo Vicecomiti, circa annum* 1293. *Idem praestitum ab Henrico Lucemburgensi AEneae affirmanti facile concesserim, quanquam nullibi legi, dummodo hac Henrici concessione non quidem novam dignitatem Matthaeo datam, sed veterem confirmatam dixerimus. Credibile est enim Henricum, cujus Matthaeus olim fuit studiosissimus, nihil illi retraxisse eorum, quae Caesarum beneficio jam obtinebat. Ducis Mediolanensis titulo Joannem Galeatium ornavit Venceslaus Imperator anno* 1395., *applaudente hominum tum civium cum exterorum turba confertissima, quae spectaculo interfuerat.*
3. Qui patruelem suum gubernat. *Ladislaum Bohemiae, & Hungariae Regem octennem novennemve tunc puerum, Alberti Regis Romanorum, tum & Hungariae ac Bohemiae Regis filium, Friderici patruelis tutelae a matre commendatum adversus aemulum Uladislaum Poloniae Regem, cui regna Bohemiae & Hungariae quidam detulerant. Vide Raynald. Annal. a.* 1440. 12.

ORA-

ORATIONIS VI.

Argumentum.

TErgestinus Episcopus renunciatus AEneas, novique muneris curis occupatus, anno Jubilaei 1450. revocatus est ad Fridericum Caesarem, jussusque una cum Gregorio de Populosa, & Michaële de Plenavilla, solemnem Legationem obire Neapolim, ad postulandum Caesaris nomine matrimonium cum Leonora Alphonsi Lusitaniae Regis sorore. Agebat ibi Alphonsus Rex Aragonum & Siciliae, puellae avunculus, eoque & Lusitani oratores convenerant. Ea dexteritate rem tractavit, ut brevi inter partes conveniret. His ergo stabilitis, AEneas nobile connubium pro concione celebravit, hac oratione, quae postmodum a multis conscripta est, *ut ipse de se testatur AEneas in Commentar. sub Gobelini nomine vulgatis lib.*1.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO VI.

Ad Alphonsum Sapientem Siciliae Regem super connubio Friderici & Eleonorae.

GRATULATORIA.



Uamvis grandes materias (ut inquit Hieronymus) ingenia parva non sufferant, conandum tamen est mihi, Serenissime Princeps, Rexque victoriosissime, quae per hos dies tuae Majestatis auctoritate sponsalia sunt conclusa, his qui adsunt exponere; cum de rebus ad imperatoriam sublimitatem pertinentibus loqui nulli magis incumbat, quam Legatis Imperatoriis. Audiat igitur tua Serenitas, oro, audiant & circumstantes, precor; etsi non mihi, (neque enim mereor) rei saltem de qua sermo fiet, aures accommodent, quae magna est, admirabilis, rara, honestissima. De nobilissimo namque Matrimonio loquar, altissimo, potentissimo, incomparabili. *Ex Frehero T. II. pag. 17.*

Regia virgo Romano Imperatori promissa, Leonora Infans Portugalliae, excellentissima nobilium puellarum, Neptis tua carissima, divo Caesari Friderico Romanorum Regi Augusto, pio, foelici, atque triumphatori desponsata est. Ingens affinitas, potentissima parentela, generosissima conjunctio, ob quam causam divina res agitur, Deo nostro gratias reddimus, festam haud injuria ducimus diem, exultamus, hilares omnes sumus, nec tantam amicitiam sine magno Christianae religionis fructu conflatam esse putamus, in qua non solum res ista matrimonii commendanda est; sed personae quoque contrahentes ingentibus extollendae laudibus sese offerunt. De his ergo duobus dicendum est mihi, etsi rerum dignitatem mea magis attenuabit, quam explicabit oratio. Dicturus autem de bono conjugii, necessarium ar-

arbitror, eos prius refellere qui genus omne foeminarum maledictis compellationibusque probrosis insectari non desinunt. Namque cum matrimonium ex maris atque foeminae conjugatione consistat, quae poterit laus illi competere, si una ex parte mancum claudumque fuerit? Non est haec Danielis statua, cujus pedum pars quaedam ferrea, pars fictilis erat? Nec bestiam contuemur Horatii, quae mulier formosa superne in atrum fingitur piscem desinere, sed rem veluti sacram, sic ex partibus suis integram, ac perfectam prosequimur. Audiamus tamen quid adversus foeminas afferatur; postea judicemus. Ajunt equidem in sacris eloquiis complurima esse testimonia, quae mulieribus adversantur. Rugire contra foeminas Augustinum, Ambrosium, Hieronymum, Gregorium, caeterosque Doctores Ecclesiae duros in eas: Virgilius, Juvenalis, totusque poëtarum cuneus asper; Cato saevissimus commemoratur; avaras, instabiles, crudeles foeminas esse affirmant. Adducunt exempla malarum, atque ab his clades exortas in medio proponunt. Post haec Philosophos citant, qui de uxore ducenda consulti suadere non praesumpserunt, cum huic orbi tantas inde molestias formidarent. Metelli quoque Numidici mentionem efficiunt, qui (ut est apud Gellium de noctibus Atticis) *Si sine*, inquit, *uxoribus possemus, Quirites, esse, omnes ea molestia careremus; sed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis satis commode, nec sine illis ullo modo vivi possit, saluti perpetuae potius, quam brevi voluptati consulendum*. Atque haec fere sunt, quae contra foemineum sexum, contra matrimonium, non justi aestimatores adducere consueverunt. Sed sunt haec omnia (nisi fallor) confutatu facilia: in primis enim quod in sacris literis adversus foeminas traditur, de quibusdam perversis accipimus. Fatemur enim & in sexu foemineo malitiam reperiri, id videlicet universaliter non recipimus, alioquin & viros omnes damnare oporteret. Nam etsi de foeminis scriptum est: *Unam de millibus non inveniri*, de viris quoque in Psalmis legimus; *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*; & apud Satyricum

Juven. Sat. XIII.

Rari

Rari quippe boni, vix sunt numero totidem, quot
Thebarum portae vel divitis ostia Nili

Et amplius sese cohaerens — *l. corrigens.*

Egregium, ait, *sanctumque virum, si cerno, bimembri*
Hoc monstrum puero, & miranti jam sub aratro — l. *vel mirandis sub*
Piscibus inventis, & foetae comparo mulae.

Sancti verò Doctores dum foeminas detestantur, aut malas quasdam jure condemnant, aut castitatis promissores alloquuntur, quos fugere mulieres abhorrereque suadent. Idem virginibus sacris Deo dicatis, atque nuptis de virili sexu, & saepe dictum est, & saepius esset dicendum. Continentiam namque professis viris foeminae, & foeminis viri formidandi sunt hostes. Poëtas nihil mirum est in foeminas debacchari, nam viris quoque non parcunt. Catoni magno satis apud Livium respondit L. Valerius, qui legem Oppiam, iniquam mulieribus, obtinuit abrogari. De criminibus nihil attinet disputare, quando haec eadem & multo pejora in nostro sexu reperiantur. Nec malarum exempla me movent, aut antiquae clades humano generi per mulieres illatae. Namque si mulierum, virorumque turpia facta repetere, & a primo proditore Cain usque ad sceleratissimum Judam, & in hanc usque diem sceleratas utriusque sexus actiones comparare voluerimus, innocentes respectu virorum foeminas ostendemus. Sed obstant angustiae temporis; indulgeo brevitati. Ad Philosophos venio, quorum nullus (teste Lactantio) sic vixit ut scripsit. Quis fontem eorum, ac verticem, & Apollinis testimonio sapientissimum Socratem conjugio detrahentem aequis auribus audiet, cum Xantippe non contentus una, duabus sese uxoribus commiscuerit? Melius quippe (me judice) silerent obtrectatores foeminarum, quam sine fundamento loquerentur, qui dum Metelli auctoritate se juvant, nesciunt illum doctorum virorum judicio damnatum, ut qui nec vere, nec ad suadendum apte sit orsus. Existima-

maverunt enim prudentiores, contra potius orationem debuisse sumi ut nullas plerumque esse in matrimoniis molestias asseveraret; & si tamen accedere nonnunquam viderentur, parvas ac leves, facilesque esse toleratu diceret, majoribusque eas emolumentis, ac voluptatibus obliterari, easdemque ipsas neque omnibus, neque naturae vitio, sed quorumdam maritorum culpa, & injustitia evenire. Sed facio verbis modum, quando res nota est, & viros bonos, & mulieres inveniri probas, ex quibus esse justa, sancta, & honestissima conjugia possint.

Nunc de bono matrimonii perpauca libanda sunt, in quo tria mihi praecipue commendanda videntur, honesta dignitas, grandis utilitas, dulcis jucunditas; insunt enim haec omnia matrimonio: quaeramus haec tria, Illa meo judicio digniora videntur, quae sunt antiquiora, quaeque praestantiores inveniuntur auctores habere. Matrimonium verò, & antiquissimum est, quippe quod in primis parentibus coepit, ac nobilissimum habet auctorem, Deum Patrem Omnipotentem, totamque Trinitatem, cum (teste Hieronymo) matrimonium tunc sit institutum, cum Dominus ait: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Neque enim, ut Athenienses arbitrati sunt, eorum vetustissimum regem inventorem nuptiarum dicimus esse Cecropem, quem propterea bimembrem figuravit antiquitas, quia primus omnium marem foeminae legitime conjunxit. Longe ante conditas Athenas in ipso Mundi nascentis initio, non homo, sed Deus, non creatura, sed creator, rector & conditor orbis matrimonium consecravit, cujus tanta dignitas est, ut semel conjunctum dirimi nequeat, dicente scriptura: *Quod Deus conjunxit homo non separet.* Conjuncti nanque divino nutu creduntur, quicumque matrimonium rite contraxerunt. Hinc Mater Ecclesia, dux morum, magistra vitae, nuntia veritatis, inter maxima sacramenta, quibus utitur, veluti divinitus revelatis, matrimonium revelavit. Hinc Dominus & Salvator Deus homo, Christus Jesus, & nasci ex nupta, & interesse nuptiis voluit, ac primo, quod fertur patrasse, miraculo conjugium honorare. Dignitatem tenemus, investigemus uti-

Digitized by Google

utilitatem, sed haec intellectu, quam dictu facilior: Nam quae res est, quae civitates, quae provincias, quae regna, quae genus humanum conservat, nisi matrimonium? Quid sunt aliud nuptiae nisi seminarium reipublicae? Quis familias jungit? Quis gentes propagat? Quis popul:s aeternitatem, nisi matrimonia largiuntur? Quae pax, quae fides, quae charitas inter mortales esset, si more Platonis absque legitimis nuptiis viveremus passim foeminis abutentes? Omitto infinitas utilitates, quas privata domus ex matrimoniis elicit. Ad jucunditatem festino. Nunquid jucunditas in matrimonio reperitur? Aristoteles philosophorum acutissimus non solum in Politicis, sed in Ethicis quoque jucundam inter conjuges amicitiam esse testatur. Ab urbe condita usque ad D. sive (ut Tertullianus ait) usque ad D C. fere annos nullum divortium intercessit, tanta conjugiorum jucunditas fuit. An suavius quidquam, dulcius, jucundius esse potest illius vita, qui morigeram, ac foecundam sortitus uxorem, si quando ex fori rumoribus, ex curiae taediis, ex reipublicae laboribus domum se confert, veram consolationem reperit, veram amatorem, divinae domus, humanaeque sociam reperit, dulces liberos sibi matrique blandientes videt, quibus laborat, quibus congregat, quibus vivit, in quibus etiam post mortem victurus sit? Non curabo testes humanos, ubi divina innotuit auctoritas. *Propter hoc*, inquit oraculum Genesis, *relinquet vir patrem, & matrem suam, & adhaerebit uxori suae, & erunt duo in carne una*. Magna vis delectationis, magna jucunditas, quæ duobus ex corporibus unam carnem facit. Aristophanes in duobus corporibus unam esse animam consensit. Sed haec satis de bono matrimonii dicta. Jam postremo loco quales quantaeque sint personae contrahentes intuendum est, praesentique concione brevissime referendum. Neque enim de plebe sunt, neque de fortuna, sed de sublimi celsoque statu, quae contrahunt. Regius sanguis, & imperatorius in conjugium venit. Attenuabitur rerum dignitas, si meis verbis personarum excellentiam conabor explicare; longe melius eas ipsas audiemus de se suisque meritis differentes. Fingamus

mus enim praesentes qui nuptias celebraturi sunt: loquatur de se regia virgo, loquatur & Caesar, suasque dignitates enumerent. Dic tu, Leonora, quae nubis, quid dotis affers, quid expedibile tuum narras, quo pacto divo Caesari complacuisti? audire te cupimus; non sine causa tantus te princeps adamavit: audite proceres, audite omnes. Jam virgo loquitur. Ego, inquit Leonora, ex alta Portugalliae domo sum nata, ex antiquissima regum stirpe, patre rege, matre regina, clarissimum genus est meum, sive temporis vetustatem, sive majorum gesta requiris: infinitis jam saeculis sanguis meus regnat; invicta virtute progenitores fuere belli, domique. Testis victoriarum est Hispania tota, in qua nullus est angulus, quem nostri majores armis non penetraverint, sive dum Barbaros insequuntur, sive dum Christianos domo propulsant, injusta bella moventes. Recens adhuc est memoria classis illius, cum qua meus avus in Africam transiens (1) felici magnoque proelio exturbavit Saracenos, urbem captam expugnavit, ac nostris fidelibus coloniam deduxit, ubi adhuc, invitis frendentibusque Barbaris, salutiferae Crucis objecta sunt signa. Haec est paterna haereditas omni patrimonio praestantior. *Si melius est* (ut inquit sapiens) *nomen bonum, quam divitiae multae*; fuerunt & genitori meo cum potentissimis Castellae, (2) atque Angliae regibus consanguinitatis strictissima vincula. Idem, ut erat fama potens, virtute potentior, amitam meam cordatissimam, & sapientissimam principem famosissimo Burgundiorum Duci in matrimonium collocavit. Sed accipe nunc maternam gloriam: Duo mihi ex matre sunt avunculi, reges ambo. Sed qui reges? Alter Navarrae praesidet, virtute, ac nomine clarus; alterum archiregem melius appellaverim, cum non solum apud Hispanos, sed apud Italos, Siculos, Sardos, Majoricos, Minores regna possideat. Praetereo vetustos domus Arragonum proceres in omne saeculum fama colendos. Unus nobis ad gloriam satis Alphonsus erit, cujus invicta virtus, insuperabilis constantia, novercantem sibi fortunam non solum vicit, sed amicam blandientemque reddidit. Quos portus, quas

Eduardo & Leonora.

Digitized by Google

quas insulas, quas terrae, quas maris oras hic non armatus, non victor adiit? Quae regio in terris Alphonsi nomen ignorat? Quis belli, quis pacis artes melius novit? Quis civibus, quis peregrinis dilectior est? Quis nostro saeculo praeter hunc unum favet ingeniis? Quis justior, quis liberalior, quis animo majori regnat? An solus hic ex principibus est, qui neque secundis rebus intumescit, neque destituitur adversis? Verus fortunae nitor, & nostri gloria saeculi, qui non minori perseverantia Neapolim cepit, quam Graeci Duces Trojam expugnaverunt. Ostendi tibi, Domine, meam ex paterna, maternaque domo non parvam gloriam. Quod si meam formam, meosque mores nosse cupis, malim alios de me loqui. Qua sum facie, qua statura, quis lineamentis, oratores Caesarei, qui ante biennium me viderunt, non est putandum suo principi retinuisse. Nisi placuissem non essem prorogata. Ego inter matronas modestia & auctoritate graves sum nutrita, nec puto me ulla ex parte vel a majoribus degenerasse, vel magistris displicuisse. Quibus ex rebus sum (mihi videtur) ad nuptias a nemine minime contemnenda, quae paternis, maternisque titulis illustrata, pudicitiam virginis, formam egregiam, probos mores cum ingenti gloria mecum affero nobilitatissimae domus. Audivimus regiam virginem (ut mea fert opinio) dotes egregias afferentem; audiamus, si placet, sponsum. Dic tu Friderice, quibus rebus nuptias exornabis, unde tibi regiam virginem postules, tam generosam, tam formosam, tot dotibus eminentem? Magnum esse oportet, quem tali matrimonio dignemur: attendite praesules, adhibete aures viri praestantes. Jam Caesar, fateor inquit, vera esse quae sponsa narravit, majoraque mihi de suo genere persuadeo quam dicta sint, formam ejus, quantum relatu didici complector & amo, mores eius accepi regios esse, dignosque sanguine suo. Caeterum nec ego inglorius uxorem ducam. De meis moribus aliorum esse non meum judicium volo; vixisse tamen me sic hactenus arbitror, ut meis progenitoribus inferior videri non debeam; sed malo de illis quam de me verba facere. Stirps mea vetustior est quam repeti pos-

possit, Ducalis, Regia, Imperatoria, ex qua viri fortes quamplurimi, bellicosi Duces, justissimi Reges, magnanimi Caesares prodierunt. His Austria paruit, florentissima regio, cujus principatus, & a Sabaudia in Pannoniam, & ab Illyrico in Burgundiam protenduntur. His Bohemiae nobilissimum, dignissimum, & aureum olim regnum obedivit; ab his ferox, virosaque Polonia regnata est. Ab his septem illae populosae, latissimae, & opulentissimae Ungariae ditiones gubernatae fuerunt. Ab his Romanum Imperium, non sine magna nostrae familiae laude, saeculo administratum est. Ab his Ottacarus Rex dives ac potentissimus, qui ab Adriatico sinu usque ad Oceanum Septentrionalem quidquid obvium fuerat, suae ditioni jus fasque subegerat, ac Romano Imperio insultabat, Deo atque hominibus infestus, magno proelio victus profligatus, atque occisus est. Rodulphus nostrae domus princeps, qui primus in possessionem Austriae venit, tantae moderationis famaeque fuit, ut Romanorum creatus Imperator, solo suae virtutis nomine fregerit, quicumque per Germaniam adversus Imperium res novas moliebantur. Nec minor eo fuit Albertus prior, qui cum plerique Germaniae Principes Adolphum ex domo de Nassau imperare vellent, nostramque domum calumniose praeterirent, non est passus exrra familiam Imperium esse, sed bello indicto ad constitutam diem armatus venit, collatisque signis in aciem prodiit, & atroci pugna usurpatorem Imperii vicit, fudit, occidit, ac domum Austriae pristinae dignitati restituit. Transeo Fridericum Caesarem, & avum meum Leopoldum, duo fulmina belli. Ernestum, qui me genuit non laudabo, quamvis subditis dilectissimus esset, inimicis formidatissimus: patruus meus Albertus Caesar, qui Bohemiam, Hungariam regnavit, non solum Hussitas afflixit haereticos, sed Turcorum rabiem Christianis cervicibus imminentem magna virtute compescuit. Non est otium modo referre, quae mei majores nunc pro catholica fide, nunc pro Romano Imperio tuendo, propagando terra marique gesserint, nec narranti mihi dies sufficerent. Cum Romanae Reipublicae curam ab annis

jam

jam trecentis nostra domus habuerit, forsitan degeneraſſe nos hodie, ſoliſque titulis & imaginibus niti majorum quiſpiam exiſtimaverit. Scimus quam miſerum eſt alienae incumbere famae.

Ne collapſa ruant ſubductis tecta columnis.

Dabimus igitur & aliquid noſtrum. Quatuor hodie ſumus in Auſtria domo: me natu majorem Principes Electores Romano Imperio praefecerunt, cui annis jam undecim laetantibus ſubditis praefui: parco de me plura dicere. Ladislaum patruelem, Alberti filium Sigiſmundique Caeſaris ex filia nepotem, quem propter impuberem aetatem domi noſtrae gubernamus, & Bohemorum & Hungarorum cum plebs cum optimates ſuum regem eſſe fatentur. Albertus frater invictus armis Sueviam Alſatiamque gubernat, Switenſis populi frenum metuſque. Sigiſmundus alter patruelis expectatae indolis adoleſcens Enum, atque Atheſin regit, cujus aetatem quamvis facies prodit, tamen virtus ementitur. Noſtra ſunt haec ſine majoribus laudanda. Quis conſanguineos affineſque noſtros enumeret? Nulla Germaniae domus illuſtris eſt, quae noſtram familiam ſanguine non attingat.

Majores noſtri ex Francia, ex Arragonia, ex Hungaria, ex Neapoli, ex Anglia, ex Polonia, ex omnibus Chriſtiani populi celſis Domibus uxores duxere. Cum ego praerogativis nuptiarum ſacris initiandus prodeo, qui cum domo Portugalliae atque Arragonum matrimonium contrahens non parvum regnum, aut unam Provinciam, ſed Alemanniam, ingenti populorum, Principum, Praelatorum multitudine redundantem, quin & Germaniam totam regnis gravidam, quae Chriſtianitatis plus media parte complectitur, dives viris, & armis in affinitatem mecum adduco.

Accepiſti, Rex ampliſſime, quae ſponſus & ſponſa dixerunt. Intellexerunt (ut arbitror) omnes qui adſunt praeſentes matrimonii dignitatem, quo certe neque nobilius, neque Chriſtianitati utilius inter mortales ul-

lum contrahi poteſt, quando & virtus virtuti, & nobilitas nobilitati, ac potentia potentiae, & magna magnis, & ſumma ſummis adduntur; hinc Germanis Principibus, Hiſpanis inde proceribus in affinitatem, benevolentiam, amicitiam occurrentibus. Ob quas res nihil aliud modo reſtat agendum, niſi ut de tanto bono, ſicut facimus, divinae pietati, quae omnia movet, & tuae majeſtati, quae hujus rei auctrix eſt, immortales gratias referamus, ſuperos omnes orantes, ut hoc matrimonium, & contrahentibus fecundum diuturnumque ſit, & Chriſtianae Reipublicae felix.

NOTAE

In ſuperiorem Orationem.

1. MEus avus in Africam tranſiens. *Joannes Luſitaniae Rex anno* 1415. *ingenti comparata claſſe, quam onerariis* 30. 27. *triremibus, biremibus* 30. *minoribus navigiis* 120. *conſtitiſſe narrat Mariana rer. Hiſpan. lib.* 20. *cap.* 7. *in Africam trajecit, primoque impetu Seſſam regni Africani caput, freto adjacentem Urbem eripuit Saracenis.*
2. Caſtellae atque Angliae Regibus conſanguinitatis, &c. *Eleonorae mox nupturae ſoror erat Iſabella, quae ante illos annos, nempe* 1447. *conjugium cum Joanne Caſtellae Rege celebraverat. Marian. Rer. Hiſpan. lib.* 22. *cap.* 5. *Vetuſtiorem forte originem referebat Luſitanicae regiae familiae cum Anglicana neceſſitudo. Hanc enim neceſſitudinem ducebant Luſitani ex nuptiis inter Joannem Eleonorae avum, & Philippam Ducis Lancaſtriae filiam, quarum meminit ex* Walſingano *Spondanus Annal. ad an.* 1385. 10.

ORA-

ORATIONIS VII.

Argumentum.

Confecta prospero eventu Neapolitana Legatione, AEneas eodem anno 1450. Romam se contulit, cum Nicolao V. Pontifice de ornando Imperialibus infulis Friderico Caesare acturus. Annum jam quartum Pontificatus attigerat Nicolaus cum Legationem hanc excepit. Ad loquendum cum Pontifice palam admissus AEneas, luculenta hac oratione Caesaris postulata exposuit; quanta fuerint cum Germanorum omnium Principum, tum vero Friderici illius ad id decoris impetrandum merita, pandit, simulque probabiles causas assignat, quare tandiù id postulare distulerit. Tum orationem deflectit ad nunciandum Pontifici connubium illud, quod, se Legato, Fridericum inter & Leonoram convenerat Neapoli. Tandem ad postulandum generale Concilium in Germania, ut Christiani Principes inter se componerentur, restitueretur collapsa disciplina, descendit. Hanc orationem bis exhibeo, semel ex meo Lucensi Codice, iterum ex Frehero; qua de re in sequentis orationis Argumento dicam.

Digitized by Google

ORATIO VII.

Pro coronatione Friderici Regis Romanorum, ad Nicolaum V. PP. cum petitione ad eumdem pro congregando Concilio generali.

Affert Freber. Tom. II. pag. 54. edit. Arg. 1717.



Ater Beatiſſime, maxime Pontifex. Eum qui coram tua Sanctitate loquitur non immerito commoveri, cum propter celſitudinem throni tui, quo nullus eſt in terris altior, tum propter ingenium tuum divino dono aureum, & omni doctrinarum genere foecundum. In cujus praeſentia qui verba facit, niſi juxta praeceptum Apoſtoli ſermonem habuerit ſale conditum, illius notam Piſonis incurrat, de quo ſcribit Hieronymus, qui cum loqui neſciret tacere non potuit. In hoc enim orbis terrae primo maximoque auditorio non futiles & importuni locutores, ſed facundi oratores audiendi ſunt, Ulyſsi pares, quem ſapienti facundia praeditum, vocem, ait Homerus, non ex ore mittere, ſed ex pectore. Quibus ex rebus nihil mirandum eſſet, ſi nunc ego, cui nec ſententiae ſuppetunt, nec verba quibus adiri tanta majeſtas debeat, ſic turbarer ac pallerem, ut olim *Lugdunenſem rhetor dicturus ad aram*. Sed adiicit animum mihi tuae Sanctitatis immenſa benignitas atque indicibilis humanitas, quae non ſolum magnos diſcretoſque viros, ſed humiles ac indoctos aure inoffenſa audire conſuevit; moriſque ſemper hujus ſacri Conſiſtorii fuit, non tantum verba loquentis, quantum mittentis perſonam exiſtimare. His accedit nobilis orationis materia, quae, dubium eſt petenti utilior an concedenti gratior ſit futura, cujus tanta honeſtas eſt, tanta utilitas, ut abſque oratoris adminiculo perſuadere ſe ipſam facile queat. De coronatione namque Caeſarea futurus eſt ſermo, quae res ſemper maxima, & honeſtiſſima fuit, poſtquam ſancta Sedes Apoſtolica Imperatoriam

Juv. Satyr. I. p. 44.

riam dignitatem ex Graecorum gente in persona magnifici Caroli M. translulit ad Germanos. Cupiens enim serenissimus, & invictissimus Princeps, divus Caesar Fridericus Romanorum Rex Augustus, tuae Sanctitati obsequentissimus filius, more majorum in hac Urbe Roma suae coronationis solemnia celebrare; hos praestabiles viros, & me pusillum tuam clementiam jussit accedere rogaturos atque obsecraturos, ut ingenti ejus desiderio pio, justo, atque honestissimo mos geratur. Namque si tua Sanctitas ejus coronationi navare operas voluerit, nihil morabitur Caesar; sed aliis omnibus sine dilatione superatis tuam praesentiam festinus adibit, quae sunt consuetudinis faciet, Imperiales infulas ex tua sacra manu recipiet, festos diem laetamque solemnitatem tecum aget, de rebus Ecclesiae, atque Imperii salubriter dirigendis tuis consiliis auscultabit, teque sequetur, faventibusque denique superis coronatus, alacer ac tibi plurimum obligatus in patriam revertetur. Haec est nostrae Legationis summa, ac totius orationis materia, circa quam tria nobis videntur altius attingenda declarandaque esse, non ut tuae Sanctitatis mentem instruamus, cui nihil est dubium, sed ut plerisque satisfaciamus, qui nostris expeditionibus admirari possent, si nihil amplius dicemus. Primum est, cur tantopere majestas Imperatoria coronam cupiat. Alterum cur tamdiu hanc rem distulit. Tertium concedendum ne sit quod de coronatione requiritur. Quibus absolutis oratio modum haberet, nisi pauca referre oporteret, quae apud Neapolim nuper egimus. Sed illis breviter enarratis, & unica precatiuncula pro Concilio generali subjecta, finem dicendi faciemus. Aggrediamur igitur quod primo quaesitum est, cur tam propense regia Majestas coronationem efflagitat. Quid urget? Quid est quod tantum Principem exire paternam domum, magnis & ambiguis itineribus se committere, graves subire sumptus coronationis causa compellit? Tria sunt, B. P. quae Caesarem movent: devotio, consuetudo, debitum. Possem complura in medium afferre, quibus religio nostri Principis & pietas, ac devotio in tuam Sanctitatem tuumque Praedecessorem hac-

te-

tenus non vulgariter patuerunt. Sed scienti omnia Beatitudini tuae superfluo narrarentur, & regio culmini ea vulgari non placet, quae pro sui animi magnitudine minima censet. Nam etsi omni officio ac potius pietate erga Romanam Ecclesiam tuamque Sanctitatem omnibus satisfaciat, devotioni tamen suae nunquam satisfacit. Ex hoc pietatis devotionisque fonte prorumpit tam propensa coronationis cupido atque petitio. Arbitratur enim regia sublimitas opus esse divinae pietati acceptum, si quemadmodum in veteri testamento, nunc Prophetae, nunc Summi Sacerdotes, nunc simul ambo inungebant qui regeret Israël & Judam; & sic in tempore gratiae novaque lege Romani Pontifices Christianos Imperatores inungant, atque his diademata largiantur, qui plebem catholicam legibus tueantur & armis. Cujus rei non parvum signum esse videtur, quod ex Germanis Caesaribus, qui per manus primi pastoris inuncti Romae coronatique sunt, nullum comperimus violenta morte periisse; cum tamen ex Italis & Graecis Imperatoribus maxima pars, sic in orbem objerint, ut verum esse firmaverint quod Satyrico carmine expressum est

Ad generum Cereris sine caede & sanguine pauci
Descendunt reges, & sicca morte tyranni.

Est itaque devotio Caesaris non parvis instructa firmataque rationibus, quae coronationis insignia poscit. Sed hanc devotionem vetus consuetudo praemunivit. Tria sunt enim Romani Imperii tempora, ex quo Julius Caesar rem populi vertit ad unum, Italorum, Graecorum, Germanorum. Praetereo Berengarium & alios qui apud Longobardos imperitarunt; neque enim tantum ditionis habuerunt tantumque juris ut Imperatoriae dignitatis deberent titulis illustrari. Priores Imperatores contenti purpura perrarò diadematibus utebantur, habentesque regiae potestatis arbitrium, invisae dignitatis nomen & insignia postponebant, ne cum corona simul & Tarquinii superbiam, quasi jure postliminii, in Urbem reducere viderentur. Ex Graecis vero Caesaribus non

est

est dubium quin plerosque Constantinopolitani Praesules coronis ornaverint. Ex qua re (sicut scribit Otto Frisingensis antistes, non futilis auctor) usque adeo Constantinopolitana sedes intumuit, ut non solum Alexandrinam, sed Romanam quoque Cathedram, usque ad Phocam Caesarem & Bonifacium Papam, contenderit antecedere. At postquam Germani Principes victis ac domitis Longobardis, qui Romanam Ecclesiam lacessebant, imperare coeperunt; irrefragabilis consuetudo coronationis inolevit, quam servare nunc Caesarem permaxime decet. Cumque Germana nobilitas ex Apostolicae Sedis benevolentia suaque diligentia & humilitate imperatoriam dignitatem obtinuerit, quam Graeci superbia & ignavia, ac forsitan haeresi perdiderunt, non solum debitum, sed necessarium esse videtur a Romano Pontifice coronam expetere, ut illi perpetua reddatur reverentia, a quo praecipua recepta est eminentia. Cum nihil ex tota Philosophia sit debitum quam gratitudo. Ex quo fit, ut non solum devotione, sed consuetudine, ac jure debito majestas Imperatoria coronam deposcat. Conjungitur & hisce causis publicae utilitatis ratio. Multa enim inter nos simul convenientes tractari concludique poterunt Christiano populo salubria, quae per Legatos inter absentes difficile peragerentur. Absoluta est jam prima quaestio, & quid Caesarem moveat diadema poscere, satis intelligimus.

Videamus modo quamobrem coronatio tamdiu protelata sit. Duorum hic temporum, postquam Caesar acceptavit Imperium, habenda est ratio; alterum sub Eugenio lapsum est; alterum te Pontifice. Optavit Caesar coronam sub Eugenio recipere, nec Eugenius erat aversus, namque qui Sigismundi caput ornarat, Friderici quoque verticem gemmis & auro redimire percupidus erat, ut sic duorum Caesarum pater maximus diceretur, quod hactenus contigisse reperio nemini. Sed viguit illius tempore ecclesiastica divisio, neutralitatisque novitas (1) Germaniam occupavit; nec Caesari, nec Papae ex usu fuit, ut nosti, rem jam vetustam ac multis quaestuosam relinquere, sed cum vicisset perseverantia

tia

tia Caesaris (quid enim perseveranti non demum patet?) cumque restituta fuisset obedientia Ecclesiae Romanae, jamque tractandum de coronatione videretur, mox Eugenius diem clausit, speratamque Caesari coronationem ademit; atque sic primum tempus sine culpa refluxit. Neque secundum arguendum est, namque, ut primum tua Sanctitas Divi Petri Cathedram ascendit, missi sunt oratores, qui te jussu Caesaris in orbe Christiano Pontificem maximum salutarent, obedientiam tibi praeberent. Sed cum spes esset te suadente quam celerrime Caesarem adventare, exorta extemplo saeva belli tempestas, quae non solum divites Austriae Principatus, sed Bavariam, Sueviam, Franconiam, Rhenique florentissimas regiones, atque ipsum Christianitatis cor, caedibus, rapinis, incendiis, atque omni calamitatis genere vexavit, nobilissimos Principes, & potentissimas civitates, dirâ, novâ, inauditâ, discordiarum feritate concussit. Ad quas res sedandas necessarium fuit imperatoriam majestatem in partibus Alemanniae remanere, quia non tam dispendiosa coronationis, quam pacis dilatio videbatur. Atque sic coronationis solemnitas dilata est, cui jam dari opera potest; quando qui diffidebant, omnes arbitrio Caesaris pace facta se commiserunt. Atque hoc satis de coronationis dilatione sit dictum.

Nunc tertio loco pensandum est quod Caesar exquirit, tuaene sit Sanctitatis annuere. Plerique mortales si rem hanc suasum venissent, omnes orationis nervos circa gloriam collocassent. Dixissent enim (ut arbitror) cum divisam Ecclesiam, Pater Sanctissime, multis magnisque curis ad unionem redegeris, cum plurimas haereses extirpaveris, cum pacem inter Christifideles summo studio servaveris, cum fana, & Urbis disjecta moenia grandi sumptu reparaveris, cum patrimonium Ecclesiae undique direptum dissipatumque vendicaveris, cum remissionis annum Christiano populo dulcissimum, expectatissimumque concesseris; quid amplius ad cumulum tuae gloriae quaerendum est, quam ut Caesareo capiti coronam imponas? Tua est haec gloria magis quam Caesaris. Apostolicae Sedis hic honor est, B. Petro

haec

Digitized by Google

haec dignitas reservatur. Audi Caesarem, fac quod petitur, sic

Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.

Alii ad utilitatem conversi (quae plurimum suadet) ex omnibus rebus dicerent, quas, Sanctissime Pater, fecisti, quasque facturus es, nulla potest utilior esse coronatione Caesarea. Veniet ad te divus Caesar primus omnium Principum, te Patrem appellabit, tibi filium se praebebit, tuis manibus coronabitur, jusjurandum praestabit, Germaniam regnis gravidam, ingenti populorum, Principum, ac Praelatorum multitudine abundantem, tibi & Apostolicae Sedi benevolam parentemque retinebit. Contemnat quicumque velit coronas, gemmas, aurum, purpuras, pomum, gladium, unctionem, consecrationem, ceremonias, pompas; is certe, quamvis subagrestis est, inficiari tamen non potest, quin tuae Sanctitati, & Apostolicae Majestati conducat, coronatum Caesarem in amicitias foedusque tuum esse receptum. Namque si vetera meminerimus, tunc Ecclesiam floruisse, tunc Imperium viguisse constabit, cum Romani Pontifices, atque Caesares unanimes extiterunt. Essent fortasse nonnulli, qui diverso calle procedentes, soliusque boni & aequi juribus utentes, minime negandum dicerent moderno Principi quod priscis Caesaribus ultro fuisset oblatum; servandas esse consuetudines; quod semel promissum est, rebus immutatis minime violandum; benemeritum de Romana Ecclesia Caesarem omnibus beneficiis, atque honoribus cumulandum. At nos qua via incedemus? Illosne sequi libet qui gloriae cupiditatem ingerunt? nihil minus; absit a nobis *initium* **f. *vitium*** gentilitatis, quae ut laudis animalis ac ventosae gloriae mancipium, nisi ad populares auras, & inanes rumusculos recte facere nihil novit. Nos qui Christiani sumus, ac non solum apud Christianos agimus, sed coram omnium Christianorum capite, Duce, Magistro, Rectoreque stamus, non oratorem, qui dixit: *Honos alit artes, omnesque incendimur ad studia gloria*; sed Apostolum potius imitari

tari debemus, qui ait: *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae.* Nec nos latet tuam Sanctitatem divina sapientia praeditam, bonum solum non populari rumore, sed conscientiae veritate metiri. Quid igitur ab utilitate arguemus? An ex debito, quia consuetum, justum, promissum? Equidem licet his potentissimis fundamentis *suadere* res soleat, non tamen haec omnia relinquenda videntur. Frustra enim suasibus utitur qui supplicat Sapienti. Novit suopte ingenio Sapiens, concessu, an refutatu digna sint quae petuntur, nec verborum falli lenocinio potest. Nos igitur qui coram sapientissimo Principe, coram prudentissimo orbis terrae Senatu, coram luminibus & intellectu mundi, coram tanta majestate, tanta doctrina, tanta rerum peritia sermonem habemus, satis esse putamus nudis verbis imperatoriae sublimitatis petitionem exposuisse. Scimus enim, si recta petimus, nihil nobis negatum iri; sin minus, fascinare verbis summae prudentiae oculos, aut oratione verum pervertere non valemus. In hac igitur parte, quae tuae Sanctitatis examinanda judicio est, nullas suasiones adhibemus; sed arbitrio tuo totum relinquimus, ex quo nec justa diffidimus obtinere, nec speramus injusta. Esset jam peroratum, beatissime Pater, nisi (ut ante diximus) in calce verborum jussi essemus adjungere. Alterum est ut de Concilio generali, quid sit regis inde desiderium intelligas. Ambo haec paucis absolvemus.

f. *suaderi*

Apud Neapolim convenimus victoriosissimum Principem Arragonum atque Siciliae Regem, & cum eo nepotis sui serenissimi Portugalliae Regis Legatum. Cum hisce diebus plusculis in tractatu fuimus, ac demum inter Majestatem Caesaream, & illustrem virginem Leonoram Infantem Portugalliae, Reginae sororem Sponsaliorum foedera percussimus, matrimoniumque conclusimus, quo nec nobilius, nec potentius, nec honorabilius, nec Christianitati utilius inter Christianos nullum contrahi potest. Quando & nobilitas nobilitati, & virtus virtuti, & potentia potentiae, & magna magnis, & summa summis addita sunt; hinc Germanis Principibus,

bus, inde Hispanis proceribus in affinitatem, benevolentiam, amicitiamque concurrentibus. Quod idcirco tuae Sanctitati narramus, ut qui contrahendum conjugium hoc sciebas, jam contractum esse, ut patrem decet, cum filio laeteris.

Sed venio ad secundum quod addere promisi, idque finem orationi praebebit. Quae hactenus dicta sunt, beatissime Pater, commisit nobis imperatoria majestas, priusquam suo ex conspectu recederemus; quae nunc dicturi sumus, per novas & urgentes literas in mandatis accepimus. Ea nec parva, nec contemnenda sunt, sed digna tuis auribus, & hoc sacerrimo coetu. De Concilio namque generali (2) deque loco conventus habendi dicendum est nobis, ex quibus rebus magna potest utilitas redundare. Licet enim sub te vero capite, veroque Jesu Christi Vicario unita sit Ecclesia; plurima tamen sunt, propter quae necessaria videtur conventio Episcoporum generalis. Diffident Christiani Principes quammulti, concordia quaerenda est. Labascunt Cleri & populi mores, investiganda modestia; oppressam Ecclesiam quamplurimi lacessunt, recuperanda libertas. Ad quas res licet tua satis sit auctoritas, non tamen executio sine conventu Praelatorum, consensuque Principum facile potest haberi. Cupit igitur generale Concilium Caesar, ut haec fiant. Sed quod generale Concilium? Verum generale Concilium, non abortivuum, non adulterinum, non contentiosum, non ambitiosum. Concilium, in quo minora membra majoribus pareant, in quo nullum sit membrum, quod suo capiti non consentiat. Concilium (inquam) quod non de clavibus summi Pastoris disputet; sed communi utilitati invigilet. Summa est Romani Praesulis auctoritas; quid attinet disputare? Omnis potestas Ecclesiae a Christo Principe per Romanum Pontificem veluti caput in caetera mystica corporis membra derivatur, atque diffunditur. Haec professio Caesaris, haec fides est; Evangelio credit, & oraculis Jesu Christi; scit Petro, & Successoribus suis dictum esse a Domino: *Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, & portae inferi non praevalebunt adversus eam:*

Concilium Basileense suggillatur.

eam: & tibi dabo claves Regni coelorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in coelis: & tu vocaberis Cephas. Pasce oves meas; & duc in altum rete; & ejusmodi, quibus referti sunt Evangeliorum Codices. Ultra quem quisquis alium quaerit, tenebras quaerit, non lucem; stultior eo qui aperto ferventique Sole commentitium lumen accendit. Caeterum quia majestas imperatoria non ad potentiam exercendam, sed ad fidem tuendam, commune bonumque promovendum, tibique assistendum interesse decrevit, coronam prius accipere cupit, quam Concilium convocetur; indici antequam coronetur, neque petit, neque suadet, neque gratum haberet. Expedit enim admodum rebus agendis coronatum Caesarem ac tibi juratum in Concilio penes te sedere, tibique assistere, tuisque decretis favorem impendere. Cumque sit Caesar advocatus Ecclesiae, protector, defensor, adjutor, ac nullibi melius officium suum quam in Provincia sibi parente valeat exercere, locum celebrandi Synodi in Alemannia sub Romano Imperio petit; in alia Provincia nec potest, nec intendit consensum praebere. Est enim Alemannia locus ex tota Christianitate commodior, in qua (si quis recte prospexerit) intra Rhenum & Austriam Christianitatis umbilicum ac centrum reperiet: ubi exivit ab Occidente sunt Hispani; ad Orientem Graeci; ad Septentrionem Norwegii; ad meridiem ultimi Siciliae populi. Cumque jam Graeci in his quae fidei sunt cum Latina Ecclesia sapiant, oportet & his locum Concilii convenientem nominare; fovendi enim jam sunt, & omni favore amplexandi. At hi ad Alemanniae partes per Hungariam brevem habent & facilem transitum. Urbes praeterea in Alemannia sunt amplissimae, & splendidissimae, mansiones accommodae, victui necessaria comparatu facilia, pax optima, pulcherrima quies, dulcissima libertas, saluberrimus aër; Principes ac populi promissorum ac justi tenaces, mori quam dejerare aut fallere malunt; nemo est qui de loco Alemanniae jure conqueri possit. Nam qui medium Christianitatis, & tot commoditates Alemanniae dedit Deus, is quoque velle videtur, ut ibi nostro tempore generale Con-

Concilium celebretur. Habes, sanctissime Pater, quae sit petitio Caesaris: nobis & admodum justa videtur, & utilis; namque si pacem inter Christideles componere, si frugalitatem bonosque mores serere, si libertatem Ecclesiasticam vendicare, si partam unionem servare cupis, (ut certissimi sumus) generale Concilium non alibi convocabis, quam eo in loco, in quo tibi Caesar & possit & velit assistere. Pleraque alia, cum tuae Sanctitati libuerit, semotis arbitris, referemus.

NOTAE

In superiorem Orationem.

1. NEutralitatisque novitas. *Cum Basileensis Concilii Patres eousque processissent audaciae, ut novum Ecclesiae caput constituerent, atque pro Ecclesiae, quam adeo vehementer urgere se dicebant, reformatione, deformationem invexissent; vel illis pariter, quos habuerunt rerum suarum studiosos, stomachum provocarunt. Germanos praesertim ita consilium eorum detestatos constat, ut, quamvis alioqui Concilii decreta probabant, exinde tamen omne illis obsequium denegarint: simul vero Eugenio obedientiam impendere destiterunt; quoadusque sublatis turbis veritas discerni melius posset. Lux tandem, depulsa caligine, affulsit, atque Germania morigeram se Eugenio legitimo Pontifici praebuit.*
2. De Concilio generali. *Profecto in Concilii petitione nihil novi poscebat Caesar. Germani obsequium Romano Pontifici redituri inter leges pacis hanc constituerant, ut Concilium novum liberum haberetur. Admissae hujus conditionis exequutionem nunc Fridericus urget. Sed tempus forte erat alienum Concilio habendo; ideo a priori consilio ejus habendi forte Fridericus recessit. Vide omnino argumentum sequentis Orationis.*

ORA-

Digitized by Google

ORATIONIS VIII.

Argumentum.

Orationis bujus Argumentum idem est cum praecedenti; quin & multa sunt in illa similia; quandoque sententiis, interdum verbis ipsis conveniunt. Illa quidem pressior est, haec fusior, utrinque tamen res eaedem. Nisi quod in hac de Concilii petitione nihil legitur; sed totus est orator in exponendis causis quare Imperator insignia Imperii a Pontifice Romano solemni more accipere tandiù distulerit, (quae & in praecedenti oratione aliquatenus persequitur): nunc vero tandem dari sibi petit, dignumque se praebuisse cur voti sui compos fieret demonstrat. Utramque orationem peroratam ab AEnea, ne in animum inducam prohibet argumenti utriusque affinitas: ut quid enim bis eadem de causa coram eodem Pontifice egisset? Et si forte idem argumentum versari ab eo iterum necessitas postulasset, e ditissima illa ingenii vena altera fluxisset oratio, nec sententiis nec verbis a priori illa derivatis. Alteram igitur in schedis suis privatis condidit, aliam coram Pontifice produxit. Utram elegerit haud facile est certo diffinire. Posteriori huic favent conjecturae; cum enim orationes ab AEnea recitatae tanta plerunque approbatione & plausu auditorum reciperentur, ut non semel audivisse contenti, de scripto sibi habere ad trahendam voluptatem curarent, orationes quae plausus illos meruissent multo facilius & frequentius, quam quae unquam in lucem extractae sunt, in manuscriptis Codicibus occurrent. Quam vero ex Frebero dedi orationem unus M. S. Germani illius Scriptoris Codex tenet; nostram vero praeter Lucensem ex Mediolanensi etiam Codice mihi descriptam Cl. Saxius transmisit. Est etiam non improbabilis conjectura, quae sepositam ab authore suo priorem orationem suadet. Portio ejus non modica in petitione Concilii nomine Caesaris impenditur. Invi-

visam hanc postulationem Pontifici accidisse aequum est reputemus; recens enim adhuc supererat Concilii Basileensis funesta Romanae Ecclesiae memoria. Id ergo cum displicere Pontifici tum ex re ipsa, cum forte ex privato cum eodem Pontifice colloquio intellexisset AEneas, & facile per literas ab Imperatore obtinuisset, ut ea postulatio in tempus aptius differretur; ideo digestam orationem reformavit, vacuumque ea retractione spatium replevit, latius iis dilatatis quae reliqua supererant.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO VIII.

Ad Nicolaum V. Pont. Max. de coronatione Caeſaris ſtatuenda.

Ex Lucenſi Codice.



Ateor, maxime Pontifex, eum qui coram tua Sanctitate loquatur non immerito commoveri, cum propter celſitudinem Throni tui, quo nullus eſt in terris altior, tum propter ingenium tuum divino dono aureum, & omni doctrinarum genere facundum, in cujus praeſentia qui verba facit, niſi juxta praeceptum Apoſtoli ſermonem habuerit ſale conditum, notam Piſonis incurrit, de quo ſcribit Hieronymus, quia cum loqui neſciret, tacere non potuit. In hoc enim orbis terrae primo maximoque auditorio non futiles & inanes loquutores, ſed facundi oratores audiendi ſunt, Ulixique pares, quem ſapienti facundia praeditum, vocem, ait Homerus, non ex ore mittere ſed ex pectore. Quibus ex rebus nihil mirum eſſet, ſi nunc ego, cui nec ſententiae, nec verba ſuppetunt, quibus adiri tanta majeſtas debeat, ſic turbarer ac pallerem, *ut nudis preſſit qui calcibus anguem, aut Lugdunenſem rhetor dicturus ad aram.* Sed adiicit animum mihi tuae Sanctitatis immenſa benignitas atque indicibilis humanitas, quae non ſolum magnos diſertoſque viros, ſed humiles & indoctos aure inoffenſa audire conſuevit; moriſque ſemper hujus ſacri Conſiſtorii fuit, non tantum verba loquentis, quantum mittentis perſonam exiſtimare. His accedit nobilis orationis materia, quae ut dicenti facilis erit, ſic audienti ſe gratam ſuavemque praebebit, cujus tanta honeſtas eſt, tanta utilitas, ut abſque oratoris adminiculo facile perſuadere ſe ipſam queat. De coronatione namque divi Caeſaris Friderici Romanorum Regis Auguſti, invicti, atque triumphatoris, filii tui non minus devoti, quam dilecti futurus eſt ſermo.

Coronatio vero Caesaris semper maxima, atque honestissima judicata est, postquam sancta Sedes Apostolica imperatoriam dignitatem ex Graecorum gente in personam magnifici Caroli Magni transtulit ad Germanos. Secus autem prius fuerat. Tria sunt enim Romani Imperii tempora, ex quo Julius Caesar rem populi vertit ad unum. Primum est ab Augusto usque ad Constantinum superiorem, quando Imperium apud Italos mansit, annis, ut quidam tradunt, undecim & trecentis. Alterum est a Constantino usque ad Carolum magnum, cum decem & quingentis annis apud Graecos imperatum est. Tertium tempus est a Carolo Magno usque ad Fridericum praesentem, in quo supputantur anni XXXVII. & sexcenti, quibus Romanum Imperium penes Germanos administratum est. Omitto Berengarium, & alios, qui apud Longobardos imperitarunt, neque enim digni fuerunt, qui tantae dignitatis deberent titulis illustrari. Priores quidem imperatores diadematibus abstinebant, habentesque regiae potestatis arbitrium, dignitatis nomen, & insignia postponebant, ne cum corona simul & Tarquinii superbiam quasi jure postliminii in urbem reducere viderentur. At postquam Graecis imperare permissum est, solemnitas coronationis irrepsit; Diadema tamen Caesaribus non Romani Pontifices, sed Constantinopolitani Praesules conferebant. Ex qua re, sicut scribit Otto Frisingensis antistes, non futilis author, in tantum Sedes Constantinopolitana sese extulit, ut non solum Alexandrinam, sed Romanam quoque usque ad Focam Caesarem, & Bonifacium Papam praecedere non erubuerit. Verum cum Germani Principes victis, ac domitis Longobardis, qui Romanae Ecclesiae insultabant, saepius summis Pontificibus auxilia praebuissent, atque idcirco per Apostolicam Sedem potestate Caesarea, & imperii fascibus caeteris gentibus praelati fuissent, ut sicut jure merito imperium adepti fuerant, sic retinere dignissime viderentur, post largas, ac magnificas donationes Romanae Ecclesiae factas, non solum coronari, sed inungi quoque consecrarique Romae per Christi Vicarium voluerunt, ut il-

li perpetuam redderent reverentiam, a quo praecipuam susceperant eminentiam. Hinc Caroli, Ludovici, Lotharii, Ottones, Henrici, Friderici, & alii complures frequenter superatis alpibus, Italiam ingressi non sine grandi devotione in Basilica Principis Apostolorum imperatorias infulas susceperunt, quorum vestigia modo subsequens Caesarea sublimitas hos collegas, fratresque meos, & me servum tuum ad tuam Beatitudinem destinavit, tria dumtaxat expositiuros. Primo, quod fuerat hactenus ejus desiderium circa coronationis negotium: secundo cur tandiu dilatum fuerit; tertio quid nunc ex tua Sanctitate petatur. Quas res tanto brevius referemus, quanto Beatitudini tuae notiores esse confidimus. Atque ut primum quam paucis absolvamus, non expedit tuae Sanctitati referre qua virtute, quibus dotibus regia majestas praedita fuerit; nosti enim quia juste imperat, quia non extollitur aut sanguinis nobilitate, aut dignitatis sublimitate, quia non magis terrenum, quam coeleste regnum diligit, quia imperium suum tanto futurum altius putat, quanto circa sacerdotium submissius sese habet, nec felicius sibi quidquam arbitratur quam Deo, quam fidei, quam Sedi Apostolicae famulari. Ob quam causam nullos labores hactenus, nullos sumptus effugit, ut antecessori tuo sanctae recordationis Eugenio, tuaeque Sanctitati quando necessitas succubuit subveniret. Namque cum Sabaudiensibus procellis Divi Petri navicula quateretur, Basiliensibusque fluctibus inundaretur Ecclesia, neutralitatis quoque tempestas malum Apostolicae navis impelleret, quis alius Romano Pontifici suffragatus est, quam regiae sublimitatis inconcussa devotio? Quae neutralitatem extinxit, Romanae Sedi Germanos conciliavit. Basilienses ex Alemannia pepulit, nidum scismatis evulsit, viamque facilem praebuit, qua demum integra posset unio reperiri. Possem multa referre regiae sublimitatis egregia, laudandaque facinora, quibus & religio nostri Caesaris, & pietas, & zelus maximus erga Romanam Sedem hactenus patuere, quae scienti supervacuo narrarentur, nec regia majestas ea vulgari cupit, quae pro sui ani-

mi

mi magnitudine minima censet. Nam etsi omni officio, ac potius pietate erga sanctam Romanam Ecclesiam, divinumque cultum omnibus satisfacit, sibi tamen ipsi nunquam satisfacit. At cum menti suae semper insederit, ea totis conatibus prosequi, quae Deo placeant; inter alia quae post accepta Caesareae dignitatis gubernacula ferventi animo desideravit, illud non in postremis fuit, ut ex Vicario Jesu Christi, veroque piscatoris successore augustale diadema referret: quam rem Deo placitam, & acceptissimam esse ex eo maxime colligi potest, quod ex Germanis Caesaribus, qui per manus primi pastoris inuncti Romae coronatique sunt, usque in hanc diem nullum reperimus violenta morte periisse. At ex primis imperatoribus, quibus neque fides, neque unctio, neque coronatio cordi fuit, media pars gladio periit. Ex Graecis verò, quamvis Christiani plerumque fuerunt, Romae tamen minimè coronati, alii suspendio, alii incendio, alii gladio vitam finierunt, aliis oculi eruti sunt, alii sibi manus consciverunt, verumque illud in se monstrarunt, quod

Ad Generos Cereris sine caede, & vulnere pauci
Descendunt reges, & sicca morte tyranni.

Arbitrata est igitur regia sublimitas opus esse divinae pietati acceptum, si quemadmodum in veteri testamento nunc Prophetae, nunc summi sacerdotes, nunc simul ambo, reges ungebant, qui regerent Israël, & Judam; sic & in tempore gratiae, novaque lege Romani Pontifices Christianos Imperatores inungant, qui plebem catholicam legibus tueantur & armis. Atque idcirco summum sibi desiderium fuit, quam citius posset, juxta morem Germanorum Principum Romanae coronationis insignibus illustrari, eoque modo & Apostolicam Sedem, & imperium sacrum condignis honoribus prosequi.

Habes jam regiae sublimitatis desiderium; nunc cur tamdiu dilatum sit docendum arbitror, ne sibi plerique blandiantur, qui ubi loquendum est, tacent; ubi tacendum est, clamant. Sunt enim nonnulli, qui postquam

de coronatione incaeptat sermo; cur, inquiunt, non primo lustro imperiales insulas accepturus venit, si tanta cupido inerat? aut si voluntas defuit; unde hic novus appetitus post duo lustra? Unde nova isthaec religio? Paulus Apostolus apud Festum detentus, cum causam suam dicere jussus esset, beatum se dicebat, quod apud Agrippam loqueretur, suarum consuetudinum, & caeremoniarum non ignarum. Noverat enim tantum oratoris verba proficere, quantum judicis providentia cognovisset. Atque hoc est quod Isaias ait: *beatus qui in aures loquitur audientis*. Erit igitur & mihi pars felicitatis, quoniam omnia sunt nota tuae Sanctitati, quae referam. Fateor, sanctissime Pater, optasse regiam majestatem in ipso Regni principio Romam petere, inungi coronarique. Nec Eugenius alienus erat; nam qui Sigismundo Caesari diadema imposuerat, Friderico quoque imponere cupiebat, ut duorum Caesarum Pater, coronatorque diceretur, quod hactenus nemini reperio contigisse. Sed sunt cogitationes mortalium timidae, & incertae providentiae nostrae. Obstabat coronationi neutralitas, qua propter divisionem Ecclesiae Germani Principes tenebantur, ad cujus sublationem antiquius videbatur regiae sapientiae prius navare operas, quam diadema reciperetur imperiale. Non immemor legis illius quam tradit Aristoteles, in hunc modum sanxisse Solonem, qui in eo tempore, in eoque casu civilis discordiae, non alterutra parte sese adjunxerit, sed solitarius, separatusque a communi malo civitatis secesserit, is domo, patria fortunisque omnibus careto, exul extorrisque esto. Sed abolita neutralitate, & obedientia Sedi Apostolicae restituta, adduxit mox Dominus urentem ventum de deserto, qui Pontificem nobis illum eripuit, celsumque caput morte involvit, ac spem datam coronationis novo genere calamitatis abduxit. Diceret hic Gentilis: obsistit fortuna, omnipotens & ineluctabile fatum. Nec ego abnuerim, si omissa Chrysippi diffinitione, fatum recte praescripserimus, atque ordinem esse dixerimus inevitabili connexione procedentem, qui de providentiae divinae fonte descendens, cuncta suis lo-

Is. 32. 3.

Digitized by Google

locis, temporibusque disponit. Deus enim, qui omnia creavit, nullo pacto credendus est quae faciant homines a suae providentiae legibus alienasse; sed tuae Sanctitati potius hanc coronationis gloriam reservasse. Ex quo fit, ut Eugenio vivente nihil sit, quod per regiam majestatem possit videri neglectum. Sed sunt qui tuo quoque in Pontificatu commissam negligentiam arbitrantur, qui jam quartum geris summi Pontificatus annum; quos tanto facilius refellemus, quanto recentiora sunt quae obiiciuntur. Sane ut assumptionem tuam regia Serenitas accepit, cujus rei ex me primo certitudinem habuit, (1) mox cunctos populos, quos suae clementiae regit imperium, te Patrem habere, summum venerari Pontificem, te Christi verum & indubitatum Vicarium recognoscere voluit. Cumque omnes ad tuam conversi obedientiam forent, cum pacem vicini tenerent, cum tranquilla Germania videretur, de coronatione cum tua Sanctitate, nunc per oratores, nunc per literas egit; nunc Patri gravissimo atque modestissimo Card. S. Angeli [2] Apostolicae Sedis Legato commissum negotium fuit. At cor hominis, ut inquit Sapiens, disponit viam, sed Domini est dirigere gressus ejus. Emerserunt e vestigio novi tumultus, qui Principatus Austriae miris modis infestaverunt, tamque multiplices & variae novitates inundarunt, ut in modum Hydrae amputata dissidiorum capita septiplicari viderentur; nec solum in Austria turbulentae res proruerunt, sed in Svevia, Franconia, Bavaria, Rhenique florentissimis regionibus, atque in ipso Christianitatis corde, nova, inaudita, inexcogitata, intolerabilia discordiarum incendia sunt exorta, quae nobilissimos Principes ac potentissimas civitates in bellum traxere: forsitan corruptos hominum mores, ut Augustinus ait, bellorum fulminibus emendare divina providentia voluit. Sic enim per Prophetam minatur Dominus: *Visitabo in virga ferrea iniquitates eorum, & in flagellis peccata eorum*. Quae res necessario majestatem regiam in partibus tenuerunt, ut pacem prius componeret inter subditos, quam Nationis terminos egrederetur. Ob quam rem mirari neminem decet, si tanto tem-

tempore coronatio suspensionem accepit; nec enim tam dispendiosa coronationis, quam communis pacis dilatio videbatur. Instant tamen adhuc adversantes; Romanumque Principem non solum praesentia, sed futura quoque pensiculate & enucleate praemeditari oportere contendunt, nec imperanti fas putant dicere: non putaram. Sed non est hominis futura praenoscere. Nescia mens hominum fati sortisque futurae. Et iterum: Quid crastina voluerit aetas scire nefas homini. Quid mirum si futuri temporis statum regia majestas ignoravit? quando nec Prophetae futura noverint, nisi specialiter revelata. Nam neque Samuel novit quem ungere Regem deberet ex filiis Jesse, nisi quando ad ultimum venit. Neque Nathan scivit aedificationem Templi Regi David esse prohibitam, cum diceret: *Omne quod est in corde tuo vade, fac, quia Dominus tecum est*. Nec Eliseus defunctum Sunamitis filium intellexit, nisi postquam mulier ad se venit. In tantum quippe obscura est caligo futuri, ut dubitet Augustinus, Hieronymique sententiam praestoletur: Utrum Angeli qui Luciferum sunt sequuti prius casum sciverint suum, quam ceciderunt. Quibus ex rebus liquido patet, nec dum vixit Eugenius, nec hactenus in tuae Sanctitatis Pontificatu facultatem habuisse majestatem regiam ut ad coronationem proficisceretur, tot, ut praediximus, impedimentis obstantibus.

Sed tempus jam est, ut ad tertiam & ultimam nostrae commissionis particulam transeamus, ac quid regia majestas ex tua Sanctitate deposcat, breviter aperiamus. Fidelibus quidem ac piis Principibus nihil accidere mali potest, quod non cedat utiliter. Scimus enim quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Placuit divinae pietati coronationem regiam hucusque differre, ut quietior & honoratior haberetur. *Cum placuerint Domino viae hominis*, inquit Sapiens, *etiam inimicos ejus vertet ad pacem*. Ecce composita sunt in Austriae Principatibus quaecumque turbulenta fuerunt (3), expiata est latronibus Provincia. Vicini pacem observant. Germani Principes, qui cum civitatibus contendebant, reconditis armis & odio seposito super litibus quas habebant

Digitized by Google

bant regiae sublimitatis arbitrium praestolantur. Quapropter cum rursus offeratur coronationis facultas, cupit imperatoria majestas, tuaeque Sanctitati enixissime supplicat, quae sunt ad coronationem necessaria ex parte tua, ut quantocius parentur, ut dies celebrandae solemnitatis in urbe dicatur, ut in oppidis atque Provinciis tuae Sanctitati parentibus tutus, facilisque transitus pateat, ut sint hospitia non solum multitudinis capacia, sed etiam digna nobilitatis. Ne desint ementibus victui necessaria; ne sint vectigalia toleratu graviora; ne quid injuriarum curialibus irrogetur. Nam & regia sublimitas proceres suos, cunctamque familiam modestissimè transire jubebit. Hisce petitionibus, quamvis alias tua Sanctitas caute, solicite, religiose, clementer annuerit; quia tamen ex caussis antedictis inveteratae res sunt, haud indignum visum est rursus eadem postulare. Plerique mortales, si rem hanc suasuri venissent, omnes orationis nervos circa gloriam collocassent. Dixissent enim, ut arbitror, cum divisam Ecclesiam, Pater sanctissime, multis curis ad unionem reduxeris; cum plurimas haereses extirpaveris; cum fidei nostrae cultum ampliaveris; cum pacem inter Christi fideles summo studio seminaveris; cum fana & Urbis disjecta moenia reparaveris; cum patrimonium Ecclesiae undique direptum, dissipatumque vendicaveris; cum remissionis annum Christiano populo dulcissimum, expectatissimumque concesseris; quid amplius ad cumulum gloriae tuae restat, nisi ut Caesareo capiti coronam imponas? Audi Caesarem, fac quod petitur, stat sua cuique dies, breve & irreparabile tempus omnibus est vitae; sed famam extendere factis, hoc virtutis opus. Sic semper honos nomenque tuum, laudesque manebunt Sed fuit haec gentilitatis detestanda consuetudo, quae nisi ad populares auras & inanes rumusculos recte quidquam agere nescivit; laudis animal & ventosae gloriae mancipium. At nos Christiani dogmatis sectatores sumus, & non solum apud Christianos agimus, sed coram omnium Christianorum capite, rectore duceque stamus; non oratorem, qui dixit: *honos alit artes, omnesquè incendimur ad studia*

glo-

gloriae; ſed Apoſtolum potius imitari debemus, qui ait: *Gloria noſtra haec eſt teſtimonium conſcientiae noſtrae*. Nec nos latet Sanctitatem tuam ſingulari ſapientia praeditam bonum ſuum non populari rumore, ſed conſcientiae veritate metiri. Relinquimus igitur vana laudis nomina, remque nudam coram tua Sanctitate ponentes, non ambigimus, quin ejus honeſtatem utilitatemque penſites, multumque Chriſtianae Reipublicae conducere videas, ſi regia majeſtas ad tuam praeſentiam proficiſcatur, deque rebus Eccleſiae, atque imperii reſarciendis cum tua Sanctitate conveniat. Quod ſi nonnullorum planetarum conjunctiones humano generi ſalubres exiſtimantur; cur non duorum luminarium maximorum conventum Chriſtianitati judicaverimus ſalutarem? Contemnat quicumque velit coronationem, aurum, gemmas, purpuras, pomum, gladium, unctionem, conſecrationem, caerimonias, pompas; is certe quamvis agreſtis eſt, & ingenio duro, negare tamen non poterit, quin uſui ſit Chriſtiano populo, multumque commoditatis adducat utriuſque gladii concurſus, & Romani Pontificis ac Caeſaris unitas, quae tunc ſolida certiſſimaque habetur, quando per coronationis ſolemnitatem alter alteri individua caritatis affectione connectitur. Caeterum quia non eſt opus verbis uti, ubi ſe res ipſa ſuadet, ac prius conceſſa quam petita videtur, ſatis eſſe cenſemus, & quod fuerit regium deſiderium, & cur dilationes interceſſerint, & quid tandem petatur ſtrictim curſimque narraviſſe. In quibus rebus, ſi tua Sanctitas (ut ſpem gerimus indubiam) ſublimitati regiae morem geſſerit, memori & gratiſſimo Principi complacebit; merita quamvis erga Sedem Apoſtolicam maxima ſint, tamen majora ſequentur, & ante Ararim Parthus bibet, Germania Tygrim, quam tuae Sanctitatis imago, tuaque virtus ex ſuo pectore dilabatur. Pleraque alia cum tuae clementiae libuerit ſemotis arbitris referemus.

NO-

NOTAE

In superiorem Orationem.

1. Cujus rei ex me primo certitudinem habuit. *Vix dubito, designari hisce orationem quam Baluzius in Miscellaneis vulgavit, & ego ex ordine orationum Pii segregandam censui, cum historiam potius quam orationem referat. Vide Praefationem meam in hujus Collectionis exordio.*
2. Card. S. Angeli commissum negotium fuit. *Is erat Joannes Carvajal Hispanus ab Eugenio IV. in Sacrum Collegium cooptatus, multis obitis Legationibus insignis, vir utique gravissimus. Tumultus illos Austriacos, quorum hic meminit AEneas nihil moror, cum fuse illos in Argumento ad orationem adversus Austriales exposuerim. Nec plura commemoranda sunt de bellis Sueviae, Franconiae, &c. de quibus diligenter Pius in historia de dieta Ratisponensi, quae me authore in Appendice hujus collectionis prodit.*
3. Composita sunt in Austriae Principatibus quaecunque turbulenta fuerant, &c. *Igniculos tamen defectionis semper fovebant Austriales, quanquam Fridericus oppressisse se ardorem rebatur. Pacasse se Austriam arbitrabatur ille, cum Bohemos, quorum erat cum Austrialibus rebellandi causa communis (nempe detentio Ladislai pueri Regis sui ducisque Austriae, quem ipsis invitis Fridericus tutorio jure apud se habebat) ut patienter sustinerent hortatus est, quoadusque ipse expediretur a Romano itinere, quod meditabatur ad imperialia insignia assumenda. Verum Austriales clam egerunt cum viro quodam Ladislai pueri curatore, ut illum sollicitaret ad fugam, quae ejus suasu & ope parum abfuit quominus executioni mandaretur. Tunc incendium erupit.*

Digitized by Google

ORATIONIS IX.

Argumentum.

Imperialibus infulis jam ornatus a Nicolao V. Pontifice Fridericus III. nobile illud, Christiano Imperatore dignum, succurrendi afflictae Christianae rei studium, quo jam inde a puero tenebatur, provexit. Eam in rem Romam post brevem Neapolim excursionem secundo regressus, de expeditione in Turcas molienda, omnium Europae Principum viribus in unum collatis, seriò cum Pontifice tractavit. Id ergo Imperatoris desiderium Pontifici, sacroque Senatui AEneas pro concione exponit; qua in oratione omnia submovet impedimenta, quibus suscepta tantae rei tractatio retardari, quin & penitus destitui potuisset. Nondum quidem Turcae Constantinopolim expugnaverant; res tamen Graecorum eo adductae erant, ut in certum exitium jam jam praecipitarent, nisi prompte accurreretur. Frustra tamen conatus est Fridericus, frustra AEneas peroravit. A Christianis nihil motum in Turcas, annoque sequenti Constantinopolis Imperii Orientalis Christiani sedes barbaris cessit, & Hungaria diri hostis infestationibus patuit. Hanc orationem bis habent lectores semel ex edito Freberi; iterum ex Lucensi Codice, cum ambae istae non parum differant inter se, non verbis tantum, sed & rebus interdum, addita sint multa utrinque, & subtracta. Animadvertisse tamen juvat orationem qualem ex Frebero dedi, integram inseruisse AEneam in historia Friderici III. Imperatoris, quam eo Principe adhuc superstite scripsit, typisque Helmstadiensibus anni 1700. vulgata legitur. Quare reputandum est virum illum doctum orationem quidem ita recitasse qualem dedit in suo illo opere; dein secundis curis reformasse, eamque sic refictam in Codicem nostrum relatam.

ORA-

ORATIO IX.

Ad Nicolaum Pontificem nomine Caesaris de Passagio contra Infideles indicendo.



Oyses vir Dei, Beatissime Pater, maxime Pontifex, cum sibi ordinaret successorem Josue filium Nun, divinam vocem ad se dicentem audivit: *Si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum; ad verbum ejus egredietur, & ingredietur ipse & omnes filii Israël cum eo, & caetera multitudo*. Quibus verbis non populi solum, sed Reges, & Principes monentur magnis in rebus summi Sacerdotis consilium quaerere, & imperium sequi. Quod postmodum & in novo testamento, & in tempore gratiae, multis exemplis, & auctoritatibus est firmatum, sicut Constantini maximi, & Theodosii & Justiniani, & aliorum Christianorum Caesarum gesta testantur. Eam ob causam cupidus atque avidissimus Caesar, divus Fridericus, Romanorum Imperator Augustus, filius tuus obsequentissimus suis diebus adversus impios Mahumeti cultores generale passagium fieri, atque in illud suum studium, suasque vires omnes convertere, te prius magni Dei Vicarium, Christianae plebis sacratum caput, perfectum ducem, optimum rectorem, veracem magistrum consulendum, audiendum, & sequendum censuit. Cujus providentia noscere, auctoritas monere, potestas implere potest quod sit agendum. Venit igitur ad te hodie, tuumque sacratissimum Senatum Caesar super universali passagio cum tua Beatitudine loquuturus. Coronatus enim jam triplici corona, ejusque Regni tua beneficentia Rex confirmatus, cujus potentiam Daniel ferro comparavit, cujus limites solus claudit Oceanus, cujus fundator Romulus, confirmator Julius, ampliator Augustus, approbator Dominus Jesus fuit; cujus auctoritas in terris,

Ex Lucensi Codice.

nisi tuae, cedit nulli, cujus officium est parcere subjectis, & debellare superbos; quid aliud cogitet quam passagium, per quod Christiani fortiores, & inimici Christi nominis redduntur imbecilliores? Princeps, inquit Sapiens, quae sunt digna Principe cogitabit. Reges apud Medos, ut Herodotus inquit, apud omnes, ut Curtius sensit, justitiae tuendae causa creati sunt, velut injuriarum propulsatores. Qui si Platoni auscultare volunt, caeterisque Philosophis recta monentibus obedire, procurationem Reipublicae non ad suam, sed ad eorum, qui sibi commissi sunt, utilitatem gerere debent. Atque hoc est quod de passagio Caesarem & solicitum & anxium facit. Super qua re dicturus ego quae mihi sua majestas imperat, Orationem meam in tres partes dividam. In prima dicam quid sit passagium quod quaeritur. In secunda cur petitur. In tertia facile ne passagium fructuosumque sit futurum. Quibus in rebus si longior fuero; cum rerum magnitudine verba comparentur, sic fortasse brevior apparebo: quid dixi apparebo? immo ero revera brevis, quoniam, Ovidio testante, sola brevitas commendat indoctos. Sed jam primum absolvamus.

Passagii vocabulo nihil aliud designamus, quam expeditionem militarem numerosam adversus infideles per Christianos indictam. Quod qui sequuntur Cruce signati plenariam peccatorum omnium remissionem merentur; appellaturque passagium sermone Italico, quasi transitus. Nam sicut aves quaedam gregatim certis anni temporibus de regione in regionem transeunt, dicunturque passagium facere; sic & Christiani nonnunquam sumptis armis turmatim incedentes, atque in hostes fidei ex Apostolicae Sedis jussu prosilientes, & visi & dicti sunt passagium habuisse. Neque verum passagium videri potest, nisi multorum fuerit populorum, qui migrare magis, novas sedes quaesituri, quam bellaturi videantur, sicut Cymbrorum in Italiam inundatio, ac Gothorum & Hunnorum excursio. Habemus quid sit passagium. Nunc cur petatur exponamus. Tria sunt quae Caesarem passagii cupidum reddunt, commiseratio, utilitas, atque honestas rei.

Un-

Unde vero commiſeratio procedat paucis adverte docebo. *Quis infirmatur*, inquit Apoſtolus, *& ego non infirmor*? Quis videt afflictos & non affligitur? Cujus pectus adeo durum eſt, ut dolentibus non condoleat, gementibus non congemat? triſtantibus non contriſtetur? Caeſar quidem poſtquam diſcretionis attigit annos, coepitque noſcere fidei noſtrae ſacramenta, mox religionis induit zelum, coepitque rebus omnibus divini cultus augmentum praeponere, quod ſibi & ſuae naturae bonitas & nobilitas ſanguinis ſuadebat. Nam domus Auſtriae Principes, inter quos plures & Reges, & Imperatores floruerunt, tunc ſibi proſpere ſuccedere ſperaverunt, cum divino nomini bene ac conſtanter famulati fuiſſent; quorum veſtigia ſequutus Fridericus, defunctis parentibus, quamprimum tutelam exivit, ut locum videret, in quo noſtra redemptio celebrata eſt, adhuc adoleſcens (1) trans mare navigavit, contempſitque pelagus, digitis a morte remotus quatuor, aut ſeptem, inſpexit locum ubi natus Salvator noſter Chriſtus, ubi poſitus in praeſepio, ubi praeſentatus in templo, ubi baptizatus, ubi temptatus, ubi praedicavit, ubi Lazarum ſuſcitavit, ubi coenavit, ubi captus, ubi deriſus, ubi judicatus, ubi crucifixus, ubi ſepultus eſt, & unde aſcendit ad coelum. Quid multa dicam? Oſculatus eſt Caeſar terram ubi fuerunt pedes ejus, qui nos redemit. Sed quo animo tunc fuiſse arbitraris, cum ſpurcidos illic Saracenos, immundos, horridos dominari videret, ſanctiſſima loca poſſidentes? Quid aliud dicere potuit niſi propheticum illud: *Deus venerunt gentes in haereditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam*. Et iterum: *Quomodo ſedet ſola civitas plena populo, facta eſt vidua domina gentium, princeps provinciarum facta eſt ſub tributo*? Proh quantum urgebat Caeſarem haec civitatis oppreſſio, & illorum qui ſunt trans mare Chriſtianorum conculcatio! Sed quid Graecia literarum mater, inventrix legum, cultrix morum, & omnium bonarum artium magiſtra? Quis non miſereatur gentis illius afflictae, oppreſsae, peſſumdatae? cujus imperium non ſub Alexan-

xandro Macedone solum, suisque successoribus, sed sub Atheniensibus, Thebanis, & Lacedaemoniensibus olim & florentissimum & potentissimum fuit, nunc ubilibet effoeminatis Turcis servire coacta est. Quid regnum illud Hungariae nobilissimum, terra antiqua potens armis atque ubere glebae? Heu qualiter passi sunt Hungari (2) diebus nostris? qui dum nostrum servant sanguinem fundunt suum, quorum pectora nostri sunt muri. Obligamur certe omnes Christiani Hungaricae genti, qui pro nobis mortificantur tota die, & facti sunt sicut oves occisionis. Eccum praesentem illorum regem, puerum, pupillum, orphanum Ladislaum nobilissimam & Regum & Imperatorum prolem (3), qui suo Regno, suisque subditis postulat auxilium. Utinam tam Sanctitatem tuam, quam Caesaream suae preces, suae lachrymae moveant. Nam illi genti postulat auxilium, quae suis armis toti Christiano populo affert praesidium. Accedit & aliarum calamitas Provinciarum; Massagetae, Scythiam; quamplures populi Livoniam vexant (4). Mauri non parvum Hispaniarum occupant regnum. Nostri maris quod Mediterraneum vocant insulas Cyprum, Rhodum, Cretem, Siciliamque, & ipsa Italiae littora Barbarorum saepe classes invadunt, asportantque Christianos. O nostram maximam negligentiam! O tempora! O mores! Dum gentiles fuerunt Caesares Idolorum cultores, augebatur in dies credentium numerus. Nunc cum Christiani sunt Imperatores, Reges, Duces Christianitatis, minuitur cultus Christi; qui totum fere orbem oppleverat, in angulum Europae redactus est. Africam & Asiam amisimus. In Europa quoque conculcamur. Cur hoc? Refriguit ardor, tepuit caritas. Proh dolor! Major est Saracenorum in sua perfidia ardor, quam noster in fide zelus. Cernimus Christianorum injurias & tacemus; opprimitur, jugulatur nostra religio, & avertimus oculos; sed alius est Caesaris animus, aliamque tuam mentem esse arbitratur. Nam qui non defendit oppressos, neque obsistit, si potest, injuriae, sicut philosopho placet, tam in vitio est, quam si parentes, aut amicos, aut patriam deserat. Quod ne tibi, neve sibi quispiam

im-

imputet, passagium expetit, in quo magnam utilitatem esse intelligit.

Subvenire laborantibus Hungaris, liberare Graecos a servitute, propagare divinum cultum, sanctam terram ex manibus impurorum vendicare, monstrumque illud, & abominabile Idolum Mahumeti exterminare, unde placentes Deo immarcescibilem coelestis regni coronam adipiscamur. En magnam utilitatem. Sed non est vera utilitas honestatis expers. Majores nostri justum bellum gerere honestam rem censebant; erat autem belli aequitas sanctissima Senatus, populique Romani jure praescripta, denunciataque bella, & indicta justa putabant, in quibus qui viriliter pugnavissent, non viventes solum, sed occumbentes honore dignos, gloriososque judicabant. Quid nos de hoc bello dicemus, quod non terrenus homo, sed divinus Imperator indicit, in quo non Imperii, sed divini cultus propagatio quaeritur, in quo fides catholica defenditur, & honor Salvatoris nostri, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed formam servi accipiens exinanivit se ipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, ut nos ex diabolica servitute redimeret? Tumet adversarius ejus Mahumetus, inflatur, cornua erigit, & nos quiescimus: an non arma pro Christo sumemus, qui pro nobis sumpsit humanitatem? Maxima esset ingratitudo nostra, si non ad incertam mortem pro Christo iremus, qui certam pro nobis tulit; si non illi vitam offeramus, a quo suscepimus. En bellum honestissimum, in quo patris, in quo Domini, in quo magistri Dei nostri causam tuemur, in quo qui vitam temporalem amittit, aeternam & famam clari nominis adipiscitur sempiternam. Quid plura? Tantum abest, ut non sit gloriosum pugnare pro fide, ut informe foedumque sit non pugnare quando necessitas urget; sicut jam grassantibus undique infinitis modis Saracenis, & nomen Christi magna vi, crudelitate, atque immanitate persequentibus. Hoc tantum de secunda parte sit dictum, in qua cur passagium peteretur monstrandum fuit.

Su-

Digitized by Google

Supererat nunc de possibilitate congregandi passagium deque spe fructus dicere. Plurimi sunt, beatissime Pater, qui cum nominari passagium audiunt: Ecce vetus somnium, inquiunt, vetus deliramentum, inanes fabulas. Verum Urbanus antecessor tuus, cum vexaretur a Paganis orientalis Ecclesia, Saracenique Hierusalem conculcarent, motus Alexii, qui Constantinopolim tenebat, & aliorum Christianorum, qui sub tributo Turcorum vitam agebant, precibus, gravi, & laborioso itinere in Galliam profectus, maximum exercitum congregavit, atque hominum tercenta millia, ut Otto Frisingensis scribit non futilis auctor, in Graeciam, Asiam, Syriamque transmisit, quibus nullae Saracenorum vires obsistere potuerunt, quin & Antiochiam expugnarent, & Hierusalem obtinerent. Unde adhuc Urbani qui convocavit passagium, Gottifridi qui conduxit illustre nomen habetur. Sed pensemus si hodie spes bona sit habituri passagii, quoniam nemo sciens impossibilia tentat, neque aggreditur quisquam, quod assequi desperat. Magnum facinus spes nutrit. Quid hic respondemus? Duo consideranda sunt. Unum an Christiani facile possint in passagium trahi; alterum an inchoato passagio spes sit magna vincendi. Nam quamvis omnium bellorum dubius sit exitus, nunquam tamen committendum est bellum sine spe quadam, & argumento victoriae, ne, sicut Octavianus Caesar proverbium habebat, aureo piscari hamo videamur, in quo major damni, quam lucri ratio possit haberi. Difficile ergo primum videtur, Christianos, qui sunt inter se discordes, apertisque flagrantes odiis, in unam passagii sententiam ducere. Sed quod multi obstare judicant, sapientia Caesaris conducere judicat. Namque si pax Christianos haberet, in cassum quietos Principes, atque otio torpentes excitaremus, neque utiles bello manus invenirentur, timerent mortes, ferrum, neque signum, neque tubam ferre possent. Nunc vero exercitati bellis populi ultro sese offerrent. Facilius ex bello vocatur in bellum, quam ex otio miles. Bonum est viro, sicut Propheta testatur, cum portaverit jugum ab adolescen-

Urbanus II.

ſcentia ſua. Quis Chriſtianorum eſt, poſtquam pugnare oportet, qui non potius in Turcos, quam in Chriſtianos ſtringere gladium velit? Placebit omnibus arma in Saracenos vertere, Patriam ut quietam relinquant. & fortaſſe unica pacandi Chriſtianos via eſt, convocatio paſſagii. Martiales enim & feroces Europae populi, neſcientes quieſcere, niſi adverſus exteros praelientur, in ſe manus vertunt. Qua ratione ductus olim Scipio Naſica excidi Carthaginem diſſuadebat, ne pacem habentes in circuitu Romani in ſeſe ruerent. Sicut & Iſraël victis hoſtibus mutuis cecidere vulneribus. Jam pacem ergo ut habeant Chriſtiani, bellum in exteros eſt transferendum; ad quam rem neque Germanorum illuſtris animus, neque cor nobile Gallicae gentis, neque mens ſublimis Hiſpanorum, neque honeſti cupidus Italorum deerit ſpiritus. Omnes quos tua jubet ſanctitas conſtanti animo exequentur. Quis dubitet poſſe fieri paſſagium, quod Romani Pontificis auctoritate decretum, & Imperatoris mandato fuerit convocatum? Videor videre rem perfectam, nec me dubium habet ullum, ſi tu verbum apponis, Caeſar adiicit manum. Nam ſi quis obedire neglexerit, vel tuis juſſibus, vel Caeſaris Imperio compelletur. Sed dicet fortaſſe quiſpiam quod Bracius (5), quamvis Eccleſiae hoſtis, alioquin tamen vir ſenſatus, frequenti ſermone uſurpare ſolebat: tribus potiſſime rebus indigere bellum, & haec tria unum eſſe, pecuniam. Ubi ergo corrademus aurum ad tantum, & tam longum bellum neceſſarium? Sunt & modi imprompto quibus inveniemus argentum, quos vulgare non expedit. Illud dicere poſſum, civitates, quae ob eam cauſam bella ſuſcipiunt, ut ſine injuriis in pace vivant, libenter paſſagii expenſas contribuent, ut pacem nihil inſidiarum habentem conſequi poſſint. Non erit ergo difficile convocare paſſagium; nec rurſus ſpes magna victoriae deerit. Novit imperatoria majeſtas Aſſyriorum, AEgyptiorumque gentem: imbecilles, inermes, effoeminatique ſunt, neque animo, neque conſilio martiales. Salmacida erunt ſpolia ſine ſudore & ſanguine. Quis tunicatos, mitriatoſque Turcos, aut bracchatos timeat

AEgyptios, quos Rapsaces, ad Ezechiam Regem loquens, baculo arundineo confractoque comparavit. Quod si aliquando nostri exercitus ab eis victi sunt, neque viribus, neque rei militaris peritiae, sed numerositati hostium adscribendum est. Quod si Christianorum copiae tot fuerint, ut opprimi Saracenorum multitudine nequeant, quod passagii nomen exposcit, certa in manibus erit victoria, sicut prisca exempla nos instruunt. Juvabunt & divisiones eorum, & odia, quae cum Tartaris habent assidua certamina, juvabit & gentis illius desperatio. Nam Mahumetum, cui maxime credunt, sectam suam in octingentos usque annos augendam, exinde diminuendam asserunt prophetasse, qui sub Heraclio Caesare malignari coepit, post quem supputantur anni quadraginta & octingenti: & hoc Turcos admodum territat, Christianos elevat. Nam etsi falsus Propheta Mahumetus est, non est tamen falsum vaticinium aestimandum, quod Hieremiae sacris sermonibus consonum esse videmus, dum primo inquit, quasi tuam Sanctitatem & Caesarem adhortatus. *Nolite tacere super iniquitates ejus, quoniam tempus ultionis est Domino, vicissitudinem ipse retribuet ei.* Possem ad hanc rem plura deducere, sed neque doctissimis tuis auribus, neque Reverendissimis Sapientissimisque Patribus qui assident danda sunt verba. Satis est nobis absolvisse quae promisimus, quae Caesarea sublimitas dicturum me voluit. Intellexisti desiderium suum, sanctum propositum, integram Caesaris mentem intueris, totum tamen & consilio & judicio tuo relinquitur. Caesar cum esset hac vice apud tuam Beatitudinem noluit hanc rem intactam relinquere, quae sibi ab ineunte adolescentia semper cordi fuit. Alius fortasse aut Concilium generale petivisset, aut reformationis decreta, aut aliud quidpiam; Caesari, suscepta ex tua manu imperiali corona, nihil antiquius visum est, quam de passagio tecum agere. Quod si fortasse prima fronte arduum videatur, nihil tamen est tam difficile, quod quaerendo non fiat facile. Virtus circa difficile operatur. Asperis in rebus & vir noscitur, & gloria quaeritur. Quae magno animo & fortiter & excellen-

Digitized by Google

lenter geruntur, neſcio quomodo pleniori bucca laudare ſolemus. Clari & illuſtres ſunt tituli tui, Beatiſſime Praeſul, qui unionem feceris, Jubilaeum indulſeris, Caeſarem coronaveris; paſſagii tamen titulus & dignior & diuturnior omnibus erit, quem ne ſucceſsori relinquas, & Caeſarea ſublimitas ſuadet, & omnis Chriſtianitas orat, & tibi coronato Caeſare, quamvis multa incumbant, nihil tamen eſt, de quo vel utilius agere, vel glorioſius, quam de paſsagio valeas.

NOTAE

In ſuperiorem Orationem.

1. ADhuc adoleſcens trans mare navigavit. *Hanc Friderici peregrinationem in Terram Sanctam nullibi quidem me legiſſe ſuccurrit; nihilo tamen ſecius, ita certam exiſtimo quam ut aliud maxime; eſt enim AEneas hujus rei teſtis locupletiſſimus; nec erant tunc ſacrae peregrinationes etiam viris Principibus infrequentes. Hanc enim religionem Erneſtus pariter Friderici genitor ſibi obeundam duxit, teſte inter alios Ebendorffero in Chron. Auſtr. lib. 5. apud Pez. Rer. Auſtr. Tom. II. pag.* 844.
2. Quanta paſſi ſunt Hungari diebus noſtris. *Prae oculis hic habitam credo ab AEnea memorabilem illam pugnam, ſeu verius caſum Hungarorum in praelio ad Varnam ann.* 1444. *Pugnatum tunc eſt ab Uladislao Hungariae Rege in Amurathem Turcarum Imperatorem. Infeliciſſime caeſi Chriſtiani fere ad internecionem; inter quos Rex ipſe & Julianus Cardinalis A. S. L. deſiderati. Legendus Bonfinius Rer. Hungar.* 4. *dec. 6.*
3. Regum & Imperatorum prolem. *Sigiſmundus Imperator unicam, quam ex Barbara uxore retulit filiam Adalberto Auſtriae Duci, Bohemiae dein Regi, tum & Imperatori electo, nuptui tradidit. Ex Adalberto na-*

tus Ladislaus, quem proinde imperatoriam & regiam sobolem AEneas merito appellat.

4. Massagetae Scythiam; quamplures populi Livoniam vexant, Mauri non parum Hispaniarum occupant regnum. *De populis Livoniam infestantibus haec tradit AEneas in Europa Cap.* XXVIII. Tartari *eam* saepe incurrunt, in qua nostra aetate magnas acceperunt strages. *In Hispania Granatense Regnum a Mauris tenebatur, nondum enim vindices senserat Ferdinandum & Isabellam.*

5. Braccius quamvis Ecclesiae hostis, &c. *Braccius Perusinus, miles strenuus, & exercituum ductor, qui sub Martino V. Romam invasit, occupavit, & titulo defensoris aliquandiù tenuit. Ab ea tandem pulsus, post varias vices neci traditus est, dum a sacris Christianis extorris ageret. Obiit anno 1424.*

ORA-

Digitized by Google

ORATIO X.

Ad Nicolaum V. PP. ut Caesarem Fridericum in Turcos passagium parantem modis omnibus adjuvare velit.



Oyses vir Dei, beatissime maxime Pontifex, cum sibi successorem ordinaret Josue filium Nun, divinam vocem ad se dicentem audivit: *Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum; ad verbum ejus egredietur, & ingredietur ipse & omnes filii Israel cum eo, & caetera multitudo.* Quibus verbis non populi solum, sed Reges, & Principes admonentur magnis in rebus etiam bellicis, summi Sacerdotis, & consilium quaerere, & imperium sequi. Quod postmodum in novo testamento, & in tempore gratiae, multis exemplis, & auctoribus est firmatum. Sicut & Constantini magni & Theodosii & Justiniani, & aliorum Christianorum Caesarum gesta testantur. Eam ob causam cupidus atque avidissimus divus Caesar, Dominus Fridericus, Romanorum Imperator Augustus, filius tuus obsequentissimus, suis diebus adversus impios Mahumeti cultores generale passagium fieri, atque in illud suum studium, suas curas, suasque vires omnes convertere, te prius, magni Dei Vicarium, Christianae plebis sacratum caput, perfectum ducem, optimum rectorem, veracem magistrum consulendum, & audiendum & sequendum existimavit, cujus providentia noscere, auctoritas monere, potestas implere possit quid sit agendum. Venit igitur ad te hodie, tuumque gravem & ornatissimum, sacratissimum Senatum Caesar super universali passagio cum tua Beatitudine tractaturus. Coronatus enim jam triplici corona, ejusque Regni beneficentia confirmatus, cujus potentiam Daniel ferro comparavit, cujus limites solus claudit Oceanus, cujus fundator Octavianus, confirmator Dominus Je-

Affert Freher Tom. II. pag. 38.

Jesus fuit, quod Romana semper Ecclesia magni fecit, extulit, honoravit, cujus auctoritas in terris nisi tua cedit illi, cujus officium eit patrocinari Ecclesiae, tueri religionem, parcere subjectis, & debellare superbos. Hujus, inquam, regni solium adeptus Caesar, quid aliud cogitet quam passagium, per quod & Christiani fortiores, & hostes fidei reddantur imbecilliores? Principes, inquit Sapiens, quae sunt digna Principe cogitabunt. Reges apud Medos, ut Herodotus inquit, apud omnes, ut Cicero sensit, justitiae fruendae causa sunt creati, injuriarum propulsatores, qui si Platoni magno voluerint auscultare, caeterisque Philosophis recta monentibus obedire, procurationem Reipublicae non ad suam, sed ad eorum, qui sibi commissi sunt, utilitatem convertere conabuntur. Atque hoc est quod de passagio Caesarem & solicitum & anxium facit. Super qua re dicturus, quae sua mihi majestas imperat, oratiunculam meam tres in partes ego dividam. In prima dicam quid sit passagium quod petitur. In secunda cur petatur. In tertia facile ne passagium, fructuosumque sit futurum. Quibus in rebus si longior fuero; cum rerum magnitudine verba comparentur, sic fortasse brevior apparebo, immo ero revera brevis. Nam docti dicere multa possunt, sola brevitas, ut Ennodius ait, commendat indoctos Sed jam primum absolvamus. Passagii vocabulo nihil aliud designamus, quam militarem expeditionem numerosissimam adversus infideles per Romanum Pontificem indictam, quam qui sequuntur Cruce signati plenariam peccatorum remissionem, & merentur, & assequuntur. Appellaturque passagium sermone Italico,quasi transitus. Nam sicut aves quaedam certis anni temporibus de regione in regiones transeunt, dicunturque pafsagium facere, sic & Christiani nonnunquam armis sumptis, trans mare incedentes, atque in hostes fidei, ex Apostolicae Sedis jussione, prosilientes, & visi & dicti sunt passagium habuisse. Nunquam tamen verum passagium dici potest, nisi multorum fuerit populorum, qui migrare magis, novas sedes quaesituri, quam bellaturi videantur. Qualis Gallorum, Cymbrorum, Hunnorum in Italiam inundatio

fuit.

fuit. Intelligunt jam omnes, niſi fallor, quid ſit paſſagium quod petitur. Nunc petitionis cauſas exponamus, quas tres eſſe comperio, commiſerationem, utilitatem, & honeſtatem. Unde vero commiſeratio prodeat, paucis adverte, docebo. *Quis infirmatur*, inquit Apoſtolus, *& ego non infirmor?* Pulchre, recte, religioſe, ſancte dictum. Nam cujus pectus adeo durum eſt, ut dolentibus non condoleat, gementibus non congemat, triſtantibus non contriſtetur? Caeſar quidem poſtquam diſcretionis attigit annos, coepitque noſcere fidei noſtrae ſacramenta, mox religionis induit zelum, rebus omnibus divini cultus praepoſuit augmentum. Sic enim & ſuae naturae bonitas, & ſanguinis nobilitas expoſcebat. Nam ſublimis domus Auſtrae Principes, inter quos plures Reges, & Imperatores claruerunt, tunc ſibi proſpere ſuccedere ſperaverunt, cum divino numini bene & conſtanter famulati fuiſſent. Quorum veſtigia ſectatus Fridericus, defunctis parentibus, ut primum tutelam exivit, admodum adoleſcens trans mare navigavit, contemnenſque pelagus, & tempeſtatum minas, digitis a morte remotus quatuor, aut ſeptem, cupidus oſculari locum, ubi fuerunt pedes ejus, qui nos redemit, medio terrae ſalutem operatus, Hieroſolymam perrexit, ſepulchrum Domini viſitavit, Calvariae locum inſpexit, montem aſcendit Oliveti, vidit coenaculum grande ſtratum, & Pilati praetorium, intravit deſertum, tranſivit Jordanem, Bethleem aſcendit, & vallem Joſaphat penetravit. Mirabilem ſibi ac incredibilem devotionem, ſanctorum locorum viſio ſuggerebat. At cum ſpurcidos illic Saracenos, immundos, horridos, ſceleratos dominari videret, veniebat in mentem, tactus dolore cordis intrinſecus, nil aliud dicere potuit quam propheticum illud: *O Deus venerunt gentes in haereditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam*; & iterum ſicut alius Propheta clamat: *Quomodo ſedet ſola civitas plena populo, facta eſt quaſi vidua domina gentium, princeps provinciarum facta eſt ſub tributo.* Proh quantum urgebat angebatque Fridericum illius ſanctae Crucis indigna ſervitus, & illorum qui

trans

trans mare sunt Christianorum oppressio! Sed quid Graecia, literarum mater, inventrix legum, cultrix morum, atque omnium bonarum & optimarum artium magistra? Quem non misereat illius gentis afflictae, conculcatae, pessundatae, cujus imperium non solum sub Alexandro Macedone, suisque successoribus, sed sub Atheniensibus, Spartanis, olim potentissimum & florentissimum fuit, nunc vilibus effoeminatisque Turcis cogitur obedire. Quid regnum illud Hungariae nobilissimum, terra antiqua, potens armis atque ubere glebae? Heu quanta passi sunt Hungari diebus nostris, qui dum nostrum servant sanguinem, fundunt suum, quorum pectora nostri sunt muri! Obligamur certe omnes Christiani magnatibus & populis Hungariae, qui pro nobis mortificantur tota die, & facti sunt sicut oves occisionis. Ecce tibi praesentem illorum regem puellum, pupillum, orphanum Ladislaum; clarissimam & Regum & Imperatorum sobolem, qui dum suo Regno, suisque opem orat afferri, toti Christianismo consulit. Utinam tam tuam Sanctitatem, quam Caesaris majestatem suae lacrymae moveant. Nam illi genti postulat auxilium, quae suis armis nobis omnibus affert praesidium. Accidit & alia calamitas Provinciarum. Massagetae, & alii Scytharum quamplures populi, nunc Livoniam, nunc Lithuaniam vexant. Mauri non parvum Hispaniarum occupant regnum, Jonii, Carphatii, AEgyptii, nostrique maris insulas, Cyprum, Rhodum, Cretam, Siciliam; quin & ipsa Italiae littora Barbarorum saepe classes invadunt, asportantque Christianos. O nostram maximam negligentiam! O tempora! O mores! proh pudor! *major est Saracenorum in sua perfidia, quam noster in fide zelus.* Dum gentiles fuerunt Caesares, Idolorum cultores, augebatur in dies credentium numerus; nunc dum Christiani sunt Imperatores, Reges, Duces, Christi cultus, qui totum fere orbem oppleverat, in angulum Europae redactus est. Africam & Asiam amisimus, Europae vix partem tenemus. Movetur super his Caesar, compatitur afflictis fratribus, commiseretur injuriam patientium, cupit laborantibus subvenire. Nam qui non defendit indigna fe-

ren-

rentes, neque obſiſtit, ſi poteſt, injuriae, tam eſt in vitio, ſicut philoſophis placet, quam ſi parentes aut amicos, aut patriam deſerat. Quod ne ſibi, neve tibi quiſquam imputet, paſſagium petitur. Sed accipe nunc utilitatem, quam parere paſſagium poterit. Subveniemus laborantibus Hungaris, auferemus jugum ſervitutis ex collo Graecorum, recuperabimus Sanctam Terram, exterminabimus Idolum, monſtrum illud peſſimum, horrendum, ingens Mahumeti; & Chriſtianae religionis fines ſuper & Garamantes, & Indos proferemus. Jacet extra ſydera tellus, extra anni ſoliſque vias, ubi coelifer Atlas axem humero premit Stellis ardentibus aptum. En magnam utilitatem; nam ſic agentes, aut agere tentantes, incorruptibilem coeleſtis regni coronam adipiſcemur, quem reddet nobis in illam diem juſtus Judex. Sed quid de honeſtate gloriaque dicemus, quam vel tuae Beatitudini, vel Caeſaris altitudini accumulaturum cernimus eſſe paſſagium? Bellorum aequitatem majores noſtri ſanctiſſime feciali jure perſcripſerant, denunciata, indictaque bella juſta eſſe cenſebant, in quibus, qui viriliter pugnaviſſent, non vincentes modo, ſed occumbentes quoque dignos honore, glorioſoſque judicabant, atque his ſtatuas dicabant, & triumphales arcus. Quid nos de hoc bello dicemus? Quod non terrenus, ſed coeleſtis Imperator indicit; in quo non Pomoerii, ſed fidei propagatio quaeritur, in quo non paterna domus, ſed fides catholica defenditur, & honor Salvatoris noſtri, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe aequalem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis, ut nos ex Diabolica ſervitute redimeret? En glorioſum, atque honeſtiſſimum bellum, quod tanti beneficii memores ſuſceperimus, in quo Redemptoris noſtri, in quo magni Dei cauſam tuebimur, in quo qui vitam temporalem amittet, acquiret aeternam, & famam clarumque nomen adipiſcetur ſempiternum. Ac tantum de ſecunda parte ſit dictum, in qua, cur paſſagium quaereretur monſtrandum fuit.

Supererat nunc de possibilitate congregandi passagii deque spe fructus dicere. Plurimi sunt, beatissime Pater, qui cum nominari passagium audiunt, ecce vetus somnium, inquiunt, vetus deliramentum, veteres atque inanes fabulas. At Urbanus antecessor tuus, cum vexaretur a Paganis orientalis Ecclesia, Sarracenique Terram Sanctam invasissent, motus Alexii, qui Constantinopolim tenebat, precibus, & aliorum Christianorum, qui sub tributo Turcorum vitam agebant, rogatibus excitatus, gravi, & laborioso itinerè in Galliam profectus, maximum exercitum comparavit, quibus nullae Sarracenorum copiae, nullae vires obsistere potuerunt, quin & Antiochiam expugnarent, & Hierosolymam obtinerent. Unde adhuc & Urbani qui convocavit passagium, & Gothifridi qui duxit, illustre nomen habetur, quamvis quinquaginta & trecenti ab illo tempore fluxerint anni. Quid tua Sanctitas faciat quem pro similibus, ac majoribus causis verus Imperator totaque Christianitas orat passagium convocare? Pensandum est, inquies, an hodie spes bona sit habendi passagii, quia nemo sciens impossibilia tentat, neque aggreditur quisquam quod assequi desperat. Magnum facinus spes nutrit. Sunt ergo duo consideranda, Sanctissime Pater, unum an Christiani facile in passagium trahi possint. Alterum an coacto passagio spes sit magna vincendi. Nam quamvis dubius est omnium bellorum eventus, nunquam committendum est praelium sine spe quadam, & argumento victoriae. Ne sicut Augusti proverbium, aureo piscantes hamo videamur, quorum damni major quam lucri ratio possit haberi. Difficile quippe primum videtur, Christianos, qui sunt inter se discordantes, apertisque flagrant odiis, in unam passagii ducere sententiam. Verum quod multi putant obstare passagio, sapientia Caesaris conducere judicat. Namque si pax Christianos haberet, incassum quietos Principes, atque otio torpentes populos excitaremus; neque utiles bello manus invenirentur; horrerent inertes ferrum, neque signum, neque tubam ferre valerent. At nunc exercitati bellis populi ultro sese offerrent: facilius ex bello vocatur in bellum miles

quam

quam ex otio. Bonum est viro, sicut Propheta testatur, qui portaverit jugum ab adolescentia sua. Quis Christianorum est, postquam pugnare oportet, qui non potius in hostes, quam in domesticos fidei gladium stringet? Placebit omnibus arma in Turcos vertere, Patriam ut quietam relinquant. Et fortasse unica pacandi Christianos via est, passagii convocatio. Martiales enim & feroces Europae populi nescientes quiescere, nisi adversus exteros praelientur, in sese ruunt. Qua ratione ductus olim Vir Senatorius quidam, excidi Carthaginem prohibebat, ne pacem habentes in circuitu Romani manus in se verterent, sicut & Reges Israël fecisse constat, qui victis hostibus mutuis cecidere vulneribus. Pacem ergo ut habeant Christiani, bellum est in exteros transferendum. Ad quam rem neque Germanorum illustris animus, neque cor nobile Gallorum, neque sublimis mens Hispanorum, neque gloriae cupidus Italorum spiritus deerit. Omnes, quod tua videbit sanctitas, corde magno & animo volenti suscipient. Quis dubitet, cogi posse passagium, quod Romani Pontificis auctoritate decretum, & Imperatoris voluntate fuerit ordinatum? Sed dicit fortasse quispiam, quod Bractius olim, quamvis hostis Ecclesiae, tamen alioquin homo sensatus, frequenti sermone usurpare solebat: *Qui bellum gerat, tribus potissimè rebus indigere, & has tres unam esse pecuniam*. Unde igitur aurum corrademus ad tantum, & tam remotum bellum necessarium? Sunt in promptu modi, praesul maxime, quibus inveniri pecunia poterit, sumptusque necessarii ministrari. Sed hos vulgare modo non est ex usu. Illud tamen dicere possum, civitates, quae propter perpetuo bello fatigantur, libenter passagio contribuent, ut pacis tandem compotes fiant. Non est igitur desperata res passagii convocatio, nec rursus spes magna victoriae deerit. Novit imperatoria sublimitas, Assyriorum, Turcorum, AEgyptiorumque gentes imbelles, inermes, viles effoeminataeque sunt, neque animo, neque consilio martiali. Quis aut tunicatos, mitratosque Turcos, aut braccatos AEgyptios timeat? quos Rapsaces ad Ezechiam Regem lo-

f. voluerit

Z 2 quens

Digitized by Google

quens baculo arundineo confractoque comparavit. Sarmatica erunt spolia sine sudore, & sanguine. Multa notavit Caesarea majestas, cum transmarinas partes lustraret, quae spem certissimam victoriae praebent, suoque tempore patefient. Nec moveri debemus quia nostri nonnumquam exercitus ab illis victi deletique sunt, nam neque viribus eorum, neque rei militaris peritiae, sed nostris peccatis adscribendum est. Quod si emendati fuerimus, rectaque mente Christi causam defensuri bellum susceperimus, nihil de victoria fuerit haesitandum, quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum. Juvabunt & nos tum divisiones illorum, tum odia, quae cum Tartaris habent, assiduaque certamina, juvabit & gentis illius desperatio. Nam Mahumetum, cui maxime credunt, sectam suam in octingentos usque annos augendam, exinde minuendam astruunt prophetasse. Is autem sub Heraclio Caesare malignari occepit, post quem supputantur anni quadraginta & octingenti. Quae res terrorem non parvum Turcis, spem Christianis adiicit; nam etsi pseudopropheta Mahumetus est, non tamen falsum vaticinium dici potest, quod sacris Hieremiae sermonibus quadrare videtur. Hieremias enim primo & quinquagesimo capitulo, quasi tuam Sanctitatem, & Caesaris majestatem adversus Mahumetum suscipere bellum hortatur. *Nolite tacere*, inquit, *super iniquitatem ejus, quoniam tempus ultionis est Domino, vicissitudinem ipse tribuet ei*. Possemus ad hanc rem plura deducere; sed neque doctissimis tuis auribus, neque praeclaris sapientissimisque Patribus, qui assident, quique astant, donanda sunt verba. Satis est nobis absolvisse quae promisimus, & quae Caesarea sublimitas mandaverat, exposuisse. Intellexisti desiderium suum, sanctum propositum, integram mentem. Verum quamvis examen imperatorium sic de passagio sentiat, totum tamen & consilio & judicio tuo relinquitur, qui ligandi solvendique claves accepisti, qui Petri & Pauli locum tenes jam cum Christo regnantium; cujus est inter sanguinem & sanguinem, inter causam & causam, inter lepram & lepram judicare. Caesar cum esset hac vice

apud

Digitized by Google

apud tuam Beatitudinem, noluit hanc rem intactam relinquere; quae ſibi adhuc in minoribus conſtituto, atque ab ineunte adoleſcentia ſemper cordi curaeque fuit. Alius fortaſſe vel generale Concilium, vel reformationis decreta petiviſſet, ſed quod majus Concilium poteſt, quam tuae Sanctitatis, tuique ſancti Senatus praeſentia: fruſtra Concilium petit, qui Romani Pontificis mandata non recipit. Ubi tua Sanctitas eſt, ibi Concilium, ibi Reges, ibi mores, ibi decreta ſalubriſque reformatio. Caeſari ſuſceptis imperialibus infulis, tuaque ſacra manu coronato, nihil hoc tempore viſum eſt antiquius, quam de paſſagio tecum agere. Quod ſi fortaſse prima fronte videtur arduum, nihil eſt tam difficile, quod quaerendo non fiat facile. Aſperis in rebus, & vir noſcitur, & gloria quaeritur. Quae magno animo fortiter excellenterque geruntur, niſi quodammodo pleniori bucca laudare ſolemus? difficiles aditus virtus appetit. Clari & illuſtres ſunt tituli tui, glorioſiſſime Praeſul, qui unionem feceris, Jubilaeum indulſeris, Caeſarem coronaveris. Paſſagii tamen titulus & dignior & diuturnior omnibus erit. Quem ne ſucceſsori relinquas, & Caeſarea pietas ſuadet, & omnis Chriſtianitas orat. Nam tibi jam coronato Caeſare, quamvis multa incumbant magna, & alta negotia, nihil tamen eſt, de quo vel utilius agere, vel glorioſius, quam de paſsagio, valeas. Amen.

ORA-

ORATIONIS XI.

Argumentum.

Alberto Austriae Duce, eodemque Bohemiae, Hungariae, ac Romanorum Rege fatis functo, Ducatus & Regnum Bohemiae, sicut & Hungariae haereditas ad Ladislaum infantem ejus filium devoluta est. Id voluerat pater pro filio nondum nato; id voluerunt pro Regno suo, & Bohemi in coetum coacti, (nam de Hungaria nihil hic quaero) quorum pars sanior Regem puerum elegit; quanquam pars altera aemulum illi Bavariae Ducem Albertum substituerit, quo tamen sponte juri suo cedente, omnes in Ladislaum concesserunt. Agebatur de pueri tutela, quae ex testamento patris ferebatur commissa octo viris, binis ex Austria, totidem e Moravia, itidemque ex Hungaris, & Bohemis totidem. His tamen neglectis, sive quod testamentum Alberti post ejus funus obtrusum impostura fuerit dolo fabricata, sive quod ex Austriae consuetudine tutela seniori ex genere committenda esset; sive, quod magis credo, res pueri, ad Hungaricam successionem quod attinet, vacillantes, valida fulcimento indigere censerentur; his igitur stantibus pueri & imperii regimen tutorio nomine in Fridericum III. Caesarem translatum est. Rebus ita compositis; puer in aula Caesaris educatur; Austria praesidibus a Friderico datis gubernatur. Ita perseveratum annis XI. *solidis, nempe ab anno* 1440. *usque ad* 1451. *tum obmurmurare coeptum ab Austrialibus, tumultuari, a gubernatione & tutela pueri exclusos se coactosque extero Principi parere conquestis. Itum in conventum apud Viennam Austriae, ubi communi assensu, praesente Ulrico Ciliae comite, viro inter Austriales facile Principe, decretum, ut communi nomine puer Ladislaus ex Caesare repeteretur, apud suos & a suis educandus gubernandusque; ita rem poscere, ita Alberti patris supremas tabulas exigere. Si postulata non con-*

concederet Fridericus, vim, arma, defectionem minitabantur. Gravem injuriam non tulit Caesar, ejulavit alte, clamare injustitiam, questusque suos coram Pontifice deferre. Continuo ad haec Pontifex admonuit per literas Austriales ne quid grave in jura Caesaris attentarent, omnia restituerent in pristinum; si parere recusassent, censuras dirasque denunciabat. Non tamen propterea cessatum est a tumultu; parendum Pontifici negabant Austriales, dumque Ducem suum poscerent aequa se petere qua vocibus qua scriptis virorum doctorum afferebant. Interea Fridericus, ut erat mitis ingenii Princeps, jurique filebat suo, metu etiam circumstantium copiarum Austrialium persuasus, Ladislaum puerum Ulrici Ciliae Comitis potestati tradendum consensit, extra Viennam tamen tandiu servandum, quoadusque Viennae conventus Principum haberetur ad III. *Id. Novembris indictum. Ibi de tutela a Principibus decernendum. Ad hunc conventum destinati sunt a Pontifice Nicolaus Cusanus Card. tit. S. Petri ad Vincula, & AEneas Sylvius Senensis Episcopus. Hac occasione habita est oratio hic subdenda, cujus eventum ita describit AEneas ipse Hist. Bohem. cap.* 60. Praesidente Ladislao oratores Imperatoris, inter quos & ipsi fuimus, ita auditi sunt ut victi apud victorem. Frustra aequitas, frustra honestas in medium deducta. Cuncta ex arbitrio comitis (*Ciliae*) gerebantur, ipse pro rege verbum facere ac respondere, qui neque leges, neque pacta victorem obligare posse ajebat. Fridericum & jure simul & bello excidisse, armatis, ac fortibus jura favere. Postremò infectis rebus conventus dissolutus. *Haec gesta ann.* 1452.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO XI.

Habita Viennae pro auctoritate Romani Pontificis adversus Austriales Anno D. MCDLII.

Ex edit. Muratori cum MS. Cod. Lucensi collata ex quo dantur variantes.
(a) imminere



Entio, Reverendissimi Patres, Illustrissimi Principes, caeterique viri praestabiles, non leve pondus hodie meis humeris *me sumere* (a), quando in re maxima adversus plerosque potentes, & insignes Austriae proceres sum verba facturus. Verum quia res ipsa Sanctissimum Dominum nostrum Nicolaum Papam V. concernit, cujus apud has regiones, quamvis impar tanto muneri, oratoris officio fungor, necessarium est silentibus caeteris me consurgere. Indigne namque legati titulos & sanctum populis per saecula nomen assumpsissem, nisi mittentis dignitatem pro mea virili defenderem. *Sicut frigus*, inquit Sapiens, *in die messis, sic fidelis legatus ei qui misit illum, quoniam illius animam quiescere facit.* (Prov. XV. 16.) Exinde si malis aureis in lectis argenteis comparandus est, qui loquitur verbum in tempore suo; quis non verbis meis favebit, quae summi Sacerdotis & communis omnium Patris, & magistri causam tuebuntur? Blandior egomet mihi, nec sine felicitatis parte me judico, cui tantae majestatis est oblata defensio. Quamquam priscorum quempiam resurgere nunc ab inferis optarem, qui garrulam, non dico Austrialium, sed consultorum loquacitatem, & tantae praesumptionis audaciam solida, gravi, atque acri, ut olim mos fuit, oratione retunderet. Sed confutabimus nos pro captu nostro haec vasa terrea, sive lignea, quibus aut virgam ferream, aut incendium, nisi resipuerint, imminere non dubitamus; quando etsi sciunt melius esse pro veritate pati supplicium, quam pro adulatione referre beneficium, his tamen, qui dissidium in Austria fecerunt, magnosque motus excitarunt, & blandiri, & adu-

& adulari, & eorum malefacta tueri, & appellationes dictare, ac leges & canones in reprobum sensum exponere non erubescunt. Verum, sicut Apostolus Paulus accusatus apud Festum a Judaeis, beatum se existimabat, quia suam causam defensurus esset, Agrippa praesente, qui consuetudines nosset & quaestiones Judaeorum; sic & mihi beatitudinem quandam esse confido, quod pro summo Christianorum Patre apud vos audiar, qui leges & consuetudines Christianas non minus calletis, quam Judaicas Agrippa cognovit; qui cum doctrina praestatis, tum virtus ea vobis est, ut omnem valeatis iniquitatem irrumpere. Scio praeterea vos Apostolicae Sedi, veluti matri vestrae, cujus lacte nutriti estis, reverentiam gerere, progenitoresque vestros sacrum illud solium omni tempore veneratos fuisse. Neque abs re, quando omnium bonarum artium studia, omnemque disciplinam, & ipsam fidem catholicam Romanae virtutis ministerio Christus Dominus in partes occidentis, atque boreales effudit. Quibus ex rebus si quid diminutè, aut indoctè, aut ineptè fuerit a me dictum, id spero vestra supplebit caritas, doctrina corriget, benignitas tolerabit.

Caeterum quia tres sunt personarum qualitates, adversus quas nostra dicta videri possunt, consultores, actores, & is cujus causa res gestae dicuntur; expediens esse dijudico prius quam principale negotium attingo, quae sit vel domini mei, vel mea de hisce personis sive sententia, sive mens, in medium proferre. De consultoribus primum dicam. Hos ego qui fuerint nescio nominare; sed ajunt eos literatos esse, ac Doctores appellant. Mira res, si Doctores dicendi sunt qui dedocent! Majores nostri quatuor illos illustres, ac summos viros jam Coelum sublime tenentes Gregorium, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, idcirco Doctores appellaverunt, quoniam rectum vitae tramitem, & salubrem doctrinam solida, & vivaci ratione, non variis elenchis, aut sophisticis inventionibus docuerunt. Minime quidem magistri nomen meretur qui discipulum fallit. Ille doctor, ille magister est nominandus, cui sermo convenit evangelicus: *Magister, sci-* *Matt.* xxii. 16.

mus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam hominum. At nonnulli, quamvis sint animalia spurca atque probrosa, nomen tamen usurpant sanctissimum, & aut *Theologi* (*b*) dici volunt, aut jureconsulti. Quibus titulis simpliciores decipiunt, mala & impia eorum facta laudantes, quae vituperare debuerant. His *hominibus* (*c*), quantumcumque doctis, non potest aliud dicere Summus Pontifex, nisi quod minatur Ezechiel: *Vae*, dicens, *Qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universae aetatis*. Sunt enim assentatores, & animarum deceptores, qui peccata perpetrantibus adulantur. Vellet Apostolica Sedes hos *magnates* (*d*) quae didicerunt, in scholis pura, & aperta fronte docere. Quod si facerent, sanctum illum virum imitarentur, qui sicut mala de bonis non existimabat, ita judicare bona de malis recusabat, dicens: *absit a me ut justos vos judicem; donec deficiam, non recedam ab innocentia mea*. Nec plura modo de consultoribus: nunc in agentes sermo descendat. Hi sunt qui sumentes arma, divum Fredericum Caesarem ex administratione Ducatus Austriae pepulerunt. Horum est innumerosa multitudo. Certare tamen cum his tantum nos oportet, qui sunt in apostolico monitorio nominati. Nam Princeps illustris, & alto sanguine natus, magnoque vir ingenio, comes Ciliae, quamvis ductor campi primas belli partes gesserit, non tamen comminatorias, sed hortatorias ex Romano Pontifice literas accepit, ne se misceret Austrialibus ausis. Qua ratione non paruerit, non est meum nunc discutere. Nulla nobis cum eo lis est, neque sua magnificentia, sicut opinor, Apostolicae Sedi quicquam imputat; nisi fortasse juvare hos velit, quibuscum foedus habet. Sic de caeteris dicimus, qui ferentes arma contra Caesarem non habent in monitorio nomen. Nominati vero, quibus querela videtur (*e*), quidam clerici sunt, quidam laici; & clericorum quidam alii religiosi; alii, ut vulgi sermo est, saeculares. Fuerunt & actores novitatum clerici, & quamvis in castris non militarunt, subditos ta-

(*b*) Theologici

(*c*) omnibus

Ezech. XIII. 18.

(*d*) Magistros

Job. XXVII.

(*e*) videtur competere

tamen ſuos ire juſserunt. Negarunt obedientiam Caeſari, conciones tumultuarias adiverunt, adminiſtrationi ſe novae reipublicae miſcuerunt, nec mandatum Caeſaris, nec ſummi Pontificis juſſionem timuerunt. Quid ego de his mentibus a Deo rebellibus, duriſſimiſque cervicibus dicam? quae dum Sedis Apoſtolicae majeſtatem impugnant, laqueos ſibi nectunt, & foveam in quam ruant, ſuis manibus fodiunt. *Et quid agitis*, inquit Symmachus ad clericos Romanae dignitatis impugnatores: *de hac mihi per Prophetam dictum videtur: Si haec humilietur, ad cujus confugietis auxilium? Et ubi requiretis gloriam veſtram?* Verum *ne* (*f*) ſimplices clerici, ſed religioſi quoque adverſus Romanum praeſulem erigere cornua, & ſeditioſos gerere magiſtratus minime formidaverunt. At qui religioſi? nempe & Bernarditae, quos ſylvas, aut deſertas erêmi valles incolere vetus inſtitutio praecipit; & Chartuſienſes, qui ut divinae contemplationi ſecurius incumbant, neque praedicare verbum Dei, *neque confeſſiones audire* (*g*), neque miniſtrare populis Sacramenta conſueverunt. Nam & Abbatem Mellicenſem, quem nos altero anno benediximus, & Priorem Murbacenſem, ac Praepoſitum Noviburgi inter duodecim viros fuiſſe conſtat, penes quos belli & pacis apud Auſtriales libertas erat. O religioſi qui mundo mortui, & videri & eſſe vultis, quibus ſilentium Pythagoricum imperatur, qui conventus hominum veluti peſtes evitare jubemini, quibus extra ſepta prodire ſacrilegium eſt, qui dum celebratis divina, nunc lacrymamini, nunc ſuſpiratis? quo timor ille Dei receſſit? Quid vos nunc ingredi palatium, intereſſe rumoribus, ſedere pro tribunali, tributum exigere, vectigalia tollere, convocare militias, exercitus comparare ſummo Pontifice prohibente coëgit? *En animam & mentem cum qua Dii nocte loquuntur*. Haec ſi *unquam* (*h*) Sedes Apoſtolica prohibuiſſet, tamen quia contra Caeſarem injuſte agebantur, nec veſtrae religioni conveniebant; vitare ac fugere oportebat. Quanto magis poſtquam Chriſti Vicarius interdixerat? Sed timuiſtis, ne temporalia veſtra perirent. At *juſtum, & tenacem propoſiti virum*, non

Can. Aliorum 9. q. 3.

Iſa. x.

(*f*) non

(*g*) deeſt

(*h*) numquam

non civium ardor prava jubentium, *non vultus instantis tyranni mente quatit solida*. Sed neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent responsare cupidinibus, contemnere homines, fortem & in se ipso totum *terrentem* (i), atque rotundum, in quem manca ruit semper fortuna. Quid religiosi faciant, quorum professionem Stoica disciplina constat esse perfectiorem? Veros religiosos non aurum, non sedes, non amici, non proximi, non ullae res saeculares, non vitae dulcedo, non mortis metus ex sancto proposito possunt aut recto divellere tramite; quoniam opes, genus, spem, sedem, gratiam, dignitatem non heic in terris, sed in coelis invenire festinat. Ac tantum de clericis dixisse voluimus. Ad laicos propero, inter quos & insignes comites, & generosi barones, & magni nobiles, & potentes communitates adnumerantur. Hos ego & viros sine felle arbitror, boni & aequi amantes; sed deceptos consilio peritorum, qui conatus eorum justos, & apostolicam jussionem iniquam dicebant. Nesciverunt armati milites jura, nec quanta sit Imperatoris majestas norant, nec Romani Pontificis quanta sit auctoritas. Crediderunt quod docti suaserunt, quod clerici praedicarunt. Quis populus, errante clero, non errat? Et salvantur cum pastoribus greges & pereunt. Ea propter petit horum nobilitatem sanctitas Apostolica, ut quemadmodum vulneranti doctrinae praestitit aures, sic & medenti praebeat, ne suam salutem negligant, ne plus mendacio, quam veritati credant, ne putent malum bonum, & bonum malum, ne suadeant sibi mandatis apostolicis licitum esse adversari, ne glorientur in malitia, ne videri potentes iniquitate velint, ut recognoscant erratum, seque humilient, quia *melior est*, si Callisto (l) credimus, *in malis factis humilis confessio*, *quam in bonis superba gloriatio*. Ego autem cum his molliter agam, amicè, absque indignatione, sine ira, sine rigore. Oro me patienter audiant. Spero futurum ne poeniteat, neve taedeat eos meis verbis aures accommodasse. Sed transeo jam ad tertiam personam, cujus causa factam novitatem afferunt. Is est inclytus, atque omni favore dignus Hun-

(i) teretem

(l) si Callisto, si vero credimus *Can. Injustum* XI. q. 3.

Digitized by Google

Hungariae, atque Bohemiae Rex Ladislaus, quamvis puer ac pupillus, adhuc tamen optimae indolis, & sensu senior annis. Non est apud me dubium futuros esse nonnullos, qui me suae majestati deferant; nam si Austrialium facta reprobo, quibus rex idem extra manus receptus est Imperatoris, atque auctus, & magnificatus videtur; quis non me illi adversum infensumque dixerit, ejus fortunae & gloriae invidentem? At ego si vel re, vel animo hujus clarissimi Regis utilitati nocere quavis occasione praesumerem, nec Sanctissimo Domino Nostro placerem, neque verus servus essem, aut nuncius Apostolicae Sedis. Nam & si omnibus regibus Apostolica benignitas favet, huic tamen Principi mirum in modum afficitur, cum propter mores ejus optimos, tum quod eum ad magnam Christianae religionis exaltationem ex infinitis pene periculis in hunc usque diem autumat divina pietate servatum. Accedunt & Patris Alberti merita, qui malleus fuit haereticorum, & avi Sigismundi beneficia, qui divisam Ecclesiam apud Constantiam reddidit unioni. Multae sunt rationes, quae Sanctitatem Domini Nostri hujus pupilli Regis amantem efficiunt. Expertus est hoc *tempore* (m) nuper, dum Romae fuit: nam quibus affatibus, aut affectibus apud Papam exceptus est? Numquam ejus praesentiam frustra requisivit, nullas incassum preces effudit. Quotiens repulsas aliorum supplicationes reduxit ad gratiam? Quotiens & Cardinales & Principes de magnis rebus acturos inauditos Papa remisit, ut hunc puerum, quamvis regem, audiret? Falsus est, & ab omni veritate remotissimus, qui summum Pontificem inclyto Ladislao Regi non prosperitatem cupere, fortunamque optimam, judicat. Qui postquam Petri cathedram ascendit, & in Hungaria, & in Bohemia semper ejus statui, & firmitati consuluit; nunquam nocuit. Neque monitorium, quod adversantes criminantur, aut noxium, aut adversum erat suae serenitati, quemadmodum futurus sermo docebit. Nemo igitur Romanum tibi praesulem ex amante faciat odiosum. Multa tuae celsitudini & apud Hungaros & apud Bohemos imminebunt, quae Sedis Apostolicae praesidiis indi-

(m) ipse

indigebunt. Nunquid ei favores aberunt, si progenitorum vestigia sequens, matrem suam Ecclesiam, & Christi Vicarium condigna devotione coluerit? Ego vero, quamvis cinis sim, & pars vilissima luti, inutilis Christianus, indoctus presbyter, indignus Episcopus; tamen postquam vidi primum hunc Regem Ladislaum, semper ejus sublimitati, suae gloriae, suis fortunis (n) studui. Saepè in Hungariam pro eo, saepè in Bohemiam, saepe ad Romanam curiam literas dedi. *Praeceptoribus* (1) suis libellum scripsi, ac praeceptiones tradidi, quibus institui, formarique pueritia regis deberet, Quintiliani, ac Plutarchi doctrinam sequutus. Praetereo in conventu Bohemorum, & *apud Beneßiau* (2), in Roma, in Neapoli, in Norimberga, in Colonia, in Venetiis, pluribusque aliis locis quanta sum retroactis temporibus pro sua dignitate loquutus. Itaque non est cur me hodie quispiam contra suum bonum loqui praesumat. Sed ago suam causam, ipsum juvo, ipsum laudo, ipsum magnifico, sibi faveo, sibi consulo, dum Sedis Apostolicae magnitudinem, eminentiam, excellentiamque defendo; quod & ipse postquam magis sapiet, verum fatebitur, & vos ex illis quae mox subjiciam plenius intelligetis. Nunc jam tempus expetit ad ea quae Romano Pontifici nostri adversantes objectant descendere, atque in campo consertis manibus cominus decertare.

(n) fortunis, suis regnis studui

Tria sunt, si recte capio, quae jaciunt adversantes praecipua tela, tria sunt objectionis capita. Audivistis quae dixerunt. Rem, ajunt, absonam, indignam, inauditam, ausum esse Dominum nostrum qui saeculare negotium, mundiale, profanum, foroque suo minime pertinens attigerit, qui juste procedentes Austriales pro salute domini sui conatus fuerit impedire, poenale monitorium, indignum, impium ad eos mittens. Qui praelatos magnos nobilesque barones indefensos, inauditos censuris horribilibus irretivit. Quidquid ex adverso dictum est his paucis continetur. Plurima blaterant adversantes; sed omnis querelae jus in haec tria revolvitur. Quaero hic, priusquam objecta repello, monitorium Apostolicum, quod tantopere damnant, Austrialibus insinuatumne sit, an non?

non? Nam si non est insinuatum, non est quod accusare Pontificem queant; nihil enim his nocuit, & revocata videtur esse praeceptio, cujus negligitur exequutio. Si vero moniti sunt Austriales, aut per eos factum est, ne moneri possent, longe melius absolutionem peterent quam monitorium accusarent. Non est scelere velandum scelus. Sicut aequum, atque iniquum Regis imperium ferre, sic pastoris & justam atque injustam timere, ac tueri sententiam oportet. *Numquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea*, queritur (o) Propheta, *aut exaltabitur serra contra eum qui trahit eam?* Sed rejiciamus objecta demum. Tria sunt, ut diximus, quae adversarii culpant, tria quoque responsionis nostrae membra constituemus. In primo monstrabimus rem, de qua moniti sunt Austriales, ad Papae judicium pertinuisse. In secundo probabimus nec juste processisse adversus Imperatorem Austriales, neque Ladislai Regis utiliter gessisse negotium. In tertio docebimus monitionem Apostolicam & legibus consonasse & canonibus, explosis & confutatis ex adverso quaecumque dicuntur. Post haec de appellationibus interpositis, deque pertinaci resistentia facta nonnihil dicemus. Loco postremo quae sit in rebus his sanctissimi Domini nostri mens, quodque propositum, explicabimus; atque his membris quinque tota nostra claudetur oratio. Ac jam primum aggredior membrum. Res temporalis erat, inquiunt adversarii, super qua monitorium missum est, de tutela pupilli Principis agebatur, de gubernatione Ducatus Austriae, de promissionibus & obligationibus inter laicos agitatis. Romani Pontificis est praedicare verbum Dei, clerum instruere, Sacramenta conficere, ecclesiastica beneficia conferre, spirituales causas agitare, tueri fidem, extirpare haereses, mores plantare bonos. Si quid ulterius quaerit, secularibus judicibus, Ducibus, Regibus, Imperatoribus est injurius. Duo sunt enim, quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas, suntque actibus propriis, & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discreta. Nihil Romanam Sedem magis decet, quam

suum

(o) querit

suum cuique jus illaesum servare; si Cypriano, si Gelasio, si Nicolao volumus, aut Gregorio fidem praebere. Spiritualia curet Pontifex, temporalia Principibus saeculi permittat. Quod si de regnis agere, saecularibusque dominiis *coepit* (p), non audiemus ejus vocem, non parebimus suis legibus. Quid nobis & Papae? Quid Austrialibus & Apostolicae Sedi? Quid populo & clero? Graves sunt horum voces, impiae, periculosae, funestae. Quid de his dicant orbis terrarum illa luminaria, quae majestatem Apostolicae Sedis circumstantia mundum illustrant; *quorum doctrina fulget Ecclesia, ut Sol & Luna?* Majora illis debentur pro testamento Christi, & Romani culminis auctoritate certamina. Hanc pugnam nostrae vires expedient; nam quod Romanus Pontifex egit & justitiam praesefert, & justitiae consentaneum esse vel pueri possunt agnoscere. Ob quam rem monstro simile mihi videtur in hac Urbe Viennensi, quam vetus schola doctrinae domicilium fecit, aliquos inventos esse, qui Romanae Sedis eminentiam impugnare praesumpserint. Namque ut Leonis magni verbis utamur, *Christi petrae sanctissimam firmitatem, Domino, ut diximus, aedificante, constructam, nimis impia vult praesumtione violare, quisquis ejus potestatem tentat infringere.* Sed necessarium est Romanam Sedem in morem navis plurimas pati procellas. Multi sunt venti contra eam flantes. Alios repulsa cathedrarum excitat, alios pecunia commovet, alios metus, alios preces elevant. Sed jactatur Petri navicula tempestate, non mergitur; concutitur, non quassatur; impetitur, non expugnatur, quia portae inferi non praevalent adversus eam. Quibus ex rebus monemus adversarios, ne sacros canones parvi faciant, ne Romanae Sedis decreta contemnant. *Qui vos spernit*, ait in Evangelio Dominus, *me spernit. Nulli fas est*, inquit Gregorius, *vel velle, vel posse transgredi Apostolicae Sedis praecepta.* Et Agatho cunctis Episcopis scribit: *Sic omnes Apostolicae Sedis sanctiones accipiendae sunt, tanquam divina Petri voce firmatae.* Denique perpetuo anathemate damnari & cum impiis reputari, qui non resurgunt in judicio, atque omni-

(p) coeperit

Can. Ita Dominus 7. Dist. 19.

Can. Nulli 5. Dist. 19.

Can. Sic omnes 2. Dist. 19.

omnipotentis Dei contra se iram sentire debent, qui Romanam Ecclesiam confundere praesumunt, ut fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Legimus in Deuteronomio: *Judicium inter sanguinem & sanguinem, lepram & lepram, causam & causam*, ad summum Sacerdotem esse remissum. Quis hic est, qui saecularia subtrahit Apostolico culmini? Nunquid translato Sacerdotio, legis quoque translatio facta est? Apud Isaiam inquit Dominus: *Ego te constitui super gentes & regna, ut dissipes, aedifices, & plantes*. Quis veteris testamenti Pontifice, novae legis antistitem dixerit esse minorem? *Nescitis*, inquit ad Corinthios Paulus, *quoniam Angelos judicabimus; quanto magis saecularia?* Si Christiano censeri nomine, si Dominici gregis oves appellari, si salvi esse volumus, Salvatoris Christi Vicarium venerari, suisque obtemperare praeceptis oportet; quem tum Dominus elegit, cum Pastorem sui gregis Petrum constituit, dicens: *Pasce oves meas*: Et iterum: *tibi dabo claves regni Coelorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Coelis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in coelis*. Non enim hoc aut illud Salvator Dominus Petro commisit; sed quodlibet negotium sine limitatione mandavit. Ex qua re moti veteres sanctique Patres Romanam Ecclesiam Beatorum Petri, & Pauli martyrio consecratam in orbe toto venerabilem praecipuamque sanxerunt. Nec dubium est, quin illi, quidquid ubique fidelium est, commissum videatur, quae totius corporis caput esse designatur. Talibus igitur institutis, talibusque fulti auctoritatibus plerique Pontificum, alii Reges, alii Imperatores excommunicaverunt. Et si speciale requiritur de Principum personis exemplum, B. Papa Innocentius Arcadium Imperatorem percussit anathemate, qui ut Joannes Chrysostomus a sua pelleretur sede, consensit. Zacharias Regem Francorum, non tam pro suis iniquitatibus, quam pro eo quod tantae potestati erat inutilis, a regno deposuit, ac Pipinum Caroli Magni patrem ejus loco suffecit. Romanum Imperium, quod apud Graecos in Oriente sedebat, Stephanus Pontifex,

Deut. XVII. 8.

Isa. Jerem. I. 10.

Mat. XVI. 19.

ſive is Adrianus fuit, in Occidentem tranſtulit ad Germanos, cum rogati adverſus Longobardos Graeci non mitterent auxilia. Et Leo quidem Germanorum primum Imperatorem Carolum, ſi Ottoni credimus hiſtorico, coronavit. Gregorius ſeptimus Henricum III. Imperatorem excommunicationis vinculo innodavit, quod accuſatus a Saxonibus de Simonia, ſatisfacere contemnebat, adverſus quem filius ſuſcepit Imperium. Sed hic quoque dum inveſtituram Epiſcoporum, invito Sacerdotio, vult retinere, a Calliſto II. excommunicatus eſt, quamvis poſtea ſatisfaciens abſolvi meruit. Quid de Frederico II? Quid de Ottone IV.? Quid de Manfredo Imperatoris Frederici filio? Quid de Corradino dicam? Longum enumerare fiat, quot Principes, dum ſuperbire voluerunt, ex alto faſtigio Romana Sedes excuſſerit. Illud ad rem noſtram accommodatum exemplum nequeo praeterire. Poſt Henricum IV. Lotharius Saxo ad Imperium vocatus eſt, adverſus quem cum Fredericus & Corradus magnanimi juvenes arma moviſſent, quia genus Henrici, cujus ſorores matrimonio ſibi aſſumpſerant, humiliare atque opprimere videbatur, ab Honorio Papa ſunt excommunicati; nec prius abſolutionis beneficium obtinere quam Caeſaris gratiam potuerunt. Quid mirum ſi Auſtriales aliquos ſuo Principi inſultantes Nicolaus Pontifex admonet? B. Ambroſius, licet ſanctus, non tamen univerſalis Eccleſiae Epiſcopus, pro culpa, quae aliis Sacerdotibus non adeo gravis videbatur, Theodoſium magnum Imperatorem excommunicans ab Eccleſia excluſit. Advertant igitur caveantque *viri* (q) doctores, qui Romano Pontifici de rebus ſaecularibus adimunt poteſtatem. Quia *quiſquis*, ut ajunt canones, *cujuslibet Eccleſiae jus ſuum detrahit*, *injuſtitiam facit*. Qui autem Romanae Eccleſiae privilegium ab ipſo ſummo omnium Eccleſiarum capite traditum auferre conatur, hic proculdubio in haereſim labitur; & cum ille notetur injuſtus, hic eſt dicendus haereticus. Non *autem* (r) ut adverſarii delirant, de rebus dumtaxat ſpiritualibus Romanae Sedis arbitrium eſt, cui Dominus in Evangelio de re quacumque tribuit poteſtatem. Qui B. Petro, aeter-

(q) veſtri

Can. Omnes 1. *Diſt.* 22.

(r) enim

aeternae vitae clavigero, terreni simul & coelestis imperii jura commisit. Quod Petro, hoc & successoribus ejus Romanae Sedis antistitibus. Verum, ut ad ea respondeamus, quae de Gelasio, Cypriano, Nicolao, atque Gregorio sunt opposita, quibus illi affirmare videntur nec Imperatorem jura Pontificatus arripere, nec Pontificem nomen Imperatoris usurpare debere; dicimus cum Innocentio III. quia non passim & absque causa, sed aliquando & cum causa temporalem jurisdictionem Pontifex Romanus exercet, & saecularia judicat. Quotiens enim alius deest, qui vel possit, vel audeat saecularia judicare; quotiens res temporalis manifesto crimine ducitur & offenditur divina majestas, nec saeculares obviant judices; quotiens justitia denegatur, licet Romano Pontifici manus apponere, quoniam praesulatus sui magisterium non solum de Sacerdotum, sed etiam de saecularium utilitatibus debet esse solicitum. Sic & in Hungaria saepe lites de Regno Romano Pontificis arbitrio sunt sopitae. Sic & Franciae contentiones extinctae; sic & in Regno Portugalliae Regi dissipatori per Romanum Pontificem coadiutor datus; sic & aliarum provinciarum dissidia terminata; quae superiorem in temporalibus non admittunt. Sic ad saeculares dignitates Romana sublimitas saepe laicos ex adulterio genitos *ad legitima jura reduxit* (3). Sic & imperio vacante vices aliquando supplevit Imperatoris. Quid nunc in casu nostro dicamus? Arripuerunt arma nonnulli ex Austria, Ducatus regimen, quod Imperator obtinuerat, invaserunt, judices, quos ille constituerat, excluserunt, putaverunt se jure uti suo. Contra Caesar offensum se dicit. Quis hic judex? Quis litis decisor erit? Non Bohemus aut Hungarus; nihil ad hos Austriae negotia pertinent. Non Suevus, non Bavarus, non Electores Imperii; nullus heic regum judicium hoc jure suscipiet. Omnes Imperatore minores sunt. Quis igitur in tali negotio, nisi Romanus Praesul legitimè judicabit? Qui communis est omnium Pater, Ecclesiae caput, magister fidei, dux veritatis, Christi Vicarius, Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, constitutus a Deo judex

vivorum, & mortuorum. Advertant igitur Auſtriales, neque his credant, qui cenſuram Eccleſiae parvipendunt, qui Romani Pontificis auctoritatem extenuant, qui Vicarium Chriſti contemnunt, nolentes intelligere ut bona agant. Nos qui talia ſuadent, filios perditionis aſſerimus, Diabolo & Angelis ejus, ac perpetuo gehennae mancipio lucrifactos, quibus dum ajunt: quid nobis & Papae? quid clero & populo? dicimus rurſus ad eos: quid vobis & veritati? quid vobis & Evangelio? quid vobis & Chriſto? quid vobis & coelo? Nec miſceri lux tenebris poteſt, nec Belial Deo. Nec plura de primo membro, in quo ſatis expreſſum eſſe confidimus hoc Auſtriale judicium ad primae ſedis examen pertinuiſſe, a cujus praeceptis nemini licet deviare.

Tranſibo nunc ad ſecundi membri diſcuſſionem. Quid eſt quod ſecundo loco adverſantes obiiciunt? Et ſi latiſſimum eſt, inquiunt, Romani Sacerdotis officium, non tamen ejus eſt iniqua praecipere. *Poteſtatem Eccleſia*, ſicut Apoſtolus affirmat, *in aedificationem accepit, non in deſtructionem.* At monitorio Nicolai nihil quicquam injuſtius dici poteſt, quo nobiles Auſtriae pro ſuo naturali domino decertantes, juſtum relinquere bellum jubentur. *Noli prohibere benefacere eum qui poteſt*, admonet ſcripturae auctoritas, *ſi vales, & ipſe benefacito.* Heic ego pauciſſimis verbis ſatisfacere poſſum. Non inficior Apoſtolicam Sedem, quae juſta ſunt praecipere, non quae iniqua, debere; ſed ajo nihil injuſtum praeceptum eſſe. Cumque proponunt adverſarii juſtam fuiſſe Auſtrialium cauſam, non audio unam ſolum partem, utrique aures porrigo. Negat Imperator, quod Auſtriales ajunt. Fit negatione res dubia. Satis eſt hoc Romano Pontifici, ut cauſae cognitionem recipiat. Nihil eſt heic quod refutari poſſit. Ingrediamur tamen hoc pelagus, expendamus Auſtrialium cauſam, ſi quemadmodum aſſerunt, aequitatem, honeſtatemque fovent. Exponenda eſt facti ſeries, ſic jus facillime veſtigabimus. Audite, benignas aures praebete. Rem geſtam brevi ſermone praetexam. Undecim, aut eo amplius, annis Imperator Fredericus, tanquam pupilli tutor Ladislai Au-

2. Cor. x. 8.

Prov. III. 27.

Austriam gubernavit. Omnes sibi indigenae obedientiam promiserant; nonnulli & juraverant, donec pubertatis annos Ladislaus impleret. Sic pacificus Austriae Ducatum Fredericus administrabat. At cum anno proxime decurso animus ei esset Romam petere, imperiales ut infulas more majorum ex manu Summi Pontificis assumeret, deque salute communi Christianae religionis, & infidelium oppugnatione cum Christi Vicario tractaret; jamque Gubernatores, qui se absente Austriam regerent, consentientibus indigenis ordinasset, seque itineri commisisset; nonnulli ex Austria, Duce Ulrico Heyzingher, non multi numero, neque majores, trans Danubium convenientes immutare regimen Austriae statuerunt. Legatos ad Caesarem in Novam civitatem miserunt, qui dicerent se, cum de privatis rebus acturi convenissent, etiam de suo domino Ladislao Rege cogitasse, bonumque sibi visum fuisse, ut is ad dominia sua mitteretur & maxime ad oppidum Viennense; *in quo* (s) circa gubernationem ejus id servaretur, quod in ultima voluntate pater Albertus statuisset, atque haec a Caesare peterent. Quibus cum Caesar respondisset, Romam se propediem petiturum, neque vacare sibi de illa re tunc agere; sed velle cum rediret, conventum habere indigenarum ac Principum, qui sibi & Ladislao sanguine proximarent, in negotio tutelae patruelis sui facturum, quod illi consulerent; mox furore incensi apud Viennam convenerunt, tractisque non aegre in suam sententiam civibus & aliis pluribus, Caesari in itinere versus Urbem constituro, nolle se deinceps sibi, ut tutori parere scripserunt; ac paulo post obedientiam eidem subtraxerunt, Hungaros, ac Moravos in societatem vocaverunt. Magnum & clarum Principem Ulricum comitem Ciliae (t) *praesidentem*, Ulricum Heyzingherum, qui novitatis auctor fuerat, non infimum Baronem, Capitaneum creaverunt, magistratus, quos Caesar ordinaverat, ejecerunt, novosque suffecerunt, vectigalia exegerunt, judicia exercuerunt, universum Austriae regimen in se receperunt; nobiles, qui fidem servare, & in obedientia Caesaris perseverare voluerunt, viribus

atque

(s) quodque

(t) Praecedentem

Digitized by Google

atque armis oppresserunt. Hoc est quod factum nos dicimus, & adversantes negare non possunt. Sed licuisse hoc Austrialibus astruunt, idque ita deducunt. Ajunt, Alberto mortuo, qui fuit Ladislai pater, compertum esse testamentum ejus, in quo puerum, qui post se posthumus nasceretur, in arce Posonii tenendum, virisque octo gubernandum mandavit, quorum duos Hungaros, duos Bohemos, duos Austriales, duos Moravos esse voluit. Hisque tum regnorum, ac dominiorum, tum pupilli curam commisit. Nato autem Ladislao, atque in Alba regali coronato, Reginam Elisabeth, ejus matrem, in cujus potestate pupillus erat, divo Frederico Romanorum Regi puerum transmisisse; Fredericum vero, illo suscepto, administrationem Ducatus Austriae tutorio nomine petivisse; consensisse Barones & incolas Austriae, fidemque sibi tanquam tutori dedisse. Contraque Fredericum literas his tradidisse, quibus certo modo promisit Austriam gubernare; id ni servaret, neque ratam esse promissam fidem, neque juramenta tenere. Fredericum etsi diu rexerit, non tamen servasse quae promiserat, alienasse bona Ducatus, non usum esse consilio Baronum Austriae, pupillum non bene instruxisse, neque ut par fuisset, Regis filium gubernasse. Convenisse ob eam rem plerosque Austriales, scripsisse Majestati Caesareae, quia nollent ejus gubernationem diutius ferre; suum Principem, suum dominum petivisse. Velle se testamento parere, quod Albertus reliquisset; indignum esse coronatum Regem tutoris arbitrio vivere. Noluisse petitionibus auscultare Caesarem. Compulsos, qui Ladislai rebus studebant, quod precibus assequi non valebant, armis exquirere. Quis Austrialium causam non probaverit? Quis eos non bene fecisse dixerit, qui non suo tantum, sed domini quoque sui jure sunt usi? Iniquum ergo monitorium Papae, quod justos impedire homines nitebatur. Arbitror non esse paucos, qui rationibus hisce moveantur. At cum partis alterius in medium vox sonuerit, intelligent, qui ratione non apperitu ducuntur, quibus nec amor, nec odium dominatur, boni amantes & aequi, neque justè,

ne-

Digitized by Google

neque utiliter ab Austrialibus esse processum. Quod ut palam fiat, articulatim respondere oportet. Quatuor sunt, quae justitiam Austrialium videntur arguere, testamentum, pactum, utilitas domini, dignitas regis. De testamento ratiocinemur primum. Magna vis testamenti est. Servanda est suprema patris voluntas. At quamvis testamenta Principis liberiora, quam privatorum sint, nec juris solemnia quaevis desiderent; sic tamen edi, producique debent, ut fidem faciant. Verum Alberti testamentum neque probatum est unquam, neque productum. Incassum allegatur, quod non docetur. Quod si verum testamentum fuisset, non tamen Austriales ejus adminiculo juvari possent, a cujus observantia sponte recesserunt. Muliebre vitium est nunc velle, nunc nolle, dictum indictum facere. Viros omnis inconstantia dedecet. Multa insuper illis temporibus emersere, propter quae, etiamsi validum testamentum fuisset, nec debuit, nec potuit observari. Hungari (sive jure, sive injuria non recipio hujus ad me facti judicium) ex Polonia novum sibi Regem accersiverant, atque in Hungariam deductum coronaverant. Arcem Possonii, ubi servari pupillus ex testamento debuit, adjutores novi Regis occupabant. Qualis illic securitas pupilli fuisset, ubi hostes dominabantur? Quis pupilli personam Hungaris committendam suasisset, quorum pars major adversanti Regi studebat? Bohemi cum audissent hujus Alberti voluntatis mentionem fieri, deliramentum magis, quum testamentum esse dixerunt, in quo Moravos sibi aequatos audiebant, quos subditorum numero habent. Restabant soli Moravi & Austriales, qui testamenti poterant amantes videri, quando & Hungari novum Regem eligentes, & Bohemi ordinationem ejus damnantes illud rejecerant. Quis verò tantum Regem solis Moravis & Austrialibus commisisset? Actum erat de puero, nisi in manus imperatorias incidisset. Sed neque Austriales, ut ante diximus, neque Moravi ante hoc dissensionis tempus in eo testamento fixi fuerunt. Constabat insuper id testamentum quantum ad gubernationem Austriae Ducatus, de qua re nunc vertitur quae-

stio,

ſtio, adverſus conſuetudines priſcas & jura patriae factum; quae pupillos Principes ſub tutela ſeniorum eſſe volunt. His Albertus, neque uti Dux Auſtriae, neque uti Rex Hungariae aut Bohemiae potuit derogare.

At erat, fortaſſe quiſpiam ait, Romanorum Rex, licuitque ſibi ex cauſa (u) conſuetudini detrahere. Id ſi quis aſtruat, non papyreis cedulis, aut teſtibus ruſticanis, ſed authenticis literis, & ſigillis probandum erit. Addam poſtremo, quemadmodum ex cauſa fas fuit Alberto Auſtriae jus evertere; ſic & Frederico poteſtas fuit, ſuadente atque urgente ratione, teſtatoris voluntatem infringere, jam Romanorum Regi declarato. Cum ergo teſtamenti probatio ſit anceps, atque incerta; cum Auſtriales ab eo receſſerint; cum rebus mutatis nequiverit obſervari teſtamentum; cum Bohemi, atque Hungari nihil in eo momenti poſuerint; cum Auſtriae conſuetudinibus ac Principum juribus eſſet adverſum: nihil eſt quod Auſtrialibus teſtamenti nominatio ſuffragetur. Qua confutata, dicere de pactis occurrit. Literas, inquiunt Auſtriales, dediſſe Caeſarem ſibi, quibus ſancitum eſt, niſi certo modo ſua majeſtas Auſtriam gubernaret, promiſſiones, quas ipſi praeſtitiſſent, invalidas, atque inanes reddi. Fateamur ita eſſe, ut referunt, nam veri periculum mihi non arrogo. Sit tamen ita. Quid tum? Servari promiſſum oportuit. Non nego. Studioſe agendum eſt, ut ea quae promittuntur, opere compleantur. Nutare Principis verba non decet. Verum ſi additur pacto, niſi Romam iveris, decem dato; non eſt promiſſi reus, qui domi manens decem dedit. Hoc eſt quod volumus, dicent illi. Non rexit, ut promiſit Imperator. Soluti ergo ab his ſumus quae promiſimus ſibi. Si pacto cavetur, obligantur & Principes, dum paciſcuntur. Si actum eſt, ut narrant, quidni ruant promiſſiones? At ſi promiſſo non ſumus obnoxii, dicent: ergo liberi ſumus, neque parere Imperatori tenemur. Recte igitur jugum ejus excuſſimus. Verum ego, quamvis promiſſiones extinctas judico, non tamen idcirco liberos Auſtriales affirmo. Pactiones, quoniam ſtricto jure cenſentur, nil agunt, nil obligant extra caſum,

(u) Ex cauſa ea vice conſuetudini, &c.

sum, in quo loquuntur. Exponamus rem ut gesta est: dum pacta percussa sunt, de quibus agitur, petebat Fredericus administrationem Ducatus Austriae, quae sibi jure tutelae debebatur. Negabant Austriales. Convenere utrique; cessit petenti gubernatio. Fateamur non esse gubernatum ex promisso, quamvis & haec postea refellemus. Quas pacto vires praebebimus? Nunquid propterea adeo liberos Austriales praedicabimus, ut nihil Caesari debeant? minime. Sed absolutos ab his quae promiserunt, ne conveniri ex pacto valeant, non erit absurdum fateri. Quidquid in pactum dictum est, tollitur. Promiserunt; non tenentur ex promisso. Juraverunt; non ligantur ex juramento. Praestiterunt fidem; ruit illa fides. Quid amplius? Ergo nihil Caesari debebunt? Non ita, inquam. Sed redibimus ad priores terminos, eritque Fredericus, ac si nihil Austriales promisissent. Nec propterea gubernationem Ducatus amittere debuit, quia soluta promissio fuit. Restabant enim & aliae obligationes, quibus retineri usque ad pubertatem pupilli Austriale regimen poterat. Erat jus civile, quod pupillorum tutelam proximioribus mandat. Erat jus patriae consuetudinis, quod pupillum Principem seniori domus committit. Erat jus Sacri Imperii, cujus advocatus postea Fredericus fuerat, cujus vigore gubernare Austriam, Ladislaum regere, nulli magis quam sibi licebat. Austriales ergo, qui multis erant Imperatori vinculis obligati, quamvis unum amputavissent, non tamen obedientiam subtrahere debuerunt, quae nexibus aliis tenebatur obnoxia. Evertimus, sicut arbitror, adversantium fundamenta, quae super literis pacti jecerunt. *Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum.* **Ps. lxxxx.8**

Addemus tamen & alia contra pactiones, neque locum his ullum relinquemus. Administrationem cum Fredericus Austriae suscepit, cum communitate regionis *suae* (x) & universitate contraxit. Non cum duobus aut tribus res peracta; res universitatis agebatur, non paucorum. Si quid adversus contractum dicendum erat, universitatis, aut majoris, vel sanioris partis reclamatio **(x) sive**

fuit, non duorum aut trium sive minoris partis. At eo tempore quo reclamatio coepta est, Ulricus Ayzingher, & pauci cum eo fuerunt, qui trans Danubium convenere. Pars major & sanior, cujus erat de Republica consilium, cum Frederico sentiebat. Paucos, qui sequebantur Ulricum, universitatis abrumpere promissa non decuit. Nam si se liberos, nullisque Caesari promissionibus obnoxios dicere voluerint, angariare caeteros, quibus servanda fides videbatur, & universam invadere Rempublicam nemo sapiens paucorum ambitioni permiserit. Quod si major pars conquesta fuisset, aut auscultasset ei Caesar, aut illi dixisset: si non teneris pacto, aut jure patriae; jure civili, jure imperii teneris. Quid plura? Aperiamus tandem quaenam sint ea pacta, quibusve modis inita, quae superbos adversarios reddunt. Dicam brevissime. Principatus Austriae cum regimen Imperator accepit, viros duodecim assumere promisit ex primoribus Austriae, quorum consilio Ducatum regeret. Nisi hoc impleret, irritas esse promissiones Austrialium, quibus obedientiam praestitissent; neque data illos fide, aut juramentis teneri. Elegit illos Caesar duodecim viros qui gubernatores dicti sunt. At hi, cum aliquandiu gubernassent, postea tamen suopte ingenio magistratu se abdicaverunt. Tunc ex consensu indigenarum mutata est facies Reipublicae; quatuor & viginti gubernatoribus constitutis, quorum consiliis Austriam Caesar administraret. Sed neque pactiones ullae, neque promissiones adhibitae sunt. Rursus & hi post tempus gubernationem resignantes, vacuam Rempublicam dimiserunt. Quod Fredericus animadvertens, sine quovis pacto, assentiente communitate, gubernationem solus iniit Sic res acta est. Quis modo non intelligat veritatem? Ordinatur gubernatio Reipublicae certo modo; pacta intercidunt, mutatur forma regiminis & semel & iterum, neque pacta repetuntur: Quis non putaverit ab illis esse recessum? Quid amplius? Annis undecim Fredericus solus Austriam gubernavit, non tamen sine consilio indigenarum. Obediverunt omnes, fidem servarunt, nemo se opposuit, nemo contradixit; nemo testamentum Alber-

Digitized by Google

berti in medium adduxit (*y*). Unde ista post tantum temporis novitas? Contra dominum arma tulerunt. Qui etsi promisso, ut arbitrabantur, non erant amplius obligati; non tamen universitatis majorem partem faciebant. Nec erant adversus Austriae consuetudinem liberi, neque a civilibus legibus exemti, neque ab imperii jugo subtracti; sed Frederico, ut Austriae Duci honorem, ut tutori pupilli obedientiam, ut Imperatori reverentiam & subjectionem debebant. Quas res neque literis neque pacto sublatas monstrari potest. Sic adversantium duo, quae maxima rebantur esse, fundamenta *dirupta* (z) sunt. Modo tertium evertamus, in quo Domini utilitatem adducunt, & Austriales arma sumentes Domini causas adjuvisse contendunt. Audite heic Hungari, obsecro, atque Bohemi; non heic vobiscum disceptamus, neque (*aa*) *regiombus* vestris. Nulla vos judicantes corrumpet affectio. De Domino facta est mentio; dominum suum Ladislaum Regem Austriales appellant. Recte, pulchre, vere; nemo inficias ibit. Verum ego duos esse temporales Dominos Austrialibus assero; alterum Imperatorem, alterum Ladislaum, atque hunc non tanquam Regem, sed tanquam Ducem. Legat historias, qui mihi non credit. Nolo vetustiora referre: si quaeramus Ladislao quis Austriae Principatum commiserit, ex successione dicent Principem esse. Quod si progenitorum progenitoribus, unde sit haec potestas investigemus, necessarium erit tandem ab imperio fateantur esse Ducatum. Non est admodum vetus, quod referam. Tenuerunt Caesares hujus provinciae dominium, & hanc terram Ducatus titulo donaverunt. Imperante autem Frederico II. Albertus Austriae Dux adversus Hungaros pugnans juxta fluvium Lytham, a suis occisus, cum non reliquisset haeredem, locum devolutioni Ducatus fecit, quem Fredericus, quoad vixit, per vicarios administravit. Eo mortuo variis casibus vexata provincia in potestatem Ottokari Bohemorum Regis dilapsa est; ac demum virtute Rodulfi Romanorum Principis ad Imperium rediit. Qui & Viennam obsidione cinctam ad deditionem compulit, & Ottokaro magno praelio vi-

(y) Adduxit. Nemo se absolutum promissionibus dixit; nemo literas pactionum induxit. Unde, &c.

(z) diruta

(aa) de regnis vestris

 cto,

cto, & provinciam & vitam ademit. Nec diu post in conventu principum apud Augustam Vindelicam Albertum filium huic regioni (bb) praefecit. Ab illo continuata successio est usque ad Ladislaum nostrum. Albertus in feudum ex patre Romanorum rege suscepit Austriam. Ab Imperio igitur Austriae Principatus est. At Princeps, & Dominus Austriae Ladislaus est. Concedo; ea tamen lege, ut sibi & Dominum & Principem Fredericum noverit; & quam exigit a subditis obedientiam, eamdem ipse praestet Imperatori. Nam etsi utile in eum transfusum est; directum tamen Austriae dominium penes imperium (cc) *erit*. Caveant igitur fautores Ladislai quid praedicent, ne dum uni se putant consulere suo domino, cum duos habeant, aut alterum offendant, aut utrumque, quando & Duci, & Imperatori subsunt. Quod si percunctetur aliquis utri parendum sit, si alter alteri adversetur; nemo qui perturbato sensu non fuerit, Duci primas dabit. Recta ratio Caesarem praefert. Durior hic sermo fortasse videtur. At agnita ratione mitior fiet. Mandat Austriae Dux omnes qui ferre arma possunt in bellum eant. Baro, qui feudum a Duce recepit, prohibet suos homines ne arma capessant. Quis non Ducis mandata praetulerit? At quod Duci baro, hoc Imperatori Dux erit. Indigne superiorem contemnit, qui vult ab inferioribus honorari. Quod si quis desitum, & aliam inolevisse consuetudinem affirmaverit, respondebo cum Cypriano, consuetudinem ratione carentem erroris esse, non juris vetustatem. Non prava consuetudo, sed honesta consideratio ducere homines debebit. Indignum, absurdum, sceleratum est quos tibi commendaverim populos, eos te mihi praeferre, tuique causa adversus me militare, quos meo nomine regis, ac si filius jubente pedagogo manus iniiciat patri, aut Episcopo mandante ferrum stringat in Papam clericus. Parum fortasse ponderis nostris inesse verbis videtur, sed cedant Apostolorum Principi, qui nostris dictis arrogant fidem. *Estote*, inquit in Epistolis Petrus, *subjecti Dominis vestris, sive Regi tanquam praecellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis*. Alia est obedientia

quae

(bb) ducem

(cc) haeret

Can. Consuetudo 8. Dist. VIII.

1. Petr. II. 13.

quae Regi, alia quae Duci debetur. Qui Duci contra Regem obedit, Apostolici praecepti fit reus. Non enim Duci ut a Rege, sed contra Regem misso parere convincitur. *Non est potestas*, scribit ad Romanos Paulus, *nisi a Deo*. Quae autem sunt a Deo ordinata sunt. Ordinem igitur habere humanas potestates oportet. *Excelso*, inquit Ecclesiastes, *excelsior est*. *Major potestas*, ut in confessionum libris tradit Augustinus, *minori ad obediendum praefertur*. Probe Rusticus apud Maronem. *Tu major. Tibi me aequum est parere Menalcha*. Denique super illud Apostoli. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*; quaerit Augustinus, an procuratori provinciae resistere fas sit; & asserit resistendum si contra proconsulem jubet, quia non potestas contemnitur, sed major ad obediendum eligitur. Nec debet minor irasci, si major praelatus est. Rursus si aliud proconsul, aliud jubeat Imperator, praeferenda Imperatoris mandata confirmat. Quod de proconsule, idem censere de Duce oportet. Quem si quis Imperatori subditum nescit, jurisjurandi formam inspiciat, quod Romanorum Regi sive Caesari universi Principes Imperii praestare jubentur. Qui se scit aliis esse praepositum, non moleste ferat alium sibi esse praelatum. Sic societatis humanae servantur foedera. Sic dulcedine pacis & civitates & provinciae, regnaque potiuntur. Nolo id nunc introducere, quamvis est & ad propositum & notissimum: Imperatorem posse Ducatum sibi subjectum aut extinguere, aut in alterum transferre, aut apud se retinere, si vel causa deposcit, vel culpa requirit. Id nobis probasse sufficit, quia Dominus est Austrialium Fredericus Imperator; quodque mandatum (*dd*) novatoris praecepto. At hujus *dominii* (*ee*) causam certum est Austriales nequaquam egisse. Cum dico Austriales, eos intelligo, qui Caesarem impugnaverunt; non eos qui stabiles apud eum mansere, quique & multi, & nobiles, & clari Barones fuerunt, digni laude & gloria nominis sempiterna. Verum caeteri Austriales, quorum facta non personas improbo, duobus dominis qui super eos & in eos imperium habent; al-

Rom. XIII. 2.

(*dd*) Mandatum ejus praeferendū erat Ladislai, ne dicam Ulrici rerum novatoris, &c.

(*ee*) Domini

alterum, & majorem, & cui obnoxiores erant offenderunt subtrahentes obedientiam sibi, cunctisque praeceptionibus ejus obaudientes; quodque nullus potest non impium sceleratumque dicere, bellum adversus eum gesserunt. Quod nec imperante Ladislao movere licebat; quanto minus illo tacente? Qui dum pupillus est semper tacere censetur, nesciens quid sibi antiquius sit. Docendi pueri, non sequendi; corrigendi non adulandi sunt. Confitebuntur, ut opinor, Austriales se Frederici causam quamvis domini sui, minime, sed Ladislai Principis, & Domini, quem Caesari anteferendum existimaverunt, utilitatem magnopere promovisse. Libet hoc quoque discutere. Audiamus quae ista utilitas sit, quod bonum est (ff) Ladislao quaesitum partumque narrant: Noster, inquiunt, dominus apud Fredericum in captivitate languebat, neque literis, neque moribus imbuebatur. Cibo potuque parcissimo alebatur. Nulla erat ei jocandi facultas. Quin tenerrimus puer non sine vitae discrimine Romam ductus est. Thesauri ejus, resque mobiles in praedam, castra & vectigalia in rapinam ibant; neque Hungariae neque Bohemiae consulebatur. Liberavimus Dominum nostrum, sua videt, curareque potest. Nihil nunc ei deest. Venit ad homines, in lucem, in gloriam venit. Jam Hungari eum, jam Bohemi quaerunt. Festos dies ducit. Sibi & subditis vivit. Commune est omnibus gaudium. Quis haec aut bona neget, aut utilia? Sic causam domini, sic nostram & patriae commoditatem quaesivimus. Belle deducta res est, & potest videri vera; si nihil adversum dicatur. Verum nobis haec cuncta rimantibus, longe diversa sententia est. Dicam quod sentio. Arbitror & alios mihi assensuros, quos propria non perturbat affectio.

(ff) est, quod Ladislao

De captivitate, mirum est quod obiicitur. Si non fuit illi quavis hora quocumque voluit ire libertas, non tamen captivus dici poterat. Puero non est omnis admittenda voluntas. Ex alieno arbitrio, non suo sensu ducere vitam pueros oportet. *Qui parcit virgae, odit filium.* Mollis educatio, quam indulgentiam vocant, nervos

Prov. XIII. 24.

vos omnes mentis, & corporis frangit. Dilectissimus apud Caesarem Ladislaus fuit, & ut filium regis decuit, gubernatus. Quod si non mille adolescentes, aut mille pedissequas ministrantes habuit; regio tamen apparatu, & cultu honesto servatus est. Praeceptoribus commissus, modestis, & prudentibus, educatus pudicè, literas simul & mores edoctus. Quid contendimus? Optime nutritum puerum, habitus ipse pueri, faciesque confirmat, in cujus ore venustas, in gestu gravitas, in affatu modestia, & in omni actu, quantum fert puerilis aetas, discretio singularis elucet. Quibus nudus extaret, si minus probatos habuisset altores. Quod si neque cibo, neque potu tanto refertus est apud Caesarem, quanto nunc apud *communitatem* [gg] repleri dictitant; nemo id sapiens vitio dabit. *Ventri*, namque, sicut magno Basilio visum est, *non ad voluptatem*, *sed ad substentationem porrigere conducit*. Nam qui cenas semper aut coquos mente agitant, epularumque gratia terras, mariaque perscrutantur, miserabili admodum servitute premuntur, & gravissima suo Domino tributa pendunt. Satis est puero sufficientiam ministrasse. Sufficientia verò, non libidine voluptatum, sed naturae necessitate definienda est. Nimius autem vini usus, ac cibariorum copia surgentem in pueris virtutem enecant. Neque jocus liberali & regio puero dignus negatus est; quamvis scurrarum & saltarorum greges ad eum non sunt admissi. Aetati namque id tenerae nocivum Caesar existimavit. Bene apud *Satyricum* [hh] quemdam scriptum est.

(gg) apud comitem

(hh) apud Satyrum

> *Nil dictu foedum, visuque haec limina tangat,*
> *Intra quae puer est, procul hac procul ite puellae,*
> *Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti.*
> *Maxima debetur puero reverentia.....*

Juv Satyr. XIV.

Sed objurgant Caesarem Austriales, qui tenerrimo delicatoque puero grande iter commisit, asperum, periculosum. Spem nostram, inquiunt, pacem, quietem, dominum nostrum ad Italiam hyemali tempore duxit. En pulchram accusationem! At non Fredericus dum Styriam

Digitized by Google

riam exierat, neque Ladislaum secum ducere proposuerat, quando novitas in Austria coepta est? Quo pacto prospicere futura potuerunt, qui vix praesentia cernunt? Sed neque Ladislai transitus reprehensibilis est Hyemale tempus quod damnant, Italiam intranti saluberrimum est. Nullum toto itinere periculum est. Nunquam hujus viae Ladislaum poenitebit. Multa in hoc transitu vidit, quae sibi posthac & suis erunt subditis usui. Ulissem extollit antiquitas, multorum mores hominum, qui novit & urbes. Laudabiliorem hunc futurum puto, qui rebus magnis vel puer interfuit, gravesque mores didicit. Quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu. Nostri Austriales in plumis puerum, in deliciis, in voluptatibus existimant nutriendum. Credo alterum Sardanapalum voluissent alere, inter mulierculas qui pensa distribueret. At Caesar Hungaris atque Bohemis, fortibus ac pugnacibus viris, educare se regem norat, qui suum principem ad bella deducunt, ut Israel ad Samuelem jurat: *Rex erit super nos, & erimus nos quoque sicut omnes gentes, & judicabit rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis*. Quorum ductor, nisi dura pati ab ineunte aetate didicerit, perseverare non poterit. Levissimum est, quod illi putant gravissimum. Spartiatae suos pueros publice verberibus admotis ad patientiam exercebant. Vetustiores Itali, ut est apud Virgilium, natos ad flumina primum deducebant, saevoque gelu durabant & undis. Et Achillem puerum venationibus excitatum sub Chirone magistro, silvarumque ferociores bestias insequutum tradunt. Quid mirum si Romam petiit Ladislaus? Non extra mundum, sed centrum mundi, nobilissimam orbis partem, christianitatis caput, arcem imperii, terrarum decus, morum ac virtutis domicilium visere ductus est. Super qua re si non sunt Austriales Caesari grati, at ipse rex Ladislaus aliquando, & Hungari & Bohemi venturo tempore gratias agent Quod autem expilatam Ladislai haereditatem murmurant adversantes, asportatos thesauros, ac *dilapidatos*, (*ii*) impignorata bona, quis non intelligit majestatis crimen incurrere, qui falso Caesarem criminantur? Apertus est Al-

1. Reg. VIII. 20.

(*ii*) dilapidata impignorata, &c.

Alberti thesaurus, & inventus integer. Nihil inde receptum est, nisi quod incolarum consensu sorori regis Ladislai in Saxonia nuptae dono est datum. Nil ulterius alienatum, nihil distractum, neque impignoratum est quicquam, nisi necessitate urgente. Quis nescit Alberto vita functo plurimos, qui sub eo stipendia meruerant, arma movisse, pluraque postea insurrexisse adversus Austriam bella? Quid mirum si pars pignori data est, ut totum servetur? Quis rem ullam gubernavit publicam, qui aliquando aut vendere aut hypothecare vectigalia non sit coactus? At Fredericus, etsi auri pondo LXX millia his dederit, qui sub Alberto militaverunt; etsi saepius exercitus pro pace ducatus habere coactus est, magnosque sumptus facere, non ut avus Ladislai Albertus Alberti pater, qui Willelmum, Leopoldum, Hernestum, imperatoris Frederici (*ll*) patruos sub tutela gubernans magnam Stiriae, Charintiae, ac Carniolae partem comitibus Ciliae, & in Svevia quidquid pupillorum fuit diversis & alienis gentibus impignoravit. Sed paucissima & levia principatus bona inscripsit, atque his potissime qui contra Caesarem arma sumpserunt. Quod si justis de causis inscriptiones factae sunt, cur impugnant? Si perperam; cur receperunt? Sed, ajunt, Stiriensi cuidam magistro Camerae non parvum oppidum pignori datum esse. Id scilicet dolent, quia non ipsi receperunt. Justum erat, honestum, sanctum pignus, si cui ex Austria fuisset inscriptum. Non damnum Domino datum, sed sibi subtractum queruntur lucrum. Quod si Ladislaus postquam adoleverit, rem suam diligenter examinaverit, nullam haereditatem suam magis expilasse comperiet, quam plerosque ex his qui modo suam ajunt se causam agitare. Sed jam de rebus Hungaricis atque Bohemicis aliquid inferamus, quas isti neglectas Caesari culpitant. Inhaerent moribus suis; jure an injuria clament, nihil pensi habent. Quid aliud Hungari petiverunt? Quid Bohemi, nisi Ladislaum ad se mitti? Non est missus; male cum regnis actum est. At cujus consilio negata est missio nisi Austrialium? Quaecumque vel Hungaris, vel Bohemis responsa sunt data ex Austrialium officina pro-

(*ll*) patrem, & Fridericum

dierunt. Quidquid in hac parte culpant Austriales, in sese vertant necessarium est. Verum si parvipendisset Imperator res Hungaricas & Bohemicas, parum hodie dominiorum hunc puerum respiceret. Neque pauci, neque impotentes fuerunt, qui regna haec magno studio, multisque artibus invadere conabantur; quibus Caesar, & apud Magnates regnorum, & apud Sedem Apostolicam semper opposuit obices; & nisi solers Frederici cura intervenisset, Ladislaus ipse immaturo & acerbo funere raptus fuisset; tot erant, qui quaerebant animam pueri. Summus namque locus nulla non arte petitus invenitur.

Instemus adhuc: ubi est haec utilitas regi parta? In libertatem, inquiunt, in honorem venit. Non intelligo quae sit haec libertas. Regitur, non regit. Audit non consulit. Ducitur, non ducit. Bene est. Hoc illius aetati convenit. Idem apud Fredericum fuit. Quid de honore? Gubernationi Frederici subjacuit. Nunc Ulrici comitis Ciliae, regimen fert. Magnus Princeps (*mm*) & comes, alto sanguine natus, multa vi corporis & animi, proximus pupilli consanguineus. Pulchre apud eum est; non inficior. Non succensebit tamen mihi Ulricus si Caesarem sibi praetulerim, si pulchrius atque honestius dixerim (*nn*) qui pupillus sit, sub Imperatoris magisterio, quam sub comitis esse. Praetereo quantas ejus pecunias effuderint, *quod* (*oo*) ejus bona dilapidaverint, quod damnis, atque incommodis ejus haereditatem afflixerint. Ad eos festinat oratio, qui suam & Patriae utilitatem in medium deducunt. Heic ego non negaverim aliquos Austriales ditiores effectos. Quis enim non sua magis quam communia quaerit? In omni populo, & quocumque sub axe Catilinam reperies. Catonem atque Fabricium rara civitas dabit. Sed non habet veram utilitatem census per injuriam auctus: *Nemo habet*, inquit Augustinus, *injustum lucrum sine justo damno. Ubi lucrum, ibi damnum. Lucrum in arca, damnum in conscientia. Tulit vestem, & perdidit fidem, acquisivit pecuniam & perdidit justitiam*. Hos ego ad conscientiam remitto, *quos diri conscia facti mens habet attonitos, & surda*

(mm) est.

(nn) Regem qui, &c.

(oo) quot. *Et sic ubique*.

Aug. Sermo de decem plagis.

ſurdo verbere caedit. Sapientes nihil utile dicunt, quod non ſit idem honeſtum. Nec plura de iſtis. Perſcrutandum modo eſt ex hac Auſtrialium novitate nunquid Patriae commoditatis aliquid acceſſerit, ut adverſantes gloriantur? Verto me omnes in partes. Ex novitate nihil video boni natum; mali plurimum ſeſe offert. Diu Caeſar apud Auſtriales, apud Viennam verſatus eſt. Nulli unquam aut domum, aut agrum, aut liberos, aut uxorem, aut pecuniam abſtulit; quamvis hoc eſſe jus Regis Iſraëlitico populo Samuel affirmaverit. Fuit apud eos inter illuſtres viros, conſuluit Patriae, pepercit afflictis, fera caede abſtinuit, tempus irae dedit, pacem tenuit, libertatem fovit, religionem auxit. Nihil eſt quod Caeſari valeant imputare, niſi fortaſſe nimiam lenitatem; mitior enim fuit, quam regem decuit. Nunquam Dominum, ſemper patrem experti ſunt. Feroces eos regia manſuetudo fecit. Creverunt opes, illo regente, & hujus Urbis deliciae, *aureaque, ut perhibent, ſub illo rege fuerunt ſaecula, ſic placida populos in pace regebat*. Aegre laetis rebus invidia deeſt. Nulla mutandi regiminis neceſſitas affuit. Mortalium commune vitium traxit Auſtriales. *Quod* (*pp*) populis imperat diu placere non poteſt. Vetus imperium odioſum eſt; & qui mos populi, venturus amatur. At novitate facta bellum exortum eſt, bellum inteſtinum, bellum civile, crudele, horridum.

(*pp*) Qui

> *Signa, pares Aquilas, & pila minantia pilis*
> *Fraternas acies, alternaque regna profanis*
> *Decertata odiis*.

Lucan. lib. 1. v. 6.

Filium contra patrem, fratremque fratri inſidiantem vidimus; rapinas, incendia, caedes, & ſcelus omne permiſſum. Quae *tamen* (*qq*) ex bello poteſt utilitas emergere, ut non belli ſuperetur incommodis? *Squallent abductis arva colonis, & curvae rigidum falces vertuntur in enſem*, violantur virgines, matresfamilias ad ſtuprum rapiuntur, inceſtantur moniales, caeduntur liberi in complexu parentum, neque profanis parcitur,

(*qq*) tanta

Virg. Georg. 3.

 ne-

neque facris. Stultum eft cum pace certa fruaris, bello, & armis incertam quaerere. Extremum malorum, & anceps remedium eft bellum, nec viribus quamvis magnis confidere oportet. Fortuna belli femper eft in lubrico loco & dubio. Martis incertae vires. Nec propterea jactandum eft, quod ex fententia cefferit Auftrialibus. Namque fi metiri confilia velint, non fuam virtutem, fed Caefaris manfuetudinem laudabunt. Sciebant & arma, & homines, & equos & pecuniam Caefari non deeffe; multos & magnos Auftriae Barones fentire cum eo. Hungaros fecum inducias habere; Bohemos praeter Dominum de Bofis eam diffenfionem deteftatos effe; Caefarique benevolos Principes, & civitates imperii complures, fi vocarentur, non deferere & dominum, & confanguineum. Sed abhorruit Caefar domefticum bellum, noluit civilem fundere fanguinem, pepercit patruelis agris. Omnis in Auftriam ruebat furor. Mifertus eft communis populi, noluit paucorum culpam in multorum redundare ruinam. Auftriales igitur, quamvis magnum aliquid feciffe fe dicant, non tamen prudentiae fuae poffunt adfcribere, quod ex moderatione Caefaris nofcuntur accipere, qui cum poffet injurias ulcifci maluit oblivifci. Chartaginienfes quidem duces fuos, qui fine certa ratione pugnaverant, etiam victores, aut fecuri percutiebant, aut crucibus affigebant; quod viciffent Diis immortalibus, quod pugnaffent temeritati imputantes. Sed nihil ad nos haec. Mihi, etfi Princeps egregius videtur qui hoftem conterit; non minus tamen laudandus apparet, qui vincere poffe contentus, vindictam Deo dimittit. Nos horum idcirco meminimus, quia ex omni parte liquet non tantum injufte & inutiliter, fed imprudenter quoque Auftriales, qui fe magnopere jactitant, res innovaffe. Nunc quantum dedecus quantamque ignominiam ab his Auftria lufceperit referemus, qui Caefaris obumbrare gloriam, ingenti, infolita, & inaudita contumelia praefumpferunt. Idque palam fiet fi prius quantum fplendoris & famae fuo generi, fuae familiae, & Auftriali terrae Fredericus attulerit, ante oculos omnium ponemus. Quod neque

lon-

longis, neque taediosis, ut spero, verbis efficiam. Meo judicio neque parum honoris, neque parum nominis Austrialibus superioribus gestis suis Fredericus attribuit, qui duodeviginti natus annos adeptus patriam haereditatem, nullius magisterio subjectus, non, ut assolet, imberbis juvenis tandem custode remoto gaudere canibus, & aprici gramine campi; sed *Hierosolymam* petere [4], ac Dominicum visere sepulchrum & terram ubi steterunt pedes ejus, qui nos a morte redemit, exosculari decrevit. Reversus in patriam subditorum paci consuluit, infantem, pupillum, orphanum Ladislaum Hungarico discrimini surripuit. Communi voto in Imperatorem electus, quamvis duo de Romano Pontificatu contenderent, ab utroque tamen Rex Romanorum appellatus est. Apparatu magnifico in superiorem atque inferiorem Alamaniam profectus, Francfordiae cum Electoribus convenit. Aquisgrani summo favore Principum civitatumque applausu coronatus Basileam petiit, Burgundiam intravit, Sabaudiam invisit. Repetita domo *Gunzenses* (rr) qui Austriam, Stiriamque vexabant bello delevit. Ad unionem inde conversus Ecclesiae, neutralitatem, qua natio Germanica non sine animarum periculo utebatur, alto consilio sustulit. Unde sequutam unionem nullus ambigit. Nam qui apud Basilienses Papatum arripuerat Amedeus, spem Germanicam ubi amisit, mox Nicolao V. manus dedit, ex ejus arbitrio leges pacis amplexus. Ex hinc quamvis Italia duas in partes scissa saevis divisionibus quateretur, sic eo profectus est, ut nulli parti suspectus haberetur. Sed honores utrimque maximos reportavit, certantibus Italis utra pars novellum Caesarem magnificentius admitteret. Libet heic paululum immorari, ut intelligant, non Austriales tantum, sed omnes Theutones, quos genti, suaeque nationi titulos Fredericus acquisiverit. Exceptus est in Italia Caesaris adventus ab omnibus Principibus, civitatibus, populis incredibili honore atque amore. Nihil relinquebatur quod ad ornatum portarum, itinerum, locorumque omnium, qua Caesar transiturus erat, excogitari posset. Multitudo patrum cum liberis & omni familia obviam procedebat. Sa-

(rr) Gurisenses

Sacrificia pro salute sua ubique fiebant. Tricliniis stratis omnia fora, templa, tectaque domorum occupabant, ut vel expectatissimi triumphi laetitia percipi posset. Ad placendum magnificandumque suum Principem opulentiores magnificentia, tenujores cupiditate certabant. In hoc transitu Caesareo, & coronatione Romae celebrata, nihil est solitae solemnitatis omissum. Sed accesserunt multa quae rem amplius, atque amplius illustrarunt. Quietus ac pacificus transitus ex tanta multitudine diversorum populorum, gentium, nationum; neque rixa oborta, neque quispiam desideratus est. Sumptus omnibus in locis publicitus & ubertim ministrati. Apud Ferrariam totius Lombardiae conventus Caesari cum muneribus occurrit. Princeps illius Urbis in reditu Dux Mutinae, Regiique creatus, quod benefactum bene locatum omnis Italia dixit. Bonomienses, qui neque se sibi credunt, Friderici fidem sequuti sunt. Florentia, *quae caeteris Imperatoribus portas clausit* (5), huic omnia patefecit. Ubi & Legati Apostolici magni & excellentes viri, Germanus Papae, *Bononiensis, & S. Angeli Cardinales obviam facti* (6). Apud Urbem Senam ex ultimis Hispaniarum finibus longa & periculosa navigatione advecta Sponsa, regia, & pulcherrima virgo Leonora ex vetusta Portugalliae domo. Apud Romam, ut omittam cives nobiles Senatores, Principes, Praelatos occurrentes, Collegium Cardinalium ad primum lapidem extra ordinem Caesari obviam datum. Ingressus sequenti die magnificentissime Nicolao Pontifice maximo cum Cardinalibus & Clero apud Basilicam Sancti Petri expectante, cujus beatissimos pedes Caesar in honorem piscatoris, & Salvatoris Christi reverentiam exosculatus est. Coronatio Romana in decimum diem suspensa. Corona Longobardorum in capella Principis Apostolorum, cum Mediolani pestis vigeret, biduo ante Romanam suscepta. Sponsalia sacro maximi Sacerdotis ore benedicta. Coronatio Augustalis eo die revolutis annis peracta, quo Pontifex ipse Nicolaus papale diadema suscepit. Augustus simul & Augusta coronati, & quamvis ornamenta essent Caesari ditiora & ornatiora, ea tamen die magni

gni Caroli pallio, tunica, ense, pomo, (ss) ex sacrario Norimbergensi receptis, & Romam delatis, quasi plus majestatis veteribus, quam novis esset ornatibus, usus est Fredericus (tt) Caesar & nobilissimus, & splendidissimus. Hinc Ladislao patrueli Rege, inde Alberto germano duce throno Caesaris assidentibus legationes ex tota Italia, milites admodum multi, cum Principes, tum magni nobiles in ponte percussi. Solemnitas in noctem producta. Exacta festivitate, petita Neapolis. Visus Alphonsus Rex Aragonum, & Siciliae, Imperatricis avunculus, nostri decus splendor & aevi, apud quem recepti honores, non sunt qui verbis referri queant. Ut vicit oculos varietas, sic superat magnitudo sermonem. Quid plura? Remensus iter, Venetias more triumphantis intravit, ubi nullus ante visus fuerat Imperator, nisi fugitivus aliquis, & Fredericus I. pacem ab Alexandro Papa Senensi petens, & filius bello captus. At Frederico nostro, & conjugi tantus honor a Venetis exhibitus est, quantus antea nulli. Haec, nisi fallor, & ingentia, & rara, & singulari & laudabili nota digna sunt, ac non solum Frederico, & suo sanguini, atque Austriali nomini, sed omnibus Alamannis honorem maximum, excellentemque gloriam pepererunt. Verum cum caeteri omnes honoraverint Fredericum, in propria venit, & sui eum non receperunt. Austriales enim Fredericum veluti triumphatorem ex Italia redeuntem, illustratorem Alemanniae, ornatorem Austriae, sui generis sublimatorem, maledictis ac malefactis exceperunt, omnemque suae terrae gloriam extinguere sunt aggressi. Haeccine patriae utilitas, aut commoditas regionis, ubi gentis honor confunditur, ubi gloria communitatis retunditur? Neque utilitas honoris, neque honor utilitatis expers esse potest. O si Austria loqui posset, non hosce homines ingratos filios appellaret, ac talibus vocibus increparet? Cur, stulti homines, vestrum Principem persequimini, qui vos domi quietos tenuit, fortes, honoratos facit? Quatuor ante hunc ex filiis meis Romanam rem acceperunt, Rodulphus, Albertus (uu) & alter Albertus. Ex his Romae nullus coronatus est, neque in-

(ss) pomo, corona, ex sacrario, &c.

(tt) Fridericus: Comitatus Caesaris.

(uu) Fridericus & alter, &c.

ingressus Italiam. Solus hic & mihi & vobis hoc coronationis attulit decus. Ergo apud vos beneficia pro maleficiis habentur? Nec vobis pacem, nec Principi fidem servatis? Vos mihi, vos principibus, vos filiis vestris partam excluditis gloriam. Meum nomen, quod apud omnes gentes illustre Fredericus reddiderat, turpi nota offuscatis, atque ignem mihi & vobis suscitatis, quem nescio quando possitis extinguere. Ergo ego nisi vos peperissem, omnes per circuitum me gentes admirarentur, felicemque dicerent ingenti laude & saeculi pace gaudentem. Sic suos filios, si capax vocis esset, Austria compellaret.

Sed nec minora his aliquando Ladislaus proferet. Neque Albertus, neque Sigismundus Austriae Duces singulari virtute praestantes silebunt, quibus Austriae dedecus, atque honor in communi cedit, qui famam, atque infamiam cum Frederico aequa lance suscipiunt. At vos heic, vos Principes Alemaniae compello, nobiles proceres, illustre genus, clarissimam gentem. Quid heic dicetis rogo? Vobisne Austriales laudandi videntur, qui Dominum nostrum contemnere, atque confundere nituntur? Cum vobis Imperium Sedes Apostolica tribuit, tunc nationem vestram caeteris anteposuit. Attendite, obsecro, ne tantam excellentiam amittatis. Imperium quibus artibus ab initio partum est, his facile retinetur; contrariis perditur. Vestrum est providere, ne tanta majestas apud vos contemnatur. Ex corpore vestro sunt Austriales. Si Caesarem dehonestant, in vos culpa redundat. Non potest Imperium sine nota vestra contemni. Non remanet dignitas, ubi spernitur. Transferri Imperium potest, perire brevi non potest, quod Christi voce probatum est, quod suis orationibus omnis Ecclesia juvat. Interest vestra magnopere sic agere, ne dignitas imperatoria sub vestris oculis, atque in vestris manibus pessundetur: Illam quippe nostri majores, veteres, sanctique Christiani semper magnopere sunt venerati. Et quamvis essent gentiles ab initio nascentis Ecclesiae Caesares, tamen pro salute Imperatorum sine intermissione preces ad Deum fundebant.

Quod

Quod si mihi non creditur, veritatis adstipulatorem Tertullianum adduco. *Denique*, inquit ille, *sine monitore pro omnibus semper Imperatoribus Deum precantes sumus. Vitam illis prolixam, Imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum optamus*. Et post addit: *Est & alia major necessitas orandi nobis pro Imperatoribus, & omni statu Imperii, rebusque Romanis, qui vim maximam universo orbi, & imminentem Romani Imperii commeatu scimus retardari. Itaque nolumus experiri, & dum precamur differri, Romanae diuturnitati favemus*. At Austriales, ut eo redeam unde sum digressus, spreto Salvatore, qui reddi Caesari, quae Caesaris essent praecepit; contempto Petro, qui Regem honorari mandavit, postergato Paulo, qui omnem animam sublimioribus esse subjectam potestatibus voluit, refutato Augustino, qui generale pactum societatis humanae dicit Regibus obtemperare; abjectis legibus, quae mundi dominum Imperatorem affirmant; irrisis canonibus qui Romanum Caesarem cunctis Principibus, ac Regibus anteponunt, Fredericum Imperatorem ex Austria natum spernere, atque armis impetere praesumpserunt. Quibus rebus, neque suis dominis, ut ostensum est, neque sibi, neque Patriae consuluerunt; sed contemptum, ignominiam, dedecus, & infamiam perpetuam praesenti genti, & omni posteritati quaesiverunt. Ac tantum de utilitate domini dictum existat.

In Apologetico cap. 30.

Ibid. cap. 32.

Quarto jam loco Regis se dignitas offert, qua nostri adversantes contra Caesarem sese muniunt. Principem nostrum, inquiunt, sub tutela contra jus gentium tenuit Imperator, qui non solum Dux Austriae, sed Hungariae quoque, ac Bohemiae Rex habetur. Maxima illum & potentissima haec regna respiciunt. Regem qui coronatus sit neque sub tutoribus, neque sub curatoribus esse decet. Ex Bononia, Padua, caeterisque scholis Italiae *adeunt* (xx) consilia. Injustus Caesar qui se Regis coronati tutorem gessit. Justi Austriales, qui tutelam injustam justo bello repulerunt. At si militat haec ratio, Hungaris ac Bohemis, non Austrialibus victoriam

(xx) adsunt

patabit. Austriales sub Duce sunt, illi sub Rege; & quamvis eadem sit persona Ducis, & Regis; Austriales tamen nonnisi quia Dux est, Ladislai jus respiciunt. Nam etsi arma sumere adversus *Polonos* (7), aut alios Hungariam vastantes juberentur, dicerent se minime obligatos: non esset igitur huic argumentationi respondendum, quae non juvat eos, contra quos agimus. Refellemus tamen, & hanc sagittam, ne sibi blandiantur. Neque mihi Hungarorum nobilitas succensebit, quamvis ejus opinioni resistam. Nam etsi regno potenti & glorioso, & Apostolicae Sedi devoto & christianae religioni adamantino scuto favendum est, veritatem tamen praeferre oportet. Nihil de Bohemis dico, quia litis hujus minime consortes existunt. Nescimus quae sunt ex Italia consilia sive responsa prudentum. Non parvi pendimus viros doctos, neque scholarum gravibus judiciis derogamus. Viderint qui recipiunt, & qui dant consilia ne fallantur, aut fallant. Nos Paulum Apostolum vas electionis, Doctorem gentium, veritatis magistrum sequimur. Verba ejus haec

Galat. IV. sunt: ***Quanto tempore haeres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus universorum, sed sub tutoribus & actoribus est usque ad praefinitum tempus a patre.*** Quod de patre dicitur, hoc de lege, seu consuetudine intelligitur, si testamentum desit. Non distinguit Apostolus inter regios, & alios parvulos. Nec vos quidem

(yy) saeculi oportet distinguere. Inveniuntur & juniores nostri (yy) doctores, qui pupillis Regibus, ac Principibus tutores asserunt dandos, Bartholus Perusinus, Nicolaus Panormita, Joannes Imolensis & Antonius Butrianus. Et Bartolo quidem, quanto majoris est dignitatis pupillus Princeps, tanto digniorem exigere tutorem videtur: Neque ab re, nam quanto major est persona pupilli, dignior, excellentior, tanto habenda est diligentior cura. Utile pupillis est habere tutores. Tutori onus est tutela. Ideo quibusdam personis excusatio permittitur. Pupilli, ne tutoribus subsint, nulla lege cavetur, sive Duces fuerint, sive Reges, sive coronati, sive non. Alexandro Macedone, qui non Rex tantum Graecorum, sed orbis Imperator fuit, ab hac luce rapto, qui sub eo Duces fue-

Digitized by Google

fuere curam successoris habentes, expectari partum Roxanis decreverunt, quae mense octavo jam exacto, matura ex Alexandro erat, & si puer natus esset, hunc dari successorem patri. Tutores autem Leonatum, Perdiccam, Craterum, & Antipatrem constituerunt. Licurgus Spartanarum lator legum, ex quibus Romanae magna ex parte manant, mortuo fratre sub Polibete Spartanornm Rege, Carilli nepotis tutelam suscepit; cui ad aetatem provecto regnum summa fide restituit. Olimpias Pirrhi Epirotae Regis filia, amisso marito, eodemque fratre Alexandro, tutelam filiorum ex eo susceptorum, & regni curam in se recepit. Et ut ora omnium conticescant, Augustus Octavianus, ut est apud Svetonium, rectorem solitus erat apponere regum filiis aetate parvis, aut mente captis, donec adolescerent, aut resipiscerent, ac plurimorum liberos & educavit simul cum suis, & instituit. Videmus & nostri temporis Regios pupillos in tutela esse proximorum, sive Hispaniae, sive Galliae, sive Britanniae mores advertimus. Comes Palatinus Dux Bavariae, Princeps Elector, dignitate, ac potestate par Regibus, hodie sub tutela est patrui. Sed admittunt hoc aliqui, si vel de Regno tutores fuerint, vel in Regno. Nam pupillum extra regnum, & ab his qui non sunt regnicolae, nullo pacto gubernari concedunt. Verum qui sapiunt, omnia tempori, omnia rationi, omnia necessitati coaptant. Norunt omnes quae fuerint hactenus in Hungaria ac Bohemia novitates. Quis aut regnicolis, aut in regnis curam pueri committendam suasit? Fuit Austrialium quidem semper adversa sententia. Sed neque juris id praecipit auctoritas, neque consuetudinis observantia tenet. Pompejus Romanus Ptolemaei Regis AEgypti, & Scipio, quamvis Africanus cognomine tamen Romanus origine, filiorum Massinissae Regis Numidiae tutelam gessit. Et ne vetustioribus immoremur, Otto Marchio Brandemburgensis Venceslai Ottokari Regis Bohemiae filii, cum esset annorum septem, favente Rodulpho Romanorum Rege, tutelam suscepit, atque illum extra Bohemiam enutrivit. Quanto magis Imperator patruelis tutor accipiendus est? Et

Digitized by Google

quis est qui turbato Regno educari pupillos in alia regione prohibeat; quando vel parentes ipsos legimus impuberes filios extra regnum alendos misisse, ut tutius servarentur? Demetrius Rex Syriae cum sibi novercantem fortunam intelligeret, duos filios apud Gradium hospitem suum Cretensem cum magno auri pondere commendavit, ut belli periculis eximerentur; & Priamus Ilío obsesso Polidorum in Thraciam mandavit alendum. Quod autem de corona dicitur, videndum magis quam confutandum videtur. Ladislaus non puer solum, sed infans, ut natus & baptizatus est coronam accepit. Neque annos corona, neque sermonem, neque discretionem pupillo dedit. Quae ista stultitia? quae barbaries? quae feritas? pupillum Regem, quia coronatus sit, tutela vacuum relinquet? Unde nova haec praecepta irrepunt? Tertius e coelo cecidit Cato, qui hunc rigorem tradit. Unde ista sapientia? Iterum Prometheus ex sinu Minervae novum furatus est ignem. Novus Solon novas leges edit. Sustinebo si quis dicat pupillum Regem non esse coronandum; quia reges a regendo dictos accepimus. Abusive regem, qui regitur appellamus. At coronatum infantem non egere tutela, dementis est dicere. Nec quemquam movere debet, quod in libris Regum hunc aut illum in pupillari aetate legimus regnare coepisse. Nam id non aufert tutorum curam. Numerantur enim anni a morte patris, & regnare videtur is, cujus nomine res geruntur, quamvis non regat tunc Rex, sed regatur. Sicut Joas, qui septem annorum accepit regnum, & bene rexit. Non enim is, sed tutores, sive actores gubernarunt. Alioquin dicere cum Scriptura possumus: *Veh terrae, cujus rex puer est*. Et Isaias comminationis usus modo: *Dabo pueros*, inquit, *Principes eorum*; quibus cum suorum bonorum administrationem leges interdicant, stultus videri potest qui Reipublicae curam his committit. In re nota omnibus moror fortasse nimis. Quis tamen se contineat? Cum fuit apud Caesarem Ladislaus, & intellexit, & sapuit, & gubernatione regnorum, factus est dignus. Nunc apud comitem quis voluntatem ejus habuerit, nisi comes, & qui

Eccl.x.16.

If.iii.4.

qui primores cum eo suum assensum dederint? Non est voluntas. Puer est, nescit quae sibi utilia sunt. Omnibus idem est, ajunt. En quanta iniquitas! Senescunt omnes alii, Ladislaus tempore puerescit, & qui apud Caesarem fuit adultus, apud comitem est infantulus. Is tamen & Rex coronatus est. Cur sibi tutores datis? Nonne ex opere vestro commentimini? Gubernatores, inquiunt, damus sibi, non tutores. Ergo de nomine quaestionem habemus, non de rebus. Vincite, & inanem gloriam vobiscum ferte. Vulgaris plebis suffragio gaudete. Nos apud viros graves & apud optimum Deum sententiam obtinebimus, pupillo, quantumcumque Regi magno, tutoribus opus esse. Atque sic quatuor causas Austrialibus quae videbantur adversus Caesaream majestatem praebere colorem, & futiles & inanes, ac derisione dignas esse liquet, quando nec testamento juvare se possunt, nec pactionibus; neque verum est eos sui domini aut patriae utilitatem promovisse, nec domini dignitas adjumentum praestabit, ut pupilli regis tutelam evertere possint. Iniquam causam igitur promovebant. Iniqui erant, injusti, indigni favore, odio digni. Bene igitur qui male agunt, summi Sacerdotis baculo cohibentur.

Quod si omnino injustus Caesar adversus Austriales fuisset, ut adversarii garriunt, non tamen gerendi belli potestatem habebant. Sine cognitione, sine auctoritate, sine principe bellum gesserunt. Quis indixit? Quis auctoritatem interposuit? Quatuor sunt Austriae principes. Adversus unum dimicatum est. Ex tribus aliis nemo decretum interposuit. Res mali exempli est, plena periculi, inimica quietis. Populus in dominum sumit arma. Plebs principi resistit. Si tumultu licet res agere, quis principum tutus erit?. Quae manere respublica poterit? Quis nescit injustum esse bellum, quod non est principis auctoritate mandatum? Notum est illud Augustini contra Manichaeos. Sic enim ait: *Ordo autem ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas atque consilium penes principes sit.* Qui sine mandato Superioris, *injussu prin-*

(zz) Deest *principis* (zz) arma capessunt, non justi belli praemia, sed latronum, atque sicariorum supplicia demerentur. Neque mihi quisquam aut Ulricum, aut alterum factionis ducem nomine principis anteponat, indicendi qui belli potestatem habuerit. *Nam principatus*, ut Leo scribit, *quem seditio extorsit* (ut heic) *aut ambitus occupavit, etiamsi moribus, atque actibus non offendit, ipsius tamen initii sui est perniciosus exempli, & vix bono peraguntur exitu, quae malo sunt incboata principio*.

Can. Principatus c.q.1.

Quod si replicent Austriales: oppressi fuimus injustè, princeps noster & puer & captivus erat. Caeteri domus Austriae principes nolebant manus apponere, nonne potuimus jura domini nostri, quae verbis non dabantur, armis vindicare? An propterea peribit respublica, quia princeps aut deest, aut negligit? Confundunt sese verbis suis. Cur enim caeteri principes nolebant manus apponere, nisi quia rem esse injustam intelligebant? Caeterum nunquid non poterant Austriales, priusquam arma sumerent, summo pontifici querimoniam facere, ac justitiam petere, aut alios hortari Germaniae principes, qui jus suum audirent, & quae sana essent, imperatori consulerent? Aut juris viam coram papa Caesar amplexus fuisset, aut aliorum principum suasibus auscultasset. Aut si neutrum fecisset, excusationem aliquam & apud Deum & apud homines Austrialibus reliquisset. At illi non utique veriti dominorum fallere dextras, sine fide, sine pietate, sine pudore, sine cura juris, nullius auctoritate, sed propria temeritate sumentes arma, suum principem ex tutela sui principis excluserunt. Adversus quos missam Romani pontificis admonitionem ex eo capite, quod bene agentes visa sit impedire, neque justè reprehensam, neque ritè repulsam fuisse, satis, ut arbitror, dictum atque monstratum est. Quibus ex rebus, velut ex asperrimis scopulis, tempestuosoque mari navis educta, jam quietior, & securior ad tertium membrum navigabit oratio. In eo, si rectè memini, aut si bene audivi, hoc papae imputaverunt adversantes, quod sit (*aaa*) neque auditis, neque vocatis grave monitorium, durum, asperum adversus eos emissum. Proh qua-

(*aaa*) se

qualis iniquitas! qualis insolentia! qualis arrogantia! Spoliarunt inferiores superiorem, subditi principem, servi dominum, filii patrem, inauditum non vocatum, sine judice, sine juris ordine, nullo cognoscente, sine culpa, sine causa, sine modo, invaserunt armati principatum. Expugnaverunt arces, exegerunt vectigalia, legerunt magistratus, judicaverunt sanguinem, curiam occupaverunt, judices ordinarios abjecerunt; & audent dicere: Non sumus auditi; lex Christi, lex evangelica ubi est? *Quod vobis non vultis fieri, alteri ne feceritis.* Si aures habent sic magister jubet. *Eadem quippe mensura qua mensi fueritis*, inquit apud Lucam Dominus, *remetietur vobis*. Inauditum principem repulerunt? Inauditi damnantur. Sine ratione peccarunt: Cum ratione puniuntur. Ferant papae sententiam, qui sui principis judicant innocentiam. *Non est discipulus supra magistrum.* Dimittant, , & dimittetur eis. Non condemnent & non condemnabuntur. In quo judicio judicant homines, in eodem sunt judicandi. Neque aliis legem imponere debent, quam ipsi negligunt observare. Neque beneficio legis est dignus qui committit in legem. Sileat igitur vox illa: Non sumus auditi. Merito namque non inveniunt, qui non praebent audientiam. Sed neque hoc admittimus quod de negata praedicant audientia. Miserunt enim plures nuntios Romam, qui pontifici maximo omnes rationes, quibus moti fuerant adversus Caesarem, aperuerunt, exposueruntque supradictas omnes causas & alia multa dixerunt. Judicavit autem papa non esse fundamentum quod afferebatur sufficiens, motosque leviter Austriales; quos si ratione usos agnovisset, non solum eorum propositum non impedivisset; sed etiam adjuvisset: quia nihil ab illa sede solet exire non justum. Sciunt insuper Austriales oratores suos Romam misisse, atque auditos in concistorio dixisse universaquae voluerunt. Sed ajunt exivisse monitorium de curia, priusquam oratores applicuissent. Fatemur. Non decet negare quod verum est. Nondum tamen insinuatum fuerat, neque publicatum. Austrialibus nihil nocebat quod in occulto latebat. Quod si oratores sufficientes adduxissent causas,

ac

ac probabile factum ostendissent, non jussisset Romanus pontifex exequutioni monitorium demandari, revocasset, extinxisset, aut quod moris esse consuevit, *viam* (*bbb*) citationis resolvisset. At oratores nihil aliud exposuerunt quam priores nuncii, nisi quia causam non pertinere ad examen apostolicum videbantur astruere, & scandala quaedam comminabantur si monitorio locus daretur. Pontifex autem Nicolaus, ut est egregio atque alto pater ingenio, bonisque omnibus disciplinis ornatus, cui scripta quaevis antiquiora ac nova explorata, comperta, meditataque sunt, scite, atque subtiliter ratiocinatus, & causam sui esse tribunalis ostendit, & Gregorii magni verba subjecit, qui super Ezechielem scribens: *Utilius*, inquit, *scandalum nasci permittitur*, *quam veritas relinquatur*. Obtulitque de Frederico imperatore judicium, si vellent Austrialis juris inhaerere tramitibus; quod cum legati declinassent monitorium, quod causa cognita, & ad calcem intellecta decreverat, publicari permisit. Si modo legitimè publicatum est, quod nunc non agimus. At audio, nescio quid murmuris, sic meis auribus sonus perstrepit. Adversarios hoc modo dicturos sentio: Nemo ante verum, & justum judicium condemnandus est. Nam Deus omnipotens, cujus oculis manifesta sunt omnia, ut nos a praecipitandae sententiæ prolatione compesceret, auditis Sodomitarum sceleribus: *Descendam*, inquit, *& videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint: an non est, ita ut sciam*. Verum haec auctoritas, si rectè intelligitur, consona est monitorio, non adversa. Non vult sententiam Deus ferre, nisi haerentes, fixosque malo sodomitas intelligat. Idem quoque Nicolaus papa negat se damnaturum Austriales, nisi propositi tenaces agnoscat. Ideo quasi descendens visurus pertinaciam, ceu Deus Angelum ad Sodomitas, sic monitorium ad Austriales mittit. Suadet usurpata relinquant, & intra XL. dies spoliata Caesari damna resarciant: nisi fecerint sententiam comminatur. Sororium atque omnino simile huic aliud scriptura praebet exemplum. Cum peccasset Ninivitarum civitas, ac malitiæ clamor ascendisset ad Dominum, Jonam misit prophetam qui diceret: *Adhuc*

(*bbb*) in vim

Digitized by Google

Adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur; nisi poenitentiam ageret. Eadem vox monitorii est: Adhuc XL. dies & Austriales nominatim descripti subvertentur. Idest excommunicationis vinculo vincientur, si Sodomitarum magis obstinationem', quam Ninivitarum voluerint imitari correctionem. Utrum autem excommunicationis vis insit, ex habita notitia pendet, quem locum praeterimus. Adiiciam alia propter adversantes, qui docti videri magis, quam esse cupiunt. Sciunt juris interpretes in his quae notoria sunt facti permanentis, neque servari judiciarium ordinem, neque accusationem, neque citationem requiri. Nam & Paulus Apostolus Corinthium quemdam de coetu fraternitatis exclusit, atque absentem & inauditum sine mora in interitum carnis tradidit, quia novercam suam uxoris loco publicè retinebat. Cur non vocavit hominem Paulus? Cur non testes examinavit? *Idcirco*, inquit Ambrosius, *quia crimen nulla poterat tergiversatione celari*. Quis igitur papam arguat, qui sanctum imitatur apostolum; quo si est merito minor, auctoritate non est inferior? Sed neque Paulus illi, ut Nicolaus istis emendationis tempus indulsit. Notorium Corinthii crimen, notorius Australium fuit excessus. Quod Paulo, hoc & Nicolao licuit. Neque citationem, neque judiciarium strepitum notorius expetebat excessus. Notorium autem factum ajunt doctores esse, cujus evidentia probabiliter negari non potest. Negari autem simpliciter omnia possunt. Nam plerique Dei majestatem, & inferos, & animas immortales negant, ut Epicurei, *in fortunae qui casibus omnia ponunt, & nullo credunt Mundum rectore moveri, natura volvente vices & lucis & anni*. At cum factum negari probabiliter nequit, id volunt esse notorium. Est igitur & in casu nostro *notorium* (*ccc*). Ac super notorio facto monitorium (*ddd*). Quo enim pacto negari potest facti narratio, quam monitorium continet? Libet hoc ipsum prosequi.

(*ccc*) Deest
(*ddd*) Est emissum

Praebete, obsecro, aures magnanimi atque optimi principes, ac sacerrimi doctissimique patres. Evidentiam facti ante oculos ponam. Narratur in monitorio

Ladislaum Alberti filium pupillum esse. Negent si possunt Austriales. Narratur consuetudinem domus Austriae pupillorum principum tutelam seniori, ac proximiori familiae principi ex antiquo mandare. Negent si possunt Austriales. Narratur Fredericum Caesarem majorem esse domus Austriae, proximiorem Ladislao ex familia principem. Negent si possunt Austriales. Narratur eum annis undecim & amplius tutelam gessisse Ladislai, ac ducatum Austriæ gubernasse. Negent si possunt Austriales. Narratur eumdem quoque, dum se itineri accingeret, imperialem coronam Romæ petiturus, in possessione, vel quasi administratione tutelae in Austria fuisse. Negent si possunt Austriales. Narratur Austriales quosdam, dum Caesar iter ad urbem continuaret, fecisse mutationem, spoliasse illum administratione ducatus, arma sumpsisse, expoliasse arces, vectigalia exegisse; curiam, forum, judicia invasisse. Negent si possunt Austriales. Hisce in rebus fundatum est monitorium. Si falsa sunt haec, si negari, si ulla tergiversatione celari possunt, damnamus & nos etiam monitorium. At si legati fassi sunt haec, si vicini omnia norunt, si manet adhuc spolium, si evidens est omnibus quod narratur, si sunt aperta, manifesta, liquida, notoria, quae monitorium continet, quis papam arguere poterit (*eee*)? Saepe Cancellaria privatis personis similia mandata concedit; saepe civitates, saepe provinciae, saepe regna minoribus de causis novimus interdicta. Quis apostolicae sedis praesidium *queretur*? (*fff*) Quis erit usquam tutus, si propter scandalum evitandum justitia denegetur imperatori? Sixtus, ut in decretis habetur, ad episcopos Hispaniae persimile monitorium direxit. Mandat enim res ablatas, ut quibusdam aliis episcopis restituant; & adiiciens comminationem, ait, *Si non vultis & vos & principes vestri a collegio nostro, & membris ecclesiae separari*. Non ergo insolitum papae monitorium, non injustum, non durum, sed usitatum, sed aequum, sed mitissimum; nec ferit quemquam nisi qui post XL. dies, spreta censura apostolica, sua negligentia, sua culpa se jugulat. Sic ergo tria, quae ab initio adversus adversarios ostendere promisi-

(*eee*) poterit si concedit Imperatori, quod obscuro cuivis homini negari non potest?

(*fff*) quaeret

Digitized by Google

misimus, impleta sunt, tresque ipsorum objectiones evertimus, quas apostolico monitorio imputabant. Nam cum crederent illud de rebus apostolicae sedi minime pertinentibus agere, ostendimus litem quam Caesar adversus Austriales habet, Romani tribunalis examini non solum ex plenitudine potestatis, sed ex communi etiam jure pertinuisse. Cum dicerent monitorium adversus res justas, & utiles emanasse, iniquis & inutilibus obviare illud conatibus voluisse monstravimus. Cum praedicarent monitorium contra inauditos emissum non obligare; & auditos Austriales fuisse docuimus, & si audientia defuisset, censuras nihilominus in rebus notoriis habuisse vigorem. Ac tantum ad objecta, compellationesque probrosas, atque adversantium latratus respondisse sufficiat. In praesentiarum vero, quoniam injustè Austriales Romanum pontificem criminati sunt, haud aegre ferre debebunt, si nos eos juste accusabimus, ostendentes illos, qui Romanum imperium enormi laeserunt vulnere, sedem quoque apostolicam percutere voluisse, ut qui totius Monarchiae gloriam, majestatemque persequuntur. Quorum gesta, &si bono consilio coepta fuissent, tamen quia Romanus pontifex prohibebat, aut cessare illos aut subsistere decuit. *Licet enim*, ut Gregorii sententia est, ***nunquam fieri malum debeat, bonum tamen aliquando quod agitur per obedientiam intermittitur***. Et Carolus imperator: ***In memoriam***, inquit, ***B. Petri apostoli honoremus sanctam Romanam ecclesiam, & apostolicam sedem, ut quae nobis mater est sacerdotalis dignitatis, esse debeat ecclesiasticae magistra rationis. Quare servanda est cum omni mansuetudine humilitas, & licet vix ferendum ab illa sede sancta imponatur jugum, tamen feramus, & pia devotione toleremus***. At nostri Austriales erecta cervice, cristato capite, rebellibus humeris quid nobis & papae dicunt? celebret ipse missas; nos arma tractabimus. Nihil ad eum de nobis. Si quid praecipit, appellamus. Proh sceleratas, atque horrendas voces! Quid pejus, aut Vvaldensis haereticus, aut Saracenus infidelis exclamat? Dent veniam Austriales, oro. Non ipsos sed facta dictaque insectamur, & consulentibus magis quam fa-

cientibus irascendum putamus. Appellavimus a Monitorio, dicunt. Quo consilio? Qua ratione? Qua audacia illudere apostolicae sedi, irridere majestatem illam Christi, contemnere tribunal volunt? Non Austrialium hanc mentem, sed consultorum fuisse conjector. Quamvis & isti passionibus jactati quae voluerunt facile crediderunt. Ad quos confutandos necesse mihi est illud attingere membrum, quod de appellatione dicturum quarto loco promisi. Ad quam rem jam benignas aures, precor, adhibete. Appellationis remedium ob communem utilitatem inventum est, ut qui perperam opprimuntur, refugium habeant. Appellationem autem partem esse justitiae nemo dubitat. Cum vero justitia sit habitus animi, qui communi utilitate servata suam cuique tribuit dignitatem, non est appellatio recipienda, quae communi bono adversa est. Eam ob causam tria potissimum considerare oportet appellantem; ut sit immodice atque injuste gravatus; ut de minori judice superiorem appellet; atque ut eum appellet qui commode possit adiri[1]. Horum si unum defuerit, nihil est quod appellationi tribuat vires. Exinde cavendum est, ne quid appellatione pendente ipse innovet qui appellavit. At nihil horum Austriales observaverunt. Nihil est ergo quod appellationis vis insit, quando nec gravamen senserunt, nec superiorem appellaverunt, nec judicem qui posset adiri, nec novitates omiserunt. Ob quam rem monstri simile videri potest in civitate splendida[2], & scholam habente, quempiam inveniri qui tamen appellatione tueri praesumat. Non est Austrialium haec praesumptio. Ex aliorum officina haec prodeunt. Literati sunt qui has appellationis sagittas emittunt, quorum caecitatem sive malignitatem hoc in loco retundemus, quando nulla est civitas malorum hominum omnino vacua, ac rarum est sine Juda collegium, omnisque exercitus suum Sinonem habet. Excutiamus igitur hujus appellationis vires. Quid de primo membro putabimus? oppressi ne sunt Austriales ex monitorio? Si tenemus quae prius dicta sunt, nullum gravamen, nulla oppressio intervenit. Quia injustè agentes justè prohibebantur, & officium erat Romani

pon-

pontificis prohibere. *Nam qui non vetat peccare, cum possit, jubet*. Ante sententiam quicumque appellat reiiciendus est, nisi rationabilem causam habuerit, quae si probata esset, legitima reputari deberet. Sic in generali concilio decrevit Alexander. At Austriales, ut praemissum est, super notorio monebantur excessu. Quis potest affirmare gravatum, qui salubre *jussus est* [*ggg*] acceptare mandatum? Quod si raptorem alienae rei, ac fornicatorem manifestum vetant canones appellare, si publico in excessu adversus clericos facto contra delinquentes ad excommunicationis denunciationes proceditur; si minores judices appellationes hujusmodi non admittunt: quanto magis & apud principes, & apud majores appellationis subterfugio carebunt qui & raptores & invasores manifesti noscuntur. Omnia mala exempla ex bonis originem habent. Appellationem quae fuit ad refellendas introducta vexationes, ad injurias isti fovendas trahunt. Sed transeamus ad judicem, qui appellatur. Majorem hunc esse oporter, ut diximus, eo a quo est appellatum. Nam majoribus quidem regendi & jubendi potestas; minoribus vero obediendi necessitas est. Inferior sedes superiorem non obligat. Appellanti non minus, aut par tribunal adeundum est. In parem pari non est imperium. *Placuit*, inquit Julius Papa, *ut a quibusque ecclesiasticis judicibus ad alios judices ecclesiasticos, ubi est major auctoritas, provocatum fuerit, audientia non denegetur. Quod si minorem, aut aequalem quis judicem appellaverit, nudetur auctoritate* (*hhh*). Et ratio quadrat; nisi enim major qui appellatur fuerit, nec exequi sententiam poterit, nec plus sapere videbitur illo a quo appellatur. In casu autem nostro ab eo judice appellatum est, qui nullum habet in terris superiorem; nulla est igitur appellatio. Nec leges audiunt, nec canones appellantes a principe. In ecclesia verò habere principatum Romanus praesul nemo doctae mentis ignorat. Non est igitur fas a Romano Pontifice appellare. Quod autem princeps ecclesiae Romanus praesul existat compluribus auctoritatibus intelligere licet. *Quamvis omnes*, inquit Pelagius, *per orbem ecclesiae constitutae unus Christi thalamus sint; tamen sancta Romana*

(*ggg*) Visus est

(*hhh*) Videtur authoritate Julii repellendus, cujus authoritati & ratio, &c.

mana Ecclesia catholica & apostolica nullis synodicis constitutis caeteris ecclesiis praelata est, sed evangelica Domini voce Salvatoris nostri principatum obtinuit. Tu es, inquit Dominus, Petrus, & super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Et Anacletus de Petro dicit: *Hic ergo ligandi atque solvendi potestatem primus accepit a Domino, primusque ad fidem populos virtute suae praedicationis adduxit. Caeteri vero Apostoli cum eodem pari consortio honorem susceperunt, ipsumque principem eorum esse voluerunt.* Sed voluerunt quippe quod Salvator ipse voluerat; sicut & Anacletus ipse testatur alibi dicens: *Prima sedes est coelesti beneficio Romana ecclesia, quam, ut memoratum est, beatissimus Petrus & Paulus suo martyrio consecrarunt.* Et iterum: *haec apostolica ergo sedes caput, & cardo, ut praefatum est, a Domino & non ab alio constituta est; sicut cardine ostium regitur, sic hujus sanctae apostolicae sedis auctoritate omnes ecclesiae, Domino disponente, reguntur.* Et ne multa inculcemus, Christiani nomen amittit, qui caput ecclesiae militantis Romanum praesulem non recognoscit. Si ergo princeps est in ecclesia catholica Romanus pontifex, nec superiorem habet, nec parem; nam ecclesia militans instar triumphantis ordine hierarchico instituta neque biceps, neque multiceps esse potest. Unus in coelo Deus, unus in terra Vicarius caput ecclesiae, populi princeps, Christiani ductor exercitus, Romanus praesul. In cujus auditorio non habet appellatio vocem (*iii*). Ille non pedaneus judex est; sed comite major, duce superior, rege celsior, imperatore sublimior. Et audent appellare? Quis, horum non miretur audaciam? Non confundat arrogantiam? Non damnet ac vituperet temeritatem? Si quis ab Austriae duce appellare praesumeret, dicam a rege Bohemiae, vel Hungariae, mox appellationis poenam in carcere cogeretur accipere. Majorem in Austria ducem, quam papam in ecclesia putant. Frustra igitur conditae leges, in cassum promulgati canones; leges non imperatoris dumtaxat, sed praefecti praetorio sententiam appellationi subducunt. Isti jussionem apostolicam provocationi subiiciunt. Sacri canones primae sedis judicium

(*iii*) Vocem. Potuissent fortasse supplicantes ad papam Austriales recurrere; appellantes minime. Non est hic plebejus aliquis magistratus, aut pedaneus.

dicium cunctis mortalibus anteponunt; *isti sub superiore* (*lll*).

Audiamus tamen cui superioritatem attribuant, si quid afferant hoc auditorio dignum; si quid habent, quod sibi sperent praesidio atque adjumento futurum. Generale concilium, inquiunt, papa dignius atque superius est. Quod eum judicat si aut haeresim sapit, aut schisma nutrit, aut universalem scandalizat ecclesiam. Ceu Constantiae definitum, ac Basileae comprobatum est. *Si* (*mmm*) ita. Nolumus hoc disputationis ingredi pelagus, neque hos grypos aggredi Anceps quaestio & in utramque partem a prudentibus viris *arbitratum est* (*nnn*) Utcumque sit, constat uno solum casu certum, & indubitatum papam subesse concilio. Nam si quis in apostolatu sedens in haeresim labitur, mox papatu excidit, minorque redditur quolibet Christiano, nec jam papa dicendus est, si schismaticus est, aut eodem morbo laborat, aut in papatu est dubius. Certus autem atque indubitatus pontifex, ut Constantiense decretum innuit, nunquam deferri concilio potest, nisi universalem ecclesiam scandalizaverit; quod tunc fieri videretur, cum multi ex diversis mundi partibus conquererentur; idque posset accidere si papa (8) *vel sacerdotibus uxores restitueret, vel judicium sanguinis committeret*, vel novum ritum non placentem communitati fidelium introduceret. Nihil autem horum nunc agitur. Non est igitur concilium papa majus, neque appellationi est locus. Nec moveri debemus si diebus nostris etiam in minoribus causis & ad Constantiense, & ad Basiliense concilium vidimus appellari. Nam quae fiunt extra ordinem, intempestive, temere, tumultuarie, neque jus pariunt, neque vim consuetudinis afferunt. Inter episcopos, caeterosque patres conscriptos vidimus in Basilea coquos & stabularios orbis negotia judicantes, quis horum dicta vel facta judicaverit legis habere vigorem? Fuerunt & priscis temporibus generalia concilia, nec minus magna, nec minus authentica quam nostra; nec tamen appellationes ab apostolica sede receperunt. Hinc verba Gelasii manant: *Ipsi sunt canones*, inquientis, *qui appella-*

(*lll*) Isti submittunt, atque illi superiorem constituunt, quem constat omnibus esse superiorem.

(*mmm*) Sit

(*nnn*) Arbitrata est.

Can. Ipsi sunt ix. q. 3.

appellationes totius ecclesiae ad hujus sanctae sedis examen voluerunt deferri. Ab ipsa vero nunquam prorsus appellari debere sanxerunt; ac per hoc illam de tota ecclesia judicare; ipsam autem ad nullius commeare judicium; nec de ejus nunquam praecipiunt judicio judicari, sententiamque ejus constituerunt non oportere dissolvi, cujus potius sequenda decreta mandaverunt. Et rursus omnibus episcopis: *Cuncta per mundum novit ecclesia*, scribit idem Gelasius, *quod sacrosancta Romana Ecclesia fas de omnibus habeat judicare, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est; ab illa autem nemo est appellare permissus.* Atque ista cursim de majoritate judicis appellati libasse satis habeamus. Nunc formam inspicere convenit appellationis, ut intelligamus an judex appellatus adiri commode possit.

Can. Cuncta per mundum ead. ca. & quae.

Tria sunt appellationis capita. In primo non informatum papam, & informandum appellant. In secundo vel indictum concilium, vel indicendum. In tertio universalem ecclesiam appellationis judicem provocant. Discutiamus haec. Non informatum papam asserunt: At monitorium docet informatum, atque instructum esse. Aut ergo nescire papam, quae facti sunt, arbitrantur; & ipsa monitorii narratione vincuntur, in quo & manifestus, & notorius explicatur excessus. Aut putant quid juris sit ignorare pontificem; & stulta ducuntur opinione. Nam etsi omnes Romani praesules doctissimo cardinalium senatu circumsepti universi juris exuberantem notitiam habeant, pectus tamen (9) *Nicolai praeter ignorantiam* nihil ignorat; quo neque doctiorem unquam, neque acutiorem illa in sede quempiam sedisse crediderim. Sed advertamus scitam, ac pensiculatam appellationem. Romanum pontificem volunt duorum judicum gestare personam; ejus a quo appellatur, & illius ad quem appellatur. O bone Deus quanti est sapere! Recte competentia! Modificati sunt subtile ingenium! Nunquam ego hos audio, quin doctior fiam; nihil est antiquius quam bonis, ac discretis convivere viris. Verum timeo, si sic pergimus, ne alias quoque personas conglutinemus;

ac non

Digitized by Google

ac non solum appellantem; sed eum quoque, adversus quem appellatur conjungamus, ac papam judicem, reum, actoremque faciamus, atque si libet, testem. Miror si non pallet, aut non erubescit appellationis inventor, corruptor juris, falsus interpres canonum, qui monstra invisa atque inaudita introducere nititur. Appellationem quis aliquando ab eodem ad eundem judicem legislator admisit? Non (ooo) Licurgus, non ipsi decem viri in Graecia missi; non haec responsa prudentum, non edicta praetorum, non plebiscita, non senatus consulta, non principum placita, non (ppp) hominum quorumcumque, vel barbarorum mores admittunt. In civitate fortasse Platonis, quae nusquam reperta est, hoc juris venati sunt aversantes. Ab Aristotelis politia procul hanc dementiam esse non ambigo. Si quis alius hoc affirmare justum praesumpserit, leges, atque canones hunc seminatorem delirum, mentis inopem, stultumque judicant, ac ex coetu doctorum deiiciunt, musis invisum, & literis. Ineptum est igitur primum appellationis caput, quia vitae regimen confundit, ac rem novam inauditam monstruosam introducit, ab omni lege, ac consuetudine reprobatam. Sed adjungunt alterum caput, indictum, aut indicendum concilium appellant. Lubricus hic locus est, incertus, instabilis. Praecipites hinc etiam adversantes dabimus. Monstravimus supra uno tantum casu ab indubitato papa concilium appellandum, neque hunc modo in manibus esse. Irrita est igitur appellatio. Sed concedamus aliquid adversantibus, ineamus benevolentiam, faciamus amicos nobis de mammona iniquitatis. Fateamur aliquid esse verum, quod scimus esse mendacium. Liceat appellare concilium adversus Romani gesta pontificis. Quid tum? victoriam hosti relinquemus? Minime. Quid ergo respondebimus? Audite omnes, oro. Concilium aut indictum, aut indicendum provocant. (qqq) Nemo indictum concilium audivit, neque indictum est usquam. Sed, ajunt, promissum esse regi Franciae concilium in ejus regno celebrandum anno post Jubilaeum exacto; atque cum annus effluxerit, indictum concilium opinantur esse. Sterili

(ooo) Solon, non Licurgus.

(ppp) Jus hominum.

(qqq) provocant. Prima disjunctionis particula falsa est. Secunda ridicula.

rili versant littus aratro, inanesque secant avenas. Nihil heic tritici colligent. In tanto negotio levissimus est qui non re certa, sed opinione movetur, ac rumusculos sequitur, & aniles fabulas. Secundum post Jubilaeum agimus annum, mox tertium, si Dominus dederit, ingressuri, neque indictum accepimus esse concilium. Quis non intelligit affectatam ignorantiam, atque supinam? Ergo non servat regi fidem, replicant adversantes. Falsa calumnia. Non enim absolutè promissum est regi concilium, sed apposita conditione, si caeteri reges atque principes annuerent. At illi magna ex parte contradixerunt. Neque Aragonum, neque Angliae regibus, neque Portugalliae placet in Gallia esse concilium. Ego quoque jussu Caesaris in concistorio publico Romae in fine anni jubilaei hanc celebrationem concilii non fine rationabilibus causis dissuasi. Norant tamen hoc adversarii. Ideo subalternativa loquuti sunt, indictum aut indicendum appellantes concilium. Garruli magis, quam docti syllogismorum captionumque Dialecticarum laqueis confidentes, inanes conflant glorias. Ruent tamen in petra veritatis allisi, neque frugis, neque (rrr) *operae quidquam colligent*. Quod autem nondum est indictum, autpropediem sessurum non est, neque re, neque spe dici concilium potest. Quis adeo stulti, ne dicam perversi, aut odiosissimi est ingenii, qui neque natum, neque nasciturum appellet judicem? Legum latores annum ad prosequendam appellationem instituerunt, ex causa quoque biennium. At nostri prudentes decemnium tribuunt. Asserunt enim decretum esse Constantiae singulis decenniis celebranda fore concilia. Bella res, utilis, pacis altrix atque concordiae! Vocabo in jus, qui me domo spoliavit & agris. Jubebitur adversarius restituere res violenter ablatas. Appellabit concilium. In decennium me suspendet. Quis litium finis? Quis decennium expectabit? *Labitur occultè, fallitque volatilis aetas*. Graves expensae, vita brevis, mille genera mortis appellanti donabunt litem. Sed quid mora decennii gravor? Vereor ne viginti, ne centum anni fiant, priusquam concilium celebretur, cujus indictio pro

(rrr) Neque opere pro be reperti; nam qui cōcilium appellari permittit, aut sedens designat, aut propediè sessurum. Quod autem non dum est indictum, neque sedet, neque sessurum est, neque re

pro rerum & temporum conditione ex Romani pontificis pendet arbitrio. Credo nostros adversantes imitari Areopagitas voluisse, qui dubium & inextricabilem casum missum ad se ex Asia, cum non viderent quo pacto solvere possent ac sententiam ferre, & accusatorem, & reum remiserunt jussos post centum annos ad se reverti. Nec me movet quod jamdiu Basiliense concilium asserunt dissolutum, ac novi tempus instare, quod ultra decennium differri non debet. Nam si Romanam curiam advertunt, *dum* (*sss*) lapsum est decennium, & stultum est terminum, qui praeterierit, expectare. Sin Sabaudiensibus aures adhibent, iniqui sunt, qui concilia singulis decenniis cogere volunt, (10) *quando in annos viginti producunt concilium*. Deus labori mortalium dies, quieti noctes indulsit, & quamvis disparibus currant horis, anno tamen elapso, non minus noctis, quam diei tempus effluxit. Quis non ecclesiae quoque tempora partiatur, & aliud conciliari exercitio, aliud otio sine concilio tribuat? Moderatos esse labores oportet, ac rebus & tempori universa congruere, quod Romani pontificis arbitrio constat esse commissum. Sed utinam jam concilium sederet, aut sicut Domini nostri desiderium est, prope dies sedere posset. Nullos magis sancta synodus insequeretur quam somniatores istos, calumniarum & appellationum delusoriarum inventores plecteret, impiam mentem & brachium perversitatis effringeret; silentium sceleratis imponeret vocibus, & iniquas machinationes everteret, ostendens quia contra sacros canones impie agere impune non cedit. Appellatio, quae ad concilium interposita est, ut audistis, explosa est, nec illa manebit, quae universalem implorat ecclesiam. In qua re nescio, Sophistae nostri an fonte labra proluerint caballino, aut in bicipiti Parnasso somniaverint, qui soliti de cursu dumtaxat asini, ac fortis disputatione fabulari, tam repentè jurisconsulti prodierunt. Auscultemus verba, examinemus sensum. Universalem appellant ecclesiam. Quid est hoc quod vocant ecclesiam? Non parietes, ut arbitror, hoc nomine, neque tecta templorum accipiunt, ut vulgus intelligit; sed convocationem fidelium sumunt.

[sss] Dia

Digitized by Google

In hac vero, & magni & parvuli, & viri, & mulieres, & clerici, & laici continentur; Haec ab initio suae nativitatis, quia parvus erat fidelium numerus, potuit aliquando simul esse uno in loco. At postquam aucta est fides, & in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terrae verba eorum, nusquam tota convenit. Sed coeperunt haberi conventus plurimorum, in quibus, quia majores *asserunt*, (ttt) existimati sunt universalem ecclesiam vel repraesentare vel facere, & quaecumque illi sanxerunt universalis ecclesiae constituta dicuntur. Verum conventus hujuscemodi, qui rite convocati sunt, nihil aliud, quam generalia concilia dici possunt. Aut ergo nostri adversantes ecclesiam pro concilio nominant, & ad secundum appellationis membrum repedant, leves, futiles, & importuni (uuu) alternativam inter eadem locantes negotia, quae solent diversa conjungere; aut revera ecclesiam ipsam per orbem dispersam, fide tamen unitam atque connexam intelligunt, & nihil puerilius, nihil est quod videri possit amentius. Nam quomodo haec appellationis causam examinabit, quae nec adiri potest, nec audire, nec audiri? O bene consulta consilia! Perdius atque pernox inter libros versatus est callidae hujus appellationis inventor, praestabilis homo sapientiae! Pensiculatius tamen, ut arbitror, & circumspectius ad extremum judicium appellasset. Ceu nonnullos egisse accepimus, qui capitalem sententiam passi adventum magni judicis vel truncati expectant. Forsitan, & ipsum Deum, stellato qui sedet solio & mundi fraena gubernat, appellationis judicem constituisse praestabat; nam papâ nullus hunc dubitat esse majorem. Potuisset hic e vestigio virum aliquem mittere, qui suo ex imperio causam discussisset, ceu Danielem puerum contra senes excitavit, Susannam falso damnantes. At isti magis armis, quam Deo fidentes ecclesiam appellant, quae neque simul potest convenire, neque judicem deputare, qui litem definiat. Atque sic ex omni parte manci deficiunt, quando & sine causa non gravati, neque oppressi appellant, (xxx) qui vel ipse est a quo appellatur, vel nusquam est, vel si est, adiri non potest, & ap-

(ttt) assuerunt

(uuu) importuni loquutores

(xxx) appellant; & ab eo appellant a quo nulli fas est appellare; & ad eũ appellãt qui

& appellationem dubiam, incertam, obscuram, ineptamque faciunt.

Complures heic, ut conjector, adversum me murmurant, qui jussiones Apostolicas appellationi subjectas inficior. Si hoc verum est, inquiunt, injuste quam multos opprimi continget. Si causam percunctabor; quia homo est, dicent, Romanus Pontifex, & falli potest, & fallere. Verum hoc ego in quovis Principe dicam. Sed ut temporalis domini ferimus jugum, nec dirigimus brachia contra torrentem, nec appellare *permittunt*, (yyy) sic apud spiritualem dominum gerendum affirmo. Quot sunt Principes, qui suos subditos; quot civitates, quae suos cives prohibent appellare? Quae ratio vetat hos, aut illos provocare? Ne lites, inquiunt, immortales fiant. At haec ratio tanto fortior est apud Sedem Apostolicam, quanto majores ad eam causae devolvuntur, super Episcopatibus, super Principatibus, super Regnis atque Imperiis, quorum controversiae nisi celerius sopiantur, bella suscitant, & mortalia in populis praelia. Quod si errant aliquando reges, injurianturque subditis, nec resistitur, quia majus timetur incommodum, & minora mala majoribus praeferuntur; cur non Papae quoque tolerabitur error; qui tanto rarius est ab illo Romani culminis throno timendus, quanto maturius illi Sedi consulitur? Regale solium quod successioni cedit, nonnunquam indocti, atque dementes occupant. In Apostolica Sede qui praestantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, in quo nihil sapientiae, nihil scientiae, nihil industriae desit, sacri Senatus discussione eligendus collocatur. Quod si desunt aliquando acquisita per meritum, sufficiunt quae *loci meritum* testantur (zzz). Nimirum igitur sancti Patres spiritu veritatis impulsi ab hujus Sanctae Sedis appellari judicio vetuerunt, in qua Princeps sedet, & caput omnium Ecclesiarum. Hinc illud Innocentii: *Nemo judicabit primam Sedem, justitiam temperare desiderantem; neque enim ab Augusto, neque ab omni Clero, neque a Regibus, neque a populo judex judicabitur*. In gestis autem Bonifacii martyris scriptum est, & inter decreta re-

(yyy) *permittimur*

(zzz) quae a loci praecessore testantur

Can. Nemo judicabit xi. q. 3.

Can. Si Papa 6. Dist. xl. relatum: *Nulli fas est primam reprehendere sedem, etiamsi catervatim Romanus Praesul innumerabiles populos secum traheret in gehennam, quia cunctos ipse judicaturus a nemine judicandus est, nisi deprehensus fuerit a fide devius*. Instat quispiam: at homo est. Hunc atque illum non digne opprimet. Malum hoc esse quis neget? Si malum, cur non malum appellatione submoveam? Respondeo, ne gravius feras malum. Duo sub Principe *litigabant* (aaaa); quaero abs te, an illos esse invicem amicos censes? Dices; si se diligerent, lites dirimerent. Ergo se oderunt. Non negabis. Quid esse Principi ergo illos (bbbb) existimas? Nihil mali scies. Interroga iterum, Principem ne litigantium alterum verisimiliter oppressurum, an illos inter sese invicem oppressionem quaesituros judicabis? Dices nisi desipis, illud dubium, hoc certum. Nam litiganti supplantare collitigantem unicum studium est. At qui sententiam Principis appellationi subiicit, victorem victo, adversarioque submittit, *quia* (cccc) nec vitae suae, si possit, ignoscat. Qui verò appellationem aufert, arbitrio Principis subditos addicit, quem veluti patrem sperare benignum, & suis affectum juribus debent. Quod si cui jus, & a quavis sententia, & a quovis judice provocare licebit; quid aliud erit, quam indulgere omnibus, ut aliena invadant, rapiant, spolient, qui potentiores sunt omnia tollant, qui minus habent virium serviant, jaceat justitia, judicium dormiat, sileant leges inter arma, & ad id tempus revertamur, in quo mortales fuerunt, antequam Reges crearentur seu jura conscriberentur, quando brutorum more viribus homines, non ratione certabant? At hoc non expedit Reipublicae, neque communem servat utilitatem. Non est igitur justum, neque appellatio justitiae pars dici potest, quae communi bono adversatur, qualis est ab Austrialibus interposita, qui sacrosanctam Apostolicam Sedem, summumque orbis Senatum, in quo mundi lumina resident, minoris auctoritatis existimant, quam Viennensem consulatum, quem licet boni viri, tamen indocti, atque ignobiles regunt, quando ab illo probant, ab hoc negant appellationis esse remedium. Cae-

(aaaa) litigant

(bbbb) illos animi

(cccc) qui

Google

Caeterum jubentibus Imperatorum legibus, ac sanctorum Patrum decretis appellatione pendente nihil esse innovandum constat, atque hoc appellanti potissimum incumbit. Videndum est, an Austriales a novitatibus abstinuerint, & an legi paruerint, qui legis auxilium quaerunt. Notorium est quod dicam, non tanquam suspenderit, sed tamquam sustulerit appellatio monitorium. At non velut prohibiti, sed velut jussi bellum gerere, sic Austriales se habuerunt. Nam exhibitore monitorii comprehenso, & affecto contumeliis, in carcerem conjecto, mox arma sumpserunt, indicentesque bellum, Caesarem, ut eorum verbis utamur, diffidaverunt, atque ad inferendum damnum priores egressi sunt, nolentes addere moram sceleri, aut metiri quod auderent. O caeca nocentium consilia! O semper audax, semper timidum scelus! Si nihil obligat Austriales monitorium; cur festinant includere bajulum? Si appellationi confidunt; cur novitates inducunt?

Sed procedit ulterius contumacia, atque ad excusandas excusationes in peccatis ex sacris literis, quae non capit, exempla perquirit. Asina, inquit, Balaam cum nimis urgeretur, restitit, atque in vocem miraculose prorupit, licere populis indicans duriora praelatorum imperia refutare. Et Paulus Apostolus in faciem Petro sese asserit restitisse. *AEquanimiter etiam laturum sese* Romanus Pontifex asserit, *si quis ejus mandato non paruerit, quod sine scandalo adimpleri non poterat*. Et iterum: *Aut mandatum*, inquit, *nostrum diligenter adimpleas, aut per literas tuas quare adimplere non possis rationabilem causam praetendas*. Quibus exemplis volunt adversantes non errasse Austriales Summi Pontificis monitorio resistentes. Sed absunt a vero sensu, sacrisque codicibus & canonibus abutuntur. Asina enim non suo consilio, sed Dei jussu, & angelica suggestione sessoris imperio restitit, significans Deo magis, quam Praelatis parendum. At cum nostri Austriales adversus Apostolicam monitionem nullam divinitus acceperint jussionem, non latet eos contumaciter restitisse, poenamque mereri. Nec Pauli se possunt exemplo tueri, cum ille in re fidei

Pe-

Digitized by Google

Petrum arguerit, quia non ambulabat ad veritatem evangelii; nihil enim tale nunc geritur, nec Austriales quicquam est comparandus Apostolo, cui revelata sunt secreta coelestia, qui ascendit ad tertium coelum, & vidit arcana Dei, quae non licet homini loqui, magister gentium, praedicator veritatis in universo mundo, par Petro in honore, & in passione socius. Quod vero de Romanis Pontificibus addunt, id, qui sapiunt, caute, solicite, ac religiose suscipiunt, nec locum habere affirmant ubi mandatum ex certa scientia, atque causa cognita processit, ceu verba ipsorum Pontificum manifestant. Nam cum patienter sustinere se dicit, si factum non fuerit, quod prava sibi insinuatio suggessisset, indicat se, cum praeciperet, non pleno cognovisse negotium. At monitorium nostrum, ut ante docuimus, discussis ac cognitis plenissime rebus emanavit. Alioquin corrumpitur, atque dissolvitur officium omne superiorum, si quis ad id quod facere jussus est, non obsequio debito, sed consilio non deliberato respondeat, & plus sapere velit quam sit necesse. Quamquam longe diversus est casus noster, in quo Austriales non solum non implevere mandatum, sed contempserunt, & abjecerunt, & quod erat omnino contrarium expleverunt, ac si religio sit quod Romana Sedes imperat, ejus oppositum observare. Adversus quos Adrianus Papa in hunc modum scribere invenitur: *Generali decreto constituimus, ut execrandum anathema fiat, & velut praevaricator fidei catholicae semper apud Deum reus existat, quicumque regum seu episcoporum, vel potentum deinceps Romanorum Pontificum censuram in quoquam crediderit, vel permiserit violandam.* Quas ob causas intelligere jam omnes qui adsunt praesentes, arbitror, injustas atque iniquas esse illorum querelas, qui consulentes Austrialibus, & illorum facta probantes Sanctissimi D N. Nicolai monitiones accusant. Qui cum sint quasi culpabiles & magna digni correctione, Apostolicae Sedis sancta decreta calumniantur, violatores legum, contemptores canonum, corruptores Evangelii, & omnis honestae consuetudinis perversores, quos ab Ecclesia repellendos, nisi

Can. Generali XXV. *q.* I.

nisi resipiscant, & humili confessione peccata deplorent, nullus jurisperitus ignoscat. Nam qui luporum feritatem praeseferunt, qui canum rabiem imitantur, quibus est venenum lethale serpentum, & omnis cruenta saevitia bestiarum, nullo pacto sunt in Ecclesia retinendi; sed excludi, abscindique debent, ne columbas, ne oves Christi, saeva & venenata contagione praedentur. *Eant, eant igitur hujusmodi pestes hominum, & relinquant collegium Christianum haeretici perversores, quando conjungi, & cohaerere non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluvia cum serenitate, pugna cum pace, cum foecunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas*, ut Cypriani facundissimi viri, & gloriosi martyris est sententia.

Ac tantum adversus maledicta, & malefacta nostrorum adversariorum loquutum esse sufficiat. Caeterum cum monitorium Apostolicum perspicuis ac manifestissimis rationibus sit defensum, quod super rebus ad Romanam Sedem pertinentibus adversus delinquentes, & notorios malefactores etiam auditos emanavit, cum appellationem interjectam nullo jure subsistere posse monstraverimus, cum multis in rebus Austriales peccavisse sit dictum; exposcit tempus, ut quod ultimo loco de Romani Pontificis domini nostri Sanctissimi Nicolai V. desiderio & intento promisimus in medium afferamus. Quod gravissimo, & ornatissimo conventui nostro benignas aures *adhibet* (*dddd*) palam, succincte, ac brevissime faciam. Quamvis offensus horrendis maledictis, compellationibusque probrosis jactatus sit Dominus noster clementissimus, non tamen ultionem expetit, cujus memoria praeter injurias, quidquid accepit, tenacissime servat; sed illius vestigia sequens, cujus vices in terris agit, peccatoris conversionem, non mortem appetit. Duo sunt *quae ad vestram* (*eeee*) congregationem hortatur intendere. Alterum est ut componendae paci operam detis; alterum ut Austriales commoneatis, ut Apostolicam Sedem more majorum suorum veluti matrem & magistram veritatis cum digna reverentia prosequantur, humilitatem pro superbia, devotionem pro bla-

(*dddd*) adhibente

(*eeee*) ad quae vestram

Digitized by Google

blaſphemia, obedientiam pro contumacia rependentes. Intellexit pietas Apoſtolica inclytum Regem Ladislaum, quamvis adhuc impuberem & annis tenerum imperatoriae majeſtatis tutelam exiviſſe, atque in aliorum veluti regnaturum veniſſe manus. Res adhuc turbidas eſſe, ac non ſimultates modo, ſed odia videri aperta inter Caeſaream *Serenitatem* (ffff), & eos quorum conſilio Rex Ladislaus regitur; idque moleſtum eſt ac acerbum Domino noſtro, qui ex odiis bella, ex bellis infinitas oriri calamitates noſcit. Cupit ergo veſtrum eſſe ſtudium, veſtramque curam, ut omnem diſcordiae fomitem amoveatis, pacemque componatis, *quia* (gggg) nihil eſt illi mundanae machinae motori, atque rectori, quod vel in terris vel in coelis fiat acceptius, qui nec locum habitat niſi pacatum, dicente Propheta: *Et factus eſt in pace locus ejus*. Maximè autem eo diligentiam ferri, atque intendi veſtram hortatur, ut res quas in hac conventione ſuſcepiſtis agendas, ita ordiri conemini, atque contexere, quod Imperator Regi, & Rex Imperatori indiſſolubili caritatis vinculo reconcilietur, ut inde paterna dilectio, & hinc filialis affectio ferveat, tantumque ſe invicem obſervent, ut proximitatis & ſanguinis jura, amoris & benevolentiae ſuperentur officiis. Quae res, ſi veſtro conatu peragantur, ut ſperandum eſt, uberes Chriſtianae Reipublicae fructus parabunt, cum nihil magis Chriſtianitati conducat, quam regnum illud Hungariae, quod pro muro contra Turcos fideles habent, & imperium quod eſt regnorum caput, & *culmen* (hhhh) mutuis ſeſe obſequiis ac beneficiis ſuperare contendant. Quo in negotio ſi quid eſt quod Sedes Apoſtolica aut opis, aut operis impertiri poſſet, id promptum paratumque offert. Cui prophetica ſemper in oculis eſt praeceptio: *Declina a malo, & fac bonum, inquire pacem, & perſequere eam*. Cui non ſufficit pacem quaerere, niſi inventam fugientemque omni ſtudio perſequatur, ſciens quia magiſter & Dominus Salvator Chriſtus, cum in terris ageret, nullum majus quam ferendae plantandaeque pacis ſtudium habuit; quo naſcente, quo praedicante, ac ſecundum carnem moriente, ſemper annunciatam no-

vi-

(ffff) Majeſtatem

(gggg) qua

Pſ. 75. 3.

(hhhh) columen

Pſ. 36. 27.

Digitized by Google

vimus pacem, cujus nomine nihil dulcius, qua re nihil jucundius, aut salubrius inter mortales inveniri potest. Quae licet nonnunquam difficulter obtineatur, obtenta tamen charius, ac diligentius possidetur. Complurima de bono pacis afferre possem; sed omnia norunt prudentissimae atque oculatissimae dignitates vestrae, quae in dies res parvas concordia crescere, dilâbi magnas discordia cernunt. Quibus autem modis componi lites omnes, ac refrigerari ferventes ira animi possint, scientibus supervacuus est labor exponere; nec suis est docere Minervam.

Transeo ad secundum Sanctissimi D. N. optatum, quod praelatos praecipue, virosque doctrina pollentes inspicit, quales esse quamplures in hoc auditorio non est dubium. Vos igitur, vos, inquam, juris ac sacrarum literarum interpretes, vosque mundi lumina, vos qui lucernas ardentes tenetis in domo Domini, quae est Ecclesia, vos ad innocentiam simplices, & cum simplicitate prudentes, vos apostolica magnitudo requisitos oratosque facit, ut sollicito corde Austriales commoneatis, ne jussiones Apostolicas respuentes, Ecclesiae claves irrideant. Quoniam si Christiano censeri vocabulo cupiunt, si sapientiam Dei Patris sequi Filium volunt, Evangelio necessario credent, quod Petrum Ecclesiae Pastorem constitutum voce Salvatoris edocet, & animas ligandi atque solvendi Pontificium accepisse. Quod autem de Petro, idem de successoribus ejus sentient si Regni aeterni & haereditatis Christi optaverint esse participes. Quia non ad unam solam personam vicariatum suum extendit Dominus, sed gradatim per vices electionis usque ad finem mundi propagavit dicens: *Ego vobiscum sum usque* Mat. XXVIII. *ad consummationem saeculi*. Hinc Hieronymus ad Dama- 20. sum Papam scribens: *Cum successore piscatoris*, inquit, *& cum Discipulo Christi loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, idest Cathedrae Petri communioni consortior. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noe arca non fuerit, peribit regnante diluvio*. Quod si haec Austriales suopte in-

genio non capiunt, instruite illos in caritate non ficta, atque commonitos facite, ne his auscultent qui resistendum Apostolicae Sedi consulunt, & alios rebellantes in exemplum adducunt: Erimus nos, sicut & caeteri qui Romani Pontificis auctoritatem ignorant. Quibus vocibus nihil esse aut sceleratius, aut periculosius potest. Quod si neque rationibus, neque sacrorum canonum vinci auctoritatibus possunt, exemplorum saltem copia moveantur. Omnes enim, qui ab initio nascentis Ecclesiae, in hanc usque diem apostolicae sublimitatis impugnare conati sunt eminentiam, in ruinam cum Lucifero dati clades maximas inciderunt. *In Oriente*, sicut Hieronymus ait, *Lucifer ille qui ceciderat, super sydera posuit thronum suum, ubi obruta sulcis frumenta inlolium avenasque degenerant*. AEgyptus, & Libya, dum Christum qui Romae praedicatur audire contemnit, Pseudo prophetam Mahumetum admittit, & sequitur ad infernum. Graecia, dum superbit ac Romanae majestatis primatum negare praesumit, servire Turcis cogitur, & hostibus Christiani nominis tributum pendere. Quid regnum Bossinae referam omnibus gentibus despectum, atque invisum? Quid profuit in Bohemia nonnullorum temeritas, qui dum Romanam Ecclesiam insequuntur, se ipsos conterunt, ac florentissimi regni non opes solum sed templa sanctorum, ac aedes & palatia nobilissima dominorum evertunt? Qui dum nolunt Archiepiscopi & aliorum Praelatorum jussionibus subiici, turpissimorum apostatarum Procopii Rasii, & Petri cujusdam Anglici tolerare jugum coguntur, atque illos habere praepositos, quos vix stabuli aut popinae famulos antea recepissent. Advertant hoc, & contremiscant qui Romanum Pontificem sacrumque Collegium insectantur, de quibus Hieronymus: *Apud vos*, inquit, *solos incorrupta patrum servatur auctoritas*. Et iterum: *Vos estis lux mundi, vos sal terrae; vos vasa aurea & argentea*. Et iterum de Papa: *Quicumque non colligit tecum, dispergit*. Nec sibi blandiantur dicentes: Si Romanam Ecclesiam reliquerimus, male illi erit, multi deficient, pauci eam sequentur; nam quamvis dolet Ecclesia de perditione

Epist. xv. nov. edit.

Hieron. ibid.

ovium,

ovium, cum tamen incurabiles sunt, suopte ingenio morbidas oves extra septa propellit, ne morbida facta pecus totum corrumpat ovile. *Nemo existimet bonum virum*, ut Cyprianus tradit, *ab Ecclesia posse discedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subvertit. Inanes paleae tempestate jactantur. Invalidae arbores turbinis incursione evertuntur.* Sciant qui volunt ab apostolico secedere fundamento, se debiles arbores, & viles paleas esse, igni rapacissimo celerrime comburendas; & quamvis sequaces habeant, non tamen minus ardebunt (*iiii*). Romanus autem praesul cum Joanne Apostolo dicet: *Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis. Oportet*, inquit doctor gentium Paulus: *haereses esse, ut probati manifesti fint in nobis*. Nam sic probantur fideles, & infideles deteguntur. Sic etiam ante judicii diem heic quoque justorum atque injustorum animae dividuntur; Ecclesia tamen in suo splendore integra perseverat, pura, candida, ac Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigens. Unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Qui sunt qui dicunt: Ab Ecclesia recedamus? Avelle radium Solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit. At qui relinquunt Ecclesiam vivificationis amisso spiritu, Deo, & Angelis ejus e vestigio moriuntur. Ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit. A fonte praecide rivum, praecisus arescet. Eligant igitur Austriales, an cum Romana salvari Ecclesia velint; an perire cum persecutoribus ejus. *Elegi abjectus esse in domo Domini*, canit David, *magis quam habitare in tabernaculis peccatorum*. En solidam & inconcussam fidem. En virum juxta cor Domini repertum, mendicare inter bonos, quam inter malos abundare mavult. Quid Austriales agant, quibus cum veritate manentibus felicitas, cum falsitate recedentibus miseria repromittitur? O exuberantem divinae misericordiae largitatem! O infinitam superni Regis benignitatem! quae sectatoribus suis non futura solum in coelis, sed in terris quoque praesentia & amplissima dona pollicetur, dicente apud Matthaeum Domino: *Beati mites*

Lib. de Unit. Eccles.

(*iiii*) ardebunt, ut Augustini verbum est, quia cum multis ardebunt. Romanus, &c.

1. Cor. xi. 19.

Ps. 83. 11.

Mat. v. 4.

Digitized by Google

Ps. 1. 1. *mites, quoniam ipsi possidebunt terram*. Et virum, *qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit*, beatum esse, & omnia quaecumque agat prosperitatem habitura Regius Propheta confirmat. Et apud Ma-
Malach. III. 10. lachiam: *Probate me*, inquit Dominus, *si non aperuero vobis cataractas coeli, & effundam vobis benedictionem usque ad abundantiam; & increpabo pro vobis devorantem, & non corrumpent fructum terrae vestrae, nec erit sterilis vinea in agro, & beatos vos dicent omnes gentes*. Vos ergo patres fide ferventes, qui scripturarum integram habetis notitiam, & incorruptos sapientiae haustus ebibitis, scientes quia Deo animam, mundo famam, proximo curam, patriae honorem, imperio reverentiam, Romanae Sedi fidelitatem debetis, omni studio & officio vel uno hoc opere satisfacietis, si ex desiderio Summi Pontificis D. N. Nicolai V. quod jus, quod ratio, quod veritas praecipit Austrialibus praedicantes, sic nobilitatem & plebem instruxeritis, ut pertinacia dimissa, salutis suae cupidi ac soliciti Sacrosanctae Romanae Sedis non ultionem timere, sed sperare veniam mereantur.

NOTAE

In superiorem Orationem.

1. Praeceptoribus libellum scripsi. *Excusus est libellus iste in collectione operum Pii II. Basileensi anni 1551. sub hoc titulo*. De liberorum educatione ad Ladislaum Hungariae & Bohemiae Regem. *Sed & in praecedentibus aliis editionibus epistolarum & tractatuum ejus prodierat, ut in Norimbergensi anni 1496. Lugdunensi anni 1511.*
2. Apud Benestiau. *Bohemis Principibus acturis de restitutione Ladislai, ab Imperatore concedenda, indictum fuerat ad Pragam Urbem, sed, lue per Urbem grassan-*

sante, conventus iste ad Benedicti Villam (Benestiau) translatus. Ex Gobelin. Comment. lib. 1. pag. 27. edit. Francofurt. 1614.

3. Ad legitima jura reduxit. *Prae oculis habet hic AEneas factum Eugenii IV. qui ex illegitimo natum concubitu Ferdinandum, Alfonsi Arazoniae Regis filium, legitimum voluit & asseruit. Vide notas ad Orationes Pii in Conventu Mantuano dictas.*

4. Hierosolymam petere. *Idipsum de peregrinatione Hierosolymitana Friderici testatur AEneas in oratione suasoria ad Nicolaum V. ut adjuvet Caesarem, expeditionem in Turcas parantem.*

5. Quae caeteris Imperatoribus portas clausit [*Florentia*] *Huc spectant quae scripsit AEneas in historia gestorum Friderici III.* Florentinos Henrico VII. Ludovico II. Carolo IV. Sigismundoque insidiatos.

6. Germanus Papae Bononiensis, & S. Angeli Cardinales. *Horum alter erat Philippus e Calandrinis Sergianensis, Papae ex eadem parente germanus, Bononiensis Episcopus primo, dein S. R. E. Cardinalis tit. S. Sabinae anno 1448. renunciatus; alter vero Joannes de Carvajal Hispanus Card. tit. S. Angeli, rebus gestis & legationibus clarus.*

7. Arma sumere adversus Polonos. *Post Alberti Regis obitum veriti Hungari, ne sub Ladislao Rege Infante sinistri aliquid regnum pateretur, scissi sunt in partes duas; quarum altera pro Ladislao Alberti filio & haerede stetit; altera Uladislaum Poloniae Regem adscivit. Hinc lites & bella.*

8. Si Papa vel Sacerdotibus uxores restitueret, vel judicium sanguinis committeret. *Basiliensium eruditione Theologorum imbutus tunc erat AEneas, cum haec pro concione dicebat; & quanquam illam expuerat, ea saltem ex parte qua Pontificem submittebat concilio; adhuc tamen concilii in Papam auctoritatem tunc saltem admittebat, si Pontifex aliqua contra receptam Ecclesiae disciplinam attentasset. Haec sedit olim sententia doctoribus omnibus pro Concilio Pisano scribentibus.*

9. Nicolaus praeter ignorantiam nihil ignorat. *Huc faciunt*

Digitized by Google

ciunt ea quae AEneas ipse in oratione de morte Eugenii IV. de Nicolao exposuit: Philosophos omnes novit, historicos, poetas, cosmographos, theologos. Nam & sacris artibus initiatus est. Juris civilis & pontificii notitiam habet, nec medicinam ignorat. Extra scientiam est hominum, quidquid illi occultum est.

10. Quando in annos viginti producunt Concilium. *Sub Nicolao V. Pontifice finis tandem impositus est luctuoso illi schismati, quod Ecclesiam Romanam tandiu afflixit; atque tunc demum cessavit & Concilium Basileense ex Schismaticorum sententia. Quod igitur coactum fuit Basileae Concilium, coeptum anno 1431. anno 1449. cessavit, adeoque ad viginti circiter annos prorogatum fuit. Quin nec anno tandem illo, quo Felix V. insignia supremae auctoritatis deposuit, cessasse Basileense Concilium, Schismatici quidam & turbulenti homines affirmarunt, ut Andreas quidam Dalmata Cyajensis Archiepiscopus, de quo nonnulla in praefatione ad Basileense Concilium in quarto Conciliorum meorum volumine prompsi.*

ORA-

Digitized by Google

ORATIONIS XII.

Argumentum.

Mahometus II. Amuratis filius & Imperii Turcici haeres, Christianorum Principum dissidiis proficiens, nihilque sibi metuens ex Hungaria infaustis quibusdam pugnis cum Turcis debilitata, quaeque tunc rege carebat, potentiae suae nervos omnes intendit, ut Constantinopolim, quae una Turcis ad id usque restiterat reliquis Orientis arcibus fere omnibus occupatis, Imperii Graecanici sedem expugnaret. Malum Christianorum capiti impendens avertere frustra conati sunt Romani Pontifices, Martinus, Eugenius, Nicolaus, quorum voces occupati inter sese Christiani Principes, vel non audierunt, vel neglexerunt. Venit tandem fatale momentum, quo Turca obsessam validissimo exercitu Urbem terra marique, Graecis strenue licet resistentibus, eripuit. Terribili hoc ictu commoti Christiani Principes, Pontifice ad arma clamante, concursum fecerunt, non quidem ad bellum, sed ad indictum ab Imperatore suasu Pontificis conventum Ratisponensem. Venit eo Philippus Burgundiae Dux, qui Turcici belli desiderio supra caeteros aetatis suae Principes tenebatur. Adfuit a Pontifice Legatus Joannes Papiensis Episcopus. Fridericus Imperator, cum in Austria subsistere cogeretur rebus Provinciae illius defendendis adversus latrones quosdam regionem vastantes, per Legatos suos Ulricum Gurgensem, AEneam Sylvium Senensem Episcopos, ac Nicolaum Cusanum Episcopum Card. interfuit. Tunc oratione hac peroratum ab AEnea est, in qua exposito primum sub oculis Constantinopolitanae Urbis excidio, Christianos Principes ad miserandum Christianae rei casum incitat, simul bellum hoc esse demonstrat necessarium, facile, gloriosum. Tanto successu id exactum a facundissimo Oratore,

ut eo audito continuo Philippus Burgundiae Dux, nullo opus esse incitamento alio dixit, quominus expeditio illa decerneretur. Id cunctis visum, simul tamen conventum alium Francofurtum indicendum, in quo belli apparatus destinaretur, militum delectus fieret censuerunt.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO XII.

Habita Ratisponae in Conventu, praesente Burgundiae Duce.



Quamvis omnibus qui adestis, Reverendissimi Patres, Illustrissimi, & Excellentissimi Principes, & Praestabiles Domini Honorandi, nota sit causa conventionis vestrae; in literis enim ad unumquemque transmissis exprimitur: quia tamen res maxima est, & universam Christianitatem concernit, propter quam Divus Caesar Fredericus, Romanorum Imperator Augustus, Dominus noster invictissimus, in hoc celeberrimo loco conventum indixit, utile videtur Reverendissimis ac Magnificis Dominis & Collegis meis, Imperatoriae Majestatis Oratoribus, causam ipsam conventionis amplius explicare, & quod sit Imperatoriae Majestatis intentum ad consulendum Reipublicae Christianae in hoc amplissimo Auditorio exponere. Partes autem dicendi, ut cernitis, ad me, qui sum omnium minimus, delatae sunt: qui etsi pareo libenter majoribus meis, in hoc tamen negotio alium meo loco suffectum esse voluissem, qui parem rebus potuisset Orationem habere; sed turpe est contendere, ubi necesse est obedire; vosque pro vestra mansuetudine ac nobilitate, quas mihi negavissetis aures, eas rerum magnitudini concedetis. Ego ut quam brevissime res absolvam, propositionem meam in duas dividam partes. In prima dicam ex ordine, quae causae moverunt Caesarem ad hunc conventum indicendum. In secunda, quae sint commissa nobis in vestro amplissimo coetu tractanda, narrabo. At ne verba in cassum proferam: hinc narrationis initium capiam.

An. 1454. Ex Mss. Cod. Bibliot. Ambrosianae. Integ ã etiam inferuit Aeneas in sua histor. Diaetae Ratisponensis quam ex Mss. Cod. Lucens. in append. hujus Collectionis ego primus evulgo. sed more solito haec secundis curis ab Authore suo reformata est; quare ab illa in verbis & rerum dispositione saepe discrepat.

Cum accepisset Imperatoria Majestas aestate proxime decursa, quae circa Constantinopolim Turcorum ra-

rabies perpetrasset, ingenti moerore affecta fuit, considerans quantum est & quale vulnus Christianorum Genti esset illatum; est enim amissa Civitas nobilissima & amplissima, quam quondam Constantinus Imperator, ut refert Eusebius Caesariensis, jussu Domini Salvatoris sibi per somnum apparentis ad similitudinem & aequalem excellentiam Romanae urbis erexit; ubi Orientalis Imperii solium & Patriarchalis Sedes longo tempore floruit, illic occisus est Imperator Constantinopolitanus ejus nominis ultimus. Mirabile dictu, ut in eo nomine Graecorum Imperium sit extinctum, in quo sumpsit initium. Nobilitas urbis gladio caesa est, Religiosi, Monachi, Sacerdotes suppliciis afflicti crudelissimis; Sacratae Virgines ad libidinem raptae; matres familias ac puellae passae, quaeque victoribus placuerunt; mares impuberes in complexu parentum necati; animarum infinitus numerus in captivitatem ac perpetuam servitutem deductus. ***Quis talia fando temperet a lachrymis?*** Horresco talia referens.

Constantinus Paleologus.

Sed quid dicam de magnificentissimis illius urbis Ecclesiis, quarum aliquae incensae aut diruptae fuerunt, aliae deletis imaginibus Christi Domini nostri Jesu ac Sanctorum ad spurcitiam Mahumeti prophanatae sunt? Reliquiae Martyrum & aliorum piorum, jam cum Christo regnantium, quae fuerunt in illa Civitate pretiosissimae, in lutum projectae & conculcatae a porcis, aut traditae canibus narrantur. O maximam atque intolerabilem ignominiam Christianae Gentis! Nullum, arbitror, pectus esse Christianae gentis hominis, qui hoc audiens non commoveatur atque ardeat ira; nullum esse fidelis hominis oculum, qui non gemat; & quidem Caesarea Majestas hoc intelligens non potuit non vehementissime dolere. Huc accedit, quod locus ille Constantinopolis situm habet nobilissimum, & ad nocendum Christianitati aptissimum, adeo ut non unam classem, sed infinitas pene naves capere possit, neque toto Mediterraneo mari situs est ad infestandum omne pelagus magis idoneus; jacet enim supra Propontidem, ita ut neque de Ponto Euxino, quod hodie Mare majus appellant, in Pelagus Jo-

Jonium, quod nunc Archipelagus nominatur, neque vice versa ex hoc in illud invitis Constantinopolitanis transitus esse possit; sunt enim angustiae freti per Bosforum Thraciae & per Hellespontum, quod brachium Sancti Georgii nostri vocitant, in potestate Turcorum. Nec jam merces ex Thanai, si nolunt Turci, ad nostros meare possunt. Facile modo facultas Turcis est classem in portu Constantinopolitano parare, cum qua cunctas Insulas Archipelagi devastent, aut sibi subiiciant; Quarum jam plerasque invasisse, atque obtinuisse memorantur. Turcorum autem Princeps, ut fama fert, ut quam certissime referunt, qui ejus facta cognoscunt, auctus animo ex acquisitione tantae urbis, nequaquam se otio, aut inertiae tradit. Sed majora mente cupiens exercitus copiosissimos, classesque maximas parat eo proposito, ut amplius atque amplius Christianitatem mari ac terra invadere possit, existimans Christianum nomen funditus posse delere. Nesciens, quia Salvator noster cum populo suo usque ad finem saeculi se se promisit esse mansurum. Nec mirum si tumescit, atque insanit illi animus, cum Patris sui, ac suas victorias mente revolvit. Scimus Patrem ejus memoria nostra *paucis ante annis bis Christianorum*(1) exercitus non parvos neque contemnendos delevisse. Iste verò de Constantinopolitana victoria & Imperatore Graecorum caeso plurimum se gloriatur, & quoniam eo nomine vocatur, quo Pseudopropheta dictus est, qui sectam firmavit Agarenorum; Mahumetus enim appellatur; ad exemplum illius Christi nomen exosum habet: & quoniam ex quatuor Patriarchalibus Ecclesiis, super quibus velut solidissimis basibus Christiana Fides radicata in totum olim Orbem palmites extendit, jam tres obtinent Mahumeti cultores, Alexandrinam, Antiochenam, & Constantinopolitanam; non dubitat quoniam & Romanam possit obtinere ac Mahumeto subigere. Soletque, ut ajunt, qui ejus acta considerant, inter suos saepe illa verba proferre; cur non ego mihi totum Occidentem armis acquiram, atque summittam, qui sum Asiae, Thraciae, Macedoniae atque Illiryci Dominus, & totius Graeciae; quando Alexander Philippi

cum

cum solam Macedoniam obtineret, totum calcavit Orientem; cum ad triginta & duobus millibus militum innumerabiles fudit exercitus Darii, ac usque ad Indiam penetravit? jactatque se numerosissimos exercitus habere; nec mentitur. Haud enim dubium est quin trecenta, & quadraginta millia pugnatorum in bellum possit educere. Quod si Tartaris, ut fama est, conjungatur, multo plures homines congregare valebit. Quanta verò sit ejus potentia, exinde licet intueri, quia cum sui majores nihil haberent citra mare, saepe tamen maximos, atque innumerabiles exercitus in Europam duxere. Quid nunc is faciat cum Provincias plures usque ad Hungariae metas, & usque ad Dalmatiam occupavit? Et quidem non est spernendus hic hostis, qui animum habet ad bella paratum, qui juvenis est sanguine fervens, qui naturali quodam odio ex insita & innata malignitate, atque crudelitate insequitur Christianos, qui potentissimus est, & jam recenti victoria insolescit, qui multos ex Christianis habet apostatas, ex quibus omnia facta nostra cognoscit; qui nobis vicinus est & aditum habet sive ad Italiam, sive ad Alamaniam patentem per loca propinqua Dalmatiae & Cloatiae. Jam enim Regnum *Bosnae, & Albaniae* (2) regio pro maxima parte illi paret. Haec igitur & alia, quae referre longum esset, considerans Imperatoria sublimitas, nedum utile sed necessarium existimavit praesentem indicere Conventum, ac Reges & Principes exhortari, ut ad restinguendum commune incendium communibus viribus concurrant: etenim quamvis est ille, ut ante dixi, ferocissimus & potentissimus hostis, nihil erit inde sua potentia, si Christianorum vires coëant, si Romani potestas Imperii concors arma capessat; si nobilissimi Germanorum proceres, potentissimae Communitates unanimes cum gloriosissimo Principe Duce Burgundiae, qui adest, ad defensionem fidei consurrexerint. Neque enim aut arma, aut equi, aut currus, aut naves, aut homines desunt Christianis. Sed omnia late nobis meliora, quam illis assunt: neque maritimo, neque terrestri bello pares unquam Christianis fuerunt Turci, quando concordibus animis adversus eos itum est. Possem

sem

Digitized by Google

sem referre [3] *magni Karoli*, Gofredi Bulionii, Corradi III. Ludovici Francorum Regis, Frederici primi, ac secundi Romanorum Imperatorum ingentes, quas de Turcis ac ceteris Infidelibus habuerunt victorias. Sed parco fessis auribus vestris. Illud tantum dico, nunquam passagium generale contra Infideles gestum, quin vestri triumphaverint, *nisi cum inter se ipsos fuere discordes*. [4] Itaque certum est, quia concordantibus Christianis, in cassum ibunt omnes Turcorum conatus, si cum sincera mente & pro causa Christi bellum suscipiatur, amputatis & penitus remotis causis propter quod nobis Deus fortasse iratus est. Cum ergo indixisset Caesarea Sublimitas hanc conventionem, statuerat huc se personaliter conferre. Sed coacta est pro salute & defensione *terrarum suarum domi remanere* (5) ex causis, quas saepe audivistis; non est cur illas repetamus. Noluit tamen hujus Dietae negotia postergari, aut quovis pacto negligi. Misit huc cum pleno mandato, quemadmodum nudiustertius audivistis. Amplissimam habent Domini & Collegae mei potestatem cum Vestris Excellentiis de provisione contra Turcos facienda tractandi & concludendi.

Vide Argumentum hujus Orationis.

Et quoniam hic Conventus indictus est, in quo de re ipsa fiat incoeptio, illud ex parte Majestatis Imperatoriae dicimus ante omnia necessarium esse, ut Divinum auxilium devotissime imploretur, ut fiant opera digna misericordia & clementia Dei; ut quemadmodum peccatis & iniquitatibus nostris offensa est Divina Majestas: ita orationibus & piis actibus venia acquiratur, sine qua nihil est, quod humana potestas valeat explicare. Exhortatur autem Imperialis Auctoritas Reverendissimos Praesules Ecclesiarum Pontifices, & Praelatos, ut in suis Ecclesiis & Dioecesibus commissos sibi populos ad opera pietatis & devotionis invitent, & ipsi per se cum Clero sibi subjecto immaculatas hostias pro peccatis offerant populorum. Quantum autem ad rem principalem attinet, ut Christianae fidei periclitanti succurratur modis debitis, Patribus & Collegis meis commissum est, ut vestra super hoc consilia, & directiones exquirant, vestrumque

que grave & illuminatum judicium audiant, & conferant vobiscum super his, quae vobis visa fuerint opportuna. Ipse autem tamquam Imperator Romanorum, advocatus & protector Ecclesiae, ac tamquam Princeps Catholicus & verae Fidei cultor, suas operas suamque possibilitatem in medium offert, seque promptum ac voluntarium exhibet ad exequutionem omnium illorum, quae in hoc loco pro defensione Fidei, & ad vindicandas injurias nomini Christiano nostro tempore illatas, pro honore Romani Imperii sibi ex alto Dominus concesserit. Illud cum vestris Excellentiis vestrisque prudentiis per nos commemorandum esse ac suadendum commisit, ut attendentes quanta immineant Christianitati pericula, quantum in Oriente fideles Christiani sint oppressi; quantum in Graecia nomen Christi blasphemetur; quantum jam Mahumeti perfidia creverit, quae jam nos in angulum Europae coarctavit, hinc Hungaros, inde & Hispanos premens: Et quomodo Sacrum Domini Sepulchrum ab inimicis Crucis possidetur considerantes, & zelum domus Dei induentes, consilium hic & conclusionem recipiatis, per quam non solum defendi quod superest Christianitatis, sed etiam tunc recuperari valeat quod, proh dolor! est amissum.

Neque ullo pacto hinc recedere velitis, priusquam opportuna conclusio fiat. Neque rem tam necessariam in tempus aliud proferendam quisquam existimet, ne dum nos in deliberatione persistimus, hostis in expeditione consurgens, damnis nos afficiat gravioribus: existimat enim sublimitas Imperatoria valde damnosum atque periculosum esse, hunc Conventum sine laudabili conclusione dissolvi. Intelligens enim adversarius noster consilia nostra, & animum sumet ferociorem. Neque enim dubitandum est, quin exploratores habeat, quaecumque inter nos aguntur sibi manifestantes. Christiani quoque qui vicini sunt Turcis, & nostra auxilia praestolantur, mentem bonam amitterent, & amissa spe praesidii cum hostibus se componerent. Hungari, qui sunt potentissimi, & a multis annis non sine grandi effusione sui sanguinis, murum se pro nobis contra inimicos nostrae Religionis obtu-

Digitized by Google

obtulerunt, *quique modo inducias cum Turcis habent* (6) intra breve tempus expiraturas. Si quovis pacto sentiant hanc Congregationem sine fructu dissolutam, ampliores cum Turcis amplectentur: neque cum voluerimus eorum uti auxiliis quovis modo poterimus. Neque hoc sine fundamento dicit Imperatoria Majestas; nam paucis diebus antequam ab ea recederemus, miserat sua Sublimitas Oratorem ad Joannem Hungariae Gubernatorem, magnum virum, & apud Turcos formidatum, ut perconctaretur ab eo si quas ex Turcis novitates habuisset. Ad ea respondit Joannes: Turcorum Dominum magnos belli apparatus facere; neque unquam tam numerosas habuisse copias, quam nunc habere proponit, personam ejus esse in Andreopoli; exercitus autem apud Sophiam in Bulgaria congregari, Tartarorumque Gentem jam sibi foedere junctam affirmari. Interrogatus autem an Hungari vellent contra Turcos insurgere, si & Alamanni & ceteri concurrerent: nihil aliud optare dixit Hungaros, quam refellere & retundere Turcorum insolentiam, promptissimosque Hungaros & seipsum cum omni potentia sua in persona propria contra Turcos arma capessere, si modo aliorum Christianorum concurrere exercitus intelligant. At si videant Christianos Reges & Principes torpescere, nequaquam velle Hungaros tantam belli molem sustinere, in qua se videant manifeste succubituros, sed accepturos conditionem, quam jam sibi Turci offerant, daturos eis transitum quem petunt; quod an sit in utilitatem Christianitatis ipsi Reges, & Principes viderint. Hoc significavit Joannes Imperatoriae Majestati; ex quibus liquet manifeste quod nisi in hoc loco laudabilis conclusio fiat contra Turcorum conatus, timendum est ne Hungari cum illis se componant, & res Christianorum multo deteriores reddantur. Atque his ex causis apprimè necessarium videtur Imperiali culmini absque ulteriore mora conclusionem hanc captari, per quam universi consolationem recipere possint, qui vicini Turcis eorum potentiam atque superbiam formidant. Datum est autem a Deo quod lites Italiae compositae sunt; nam & Sanctissimus Dominus noster & clarissimus ille

Aragonum Rex cum Venetis & aliis Italiae Principibus de classe maritima adversus Turcos pro communi salute, ut est verisimile, providebant. Rex autem Franciae Christianissimus, suorum majorum vestigia sequens, ut ex *Reverendissimo Domino meo Cardinali* (7) superioribus diebus auditis, Summo Pontifici literas dedit, per quas se cum Germanica Natione ad defensionem Fidei concursurum pollicetur; cujus consilium proculdubio plurimum impediretur, si praeteas Congregatio (quod absit) sine expectata conclusione dissolveretur. Vestrae igitur excellentiae, & circumspectiones, quibus offensa fidei molesta est, quod opportunum & melius fuerit consilium amplectentur; atque operam dabunt, ne tantus & tam altus Princeps, qualis est Illustrissimus Dux Burgundiae, de remotissimis partibus, non sine laboribus & periculis pro salute ac defensione Christianae Religionis ad vestros lares vocatu Caesaris frustra venerit; sed ipse potius ad propria consolatus redeat, & omnes qui spem habent in Conventu quem postulant, fructum recipiant.

NOTAE

In superiorem Orationem.

1. PAtrem ejus, &c. *Amuratem II. cujus celebris fuit victoria de Christianis relata anno* 1444 *in pugna ad Varnam Moesiae inferioris Urbem, in qua Christiani fusi fugatique sunt, & Ladislaus Hungariae Rex, dum strenue decertat in confertissimo hostium agmine, a suis desertus, ab ingruentium undique hostium multitudine non tam caesus quam obrutus oppressusque est. Victoriam alteram Amuratis de Christianis eam fuisse credo, quae Turcico Imperio Thessalonicam adjecit. Eam vero non sine insigni Christianorum clade obtinuisse Turcam Chalcondylas asseruit lib.* v. *Annus rei gestae incertus est; alii annum* 1431. *alii alium statuunt.*

2. Jam.

Digitized by Google

2. Jam Bosniae & Albaniae regio pro maxima parte illi paret. *Bosniensium quidem regio assiduis Turcarum incursionibus nedum afflicta erat, sed ita in arctum redacta, ut ducatus melius quam regnum diceretur. Quamvis enim circa hos annos Thomas quidam, Rex Bosniae appellatus, occurrit; id tamen nominis ex pristina ditionis amplitudine potius, quam ex praesenti potestate retentum nomen credo. Profecto Leunclavius in Pandectis Hist. Turc. not.* 141. *anno* 1464. *Regnum & Ducatum Bosniensem desiisse affirmat; id vero haud aliter intelligerem, quam quod anno illo desierit Bosniensis Principatus qui Regnum appellabatur, re tamen vera merus putusque Ducatus erat. Albania variis Regulis parebat, e quibus nonnullos Turca subegerat; restabat ea portio quae Schanderbego Principi subdebatur. Ita enim adnotatum legitur in Annalibus Turcicis a Leunclavio vulgatis ad A.* 1443. Amurates copias in Albaniam duxit & arcem Cotziacum in ditione Joannis occupavit; & universam regionem rapinis exhausit. Albanorum Princeps Iscodarae dominus cum suis cedens aufugit. Itaque Murates magnam regionis illius partem adjunxit imperio suo, Turcarum colonias in illa loca deduxit.

3. Magni Caroli, Gotfredi Bulionii, &c. *Caroli Magni aetate vix in orbe noti erant Turcae, nec nisi ante paucos annos prima militarium expeditionum suarum tyrocinia posuerant Armeniam excurrendo, teste Theophane ad A.* 7. *Nec quidquam deinceps illorum auditum est per longam aetatem. Quae igitur de victoriis Caroli Magni in Turcas hic commemorantur, ad redactos in ordine Saracaenos Hispaniae referre necesse est.*

Victoriae aliae de Turcis relatae sive a Goffredo Bullionio, sive a S. Ludovico Francorum Rege, &c. notissimae sunt.

4. Nisi cum inter seipsos fuere discordes. *Dictum verissime. Fridericus II. Imperator Hierosolymitanam expeditionem infauste absolvit, quod cum Hospitalariis & Templariis militibus gereret inimicitias, & maximam copiarum partem reliquisset in Sicilia, ut negotium fa-*

 cesf-

cesseret Gregorio IX. Pontifici. Quid etiam in causa fuit cur Hierosolymitanum Regnum concordibus Christianorum armis Saracenis ereptum in pristinas infidelium manus iterum rediret, nisi Christianorum Principum dissidia, quibus factum, ut debilitatae regni illius vires potentiae Saracenorum resistere diutius non valuerint? Nota est Comitis Tripolitani perduellio, ex qua Bullioneae familiae regnum ereptum fuit, & in Lusinianos translatum, unde janua patuit Saladino AEgypti Soldano, ut valido immisso exercitu ditionem Hierosolymitanam caedibus & rapinis vastaverit, initoque cum Christianis praelio ingenti victoriam insignem retulerit anno 1190. *Ejus victoriae fructum extitisse ferunt totius Regni Hierosolymitani cum urbibus & munitionibus ad Saracaenos deditio, uno excepto Tyro & Hierosolyma. Sed & haec pariter urbs postrema haud diu post victori Saraceno cessit. Tantum malorum domesticum Christianorum dissidium peperit. Vide Authorem Continuatae Historiae Guillelmi Tyrii apud Martene Vet. Mon. tom.* v.

5. Pro salute & defensione terrarum suarum domi manere. *Causas cur Fridericus domi se continuerit assignat Gobelinus Comment. lib.*1. *pag.* 22. *edit. Francofur. Joannes Hunniades Regnum Hungaricum pro Ladislao puero administrabat. Fridericum tamen regni ejusdem cura tangebat, cùm quod tutorio jure Ladislao adsisteret; tum etiam quod eumdem puerum Regem necessitudine propius contingeret. Invigilandum igitur illi fuerat ne ex Hunniadis potentia pueri imbecillitas opprimeretur, curandumque, ne duorum latronum Gilles & Hautranter Hungariae imminentium arma Regnum illud invaderent.*

6. Quique modo inducia, cum Turcis habent. *Has inducias, de quibus nihil apud coaevos Scriptores legi, tunc initas fuisse opinor, postquam Amuratis copiae cum Joanne Hunniade Regni Hungarici gubernatore infeliciter conflixerunt. Forte enim Turcae eo improspero praelio saniora consilia edocti sunt, cum praesertim tunc Amurates Imperio cedens privatam vitam*

ele-

elegisset, novusque illis & inexpertus esset Imperator Mahumetus.

7. Reverendissimo Domino meo Cardinali. *Gallicam Legationem agebat per annos illos Guillelmus Card. de Estouteville tit. S. Martini in Montibus. Vel igitur hujus viri meminit hic AEnaeas, vel forte designat Nicolaum tit. S. Petri ad vincula Brinxinensem Episcopum, quem conventui huic interesse Imperator voluit.*

ORA-

Digitized by Google

ORATIONIS XIII.

Argumentum.

Altera haec est oratio AEneae pro expeditione in Turcas, expugnata jam Constantinopoli, statuenda. In Ratisponensi conventu sumendorum in hostes illos Christiani nominis armorum, AEneae potissimum opera, consilium coeptum fuerat. Res tamen perficienda in alterum Francofordiensem conventum ad III. *Kal. Octobris ejusdem anni* 1754. *dilata. In hoc igitur Francfordiensi Principum consessu AEnaeas cum Gurgensi antistite, Barmdenburgensi & Badensi Marchionibus, Imperatoris vicibus functus est: eidemque AEneae utpote omnium disertissimo, sociorum nomine orandi data est provincia, iniquissimo plane tempore, cum omnium Principum animum jam decretae expeditionis taedium coepisset. Verum audita ejus oratio pristinum ardorem revocavit; itum est ab omnibus in decretum Ratisponae jam constitutum: assignata Hungaris equitum denamillia, peditum duo supra triginta millia: caetera coram Caesare in festo Pentecostes sequentis anni statuenda censuerunt.*

ORA-

Digitized by Google

ORATIO XIII.

De Constantinopolitana clade & bello contra Turcos congregando.



COnstantinopolitana clades, Reverendissimi Patres, Illustrissimi Principes, caeterique viri genere & doctrina praestabiles, quae Turcorum grandis victoria, Graecorum extrema ruina, Latinorum summa infamia fuit, unumquemque vestrum, ut arbitror, tanto magis angit, magisque cruciat, quanto & nobiliores estis, & meliores. Quid enim viro bono, & nobili magis congruit, quam curam gerere fidei orthodoxae, favere religioni, Christi nomen Salvatoris pro sua virili magnifacere, atque extollere? Sed amissa nunc Constantinopoli, tanta urbe in potestate hostium redacta, tanto Christianorum sanguine fuso, tot animabus in servitutem abductis, vulnerata est miserabiliter catholica fides, confusa turpiter nostra religio, Christi nomen damnificatum nimis atque oppressum. Neque si verum fateri volumus, multis ante saeculis majorem ignominiam passa est quam modo Christiana societas. Retroactis namque temporibus in Asia atque in Africa, hoc est in alienis terris vulnerati fuimus; nunc vero in Europa, idest in patria, in domo propria, in sede nostra percussi caesique sumus. Et licet dicat aliquis ante plurimos annos, ex Asia Turcos in Graeciam transivisse, Tartaros citra Thanaim in Europam consedisse, Saracenos Herculeo Mari trajecto Hispaniae portionem occupasse; nunquam tamen aut urbem aut locum amisimus in Europa, qui Constantinopoli possit aequari. Est enim civitas illa totius terrae, quae commode colitur pene centrum, portumque habet & amplissimum & tutissimum, in quo, non dicam, naves, sed numerosae classes armari sustentarique possunt, atque inde per Bosphorum

Ann. 1454. Edita est inter opera Pii II.

Digitized by Google

rum, hinc per Hellespontum ad omnia Mediterranei maris sive tuenda, sive vexanda littora transmittit. At hic locus tam commodus, tam utilis, tam necessarius, nobis tacentibus, ne dicam dormientibus, amissus Christo Salvatori, lucrifactus Mahometo seductori est. Quid quod ibi ex duobus Imperatoribus Christianis alter occisus est? Nonne ex duobus Christianitatis oculis alterum erutum, ex duabus manibus alteram amputatam dicere possumus? Addite quod ex quatuor sedibus illis Patriarchalibus primis & principalibus, quibus veluti solidissimis basibus Christiana subnixa fides in omnem terram ramos suos extendit, majores nostri duas simul cum Hierosolymitana per ignaviam, atque socordiam perdiderunt; nos tertiam, & illam quidem cui omnes Pruteni, multi ad Boream, multi ad Orientem, ad Tanaim jacentes populi serviebant, non minori desidia, majori tamen infamia prorsus amisimus. Nimirum, Principes, doletis omnes, ac de tanto Christianitatis vulnere, quo cecidisse Graecos, superasse Turcos, confusos esse Latinos animadvertitis, consternati atque attriti estis. Sed non est minor divi Caesaris Frederici, domini nostri gloriosissimi, quam vester moeror. Vidissetis eum cum tanti mali factus est primum certior, in cubiculo flentem, in aula moestum, in consilio solicitum, in Ecclesia supplicem, in quovis loco turbatum & anxium. Verum cum res Christianae non tam dolorem & lachrymas, quam vigorem & arma requirerent (nam Turci majora in dies mala minantur) operae pretium existimavit sua serenitas tum principum tum civitatum accersiri conventum, in quo de tuenda Christiana Republica consilia caperentur. Nam priusquam incipias, consulta; & ubi consulueris mature facto opus est. Fuit itaque Concilium apud Ratisponam convocatum; quae ibi gesta sunt omnes tenetis. Ex auctoritate illius congregationis hic nunc conventus habetur. Cur non fuerit apud Norembergam indicta conventio, & cur nequiverit ad haec negotia Caesar ascendere, satis his diebus expositum est. Ille quidem pro tanta Christianitatis necessitate in hoc conventu minimè defuisset, si domum tutam relin-

Constantinus Graecorum Imperator eadem ruina qua regia Urbs oppressus est.

Antiochenam, & Alexandrinam.

Vide historiam Dietae Ratisponensis hic vulgatam.

relinquere potuiſſet. Sed cum ejus deſiderium ab his impediretur, quibus non tam pax & ocium, quam contentiones & bella ſunt uſui, miſit hoſce praeſtantiſſimos & celeberrimos Legatos, qui ſuum locum tenerent, ſuaſque vices implerent, cum plena & ampla poteſtate; ſive res imperii, ſive commune fidei tuendae negotium tractare libet, praeſto erunt. Caeterum quia ſuper articulis Ratiſponae meditatis haec potiſſimum congregatio conſultura eſt, voſque Caeſaris animum circa illos cognoſcere cupitis; quae ſit ejus mens, quae ſententia, quae voluntas, aperire me nunc collegarum meorum auctoritas jubet. Ego qui malo per obedientiam parum prudens, quam per contumaciam videri ſapiens, onus meis humeris penè intolerandum ſubivi, confiſus in ejus auxilio, qui victimis obedientiam praetulit. Nec timeo ſub tanto faſce deficere; quando praeſto ſunt qui cadenti mihi manum porrigant. Pareo quoque in hac re tanto libentius, quanto & conſpectum veſtrum frequentiorem intueor, & mihi benigniorem autumo. Nec ego de omnibus articulis verba faciam, ſed illum qui eſt principaliſſimus aggredior, hoc eſt, an contra Turcos, qui Conſtantinopolim per injuriam invaſerunt, nobilitatem cum Principe Graecorum occiderunt, ſacra noſtra omnia polluerunt, & ultra vincula, verbera, caedes Chriſtianis omnibus minitantur, ſit bellum ſuſcipiendum? Quo perſuaſo, quantas habere copias neceſſe, quomodo legendi milites, quae ſtipendia danda, quae privilegia concedenda, unde commeatus habendi, quae bellica inſtrumenta paranda, quo tempore, qua via ſit eundum facile concordabimus. Capitaneum quoque ſeu belli Ducem, quem priſci Romanorum Imperatorem appellare conſueverunt, non erit arduum nominare. Neque dubitabitis illum eligere, in quo ſit ſcientia rei militaris eximia, virtus excellens, auctoritas evidens, praeſumpta foelicitas, qui ſit laborioſus in negotiis, fortis in periculis, induſtrius in agendo, celer in conficiendo, conſultus in providendo, qualem reperiri apud vos minime dubitaverim. Nec de pace domi tuenda multum laborabitis, ſi foris bellum gerere

Digitized by Google

rere decreveritis, ut postea suo loco dicemus.

Intelligitis jam Principes oratio mea quibus in rebus radices agat, & quae sit causa in manibus videtis: de bello gerendo tota consultatio est. Ego qui nomine Caesaris bellum venio suasurus, nequaquam hoc oneris accepissem, nisi rem dignam vestra virtute, vestra nobilitate, vestraque natione manifestissime prius intellexissem. Agite igitur, audite & cognoscite an bellum hoc pro fide vestra Christiana suscipere debeatis. Omnis Senatus, omnisque populus, cui de bello gerendo consultatio est, clarissimi Principes, tria diligenter ac rigide & presse discutere debet, ne quid agat, cujus denique poenitudo sequatur. Turpe est enim, ut Scipionis proverbium fuit, postquam erratum est dicere: non putaram. Bellum ergo gesturus primo quaerat an sit justum; secundo an utile; tertiò an facile. Nisi enim haec tria concurrant, non est cur bonis, atque prudentibus viris belligerandum sit. Discutiamus & nos haec ex ordine, Principes, ac primum de belli justitia cognoscamus.

Bellum, quod pro tuenda religione, pro salvanda patria, pro conservandis locis ex auctoritate superioris gereretur, nemo unquam veterum reputavit injustum. Hinc Moysi, hinc Josue, hinc Saulis, hinc Davidis, hinc Machabaeorum praelia commendantur. Hinc illi Demosthenis clamores, quibus plenum exultabat apud Athenas theatrum, in Marathone, in Arthemisio, in Salamina pro patria defunctos commendantis. Hinc ex Romanis Horatii, Decii, Fabii, & alii pene innumerabiles celebrantur, qui pro salute suorum civium se devovere. Hinc ex vetustis Germanis Caroli, Rolandi, Raynaldi, Conradi, Ottoni, Henrici, Frederici aeternis praeconiis extolluntur, qui pro tutandis Christianorum finibus, maximis se periculis objectarunt. Nunquam tamen vestris progenitoribus tam justa pugnandi causa quam vobis objecta est. Nunquam illi tam atrocem injuriam, tam insignem contumeliam ab infidelibus acceperunt, quemadmodum perpessa est haec nostro tempore Christiana communitas. Repetenda est breviter hoc loco Constantinopolitana calamitas. Si enim & injuriae ma-

magnitudo notior; & belli justitia manifestior erit.

Nulla pulsatus injuria Mahometus [sic enim vocatur qui Turcis imperat] bellum Graecis indixit, Constantinopolim obsedit, ac male defensam oppugnavit. Ubi Constantinus Graecorum Imperator, intrantibus Urbem Turcis, in extremo patriae suae periculo fortissime pugnans obtruncatur. Caput ejus lancea infixum spectaculo fertur. Fit miseranda Graecorum caedes; occiduntur non solum qui se tueri conantur, verum etiam qui projectis armis sese dedunt. Nec ego hoc magni duco in ipso furore primi introitus trucidatos esse quamplurimos; illud horreo, illud abominor, illud omnino detestor, capta civitate, depositis armis, conjectis in vinculis civibus, tum maxime saevitum est, tum filii ante ora parentum occisi, tum viri nobiles velut bestiae mactati, tum Sacerdotes laniati, tum monachi excarnificati, tum sacrae virgines incestatae, tum matres, ac nurus ludibrio habitae. O miseram Urbis faciem! O infelicem populum! O sceleratum Mahometum! Quis talia fando temperet a lachrymis? Omnia luctu plena, caede, cruore, cadaveribus erat cernere. Mahometus ipse terribili facie, tetris oculis, terribili voce, crudelibus verbis, nefandis nutibus homicidia mandat, nunc istum, nunc illum ad caedem poscit, manus in sanguine Christianorum lavat: omnia foedat, omnia polluit. Templa Dei nostri pseudopropheterae traduntur, divina altaria proteruntur, ossa martyrum & aliorum sanctorum jam cum Christo regnantium aut porcis aut canibus obiiciuntur, franguntur statuae, picturae delentur. Nec Matris Domini Reginae Coelorum gloriosae Mariae Virginis imagini parcitur; quin & ipsum Salvatoris Christi Crucifixi simulacrum cum magno clamore, majori irrisione, praecedentibus tympanis ac tubis in castra defertur, huc, atque illuc rapitur, conspuitur, luto provolvitur. O nefas inexpiandum! O ignominiam Christianae gentis! O dedecus nostri nominis sempiternum! Huic signo, in quo redempti & salvati sumus, Turcorum foetidum genus illudit, & quasi nos signum non signatum colamus: Hic est, inquit, Christianorum decus. Sentio

Vide Æneae Europam cap. VII.

quia commemini, Principes, dum Salvatoris injuriam refero, tum tantae civitatis damna commemoro: sed quis cladem illius Urbis, quis funera fando explicet, aut possit lachrymis aequare labores? Horret animus talia meminisse, luctumque refugit. O nobilis Graecia ecce nunc tuum finem, nunc demum mortua es? Heu quot olim Urbes fama rebusque potentes sunt extinctae. Ubi nunc Thebae, ubi Athenae, ubi Mycenae, ubi Larissa, ubi Lacedaemon, ubi Corinthiorum civitas, ubi alia memoranda oppida, quorum si muros quaeras, nec ruinas invenias? Nemo solum, in quo jacuerunt, queat ostendere. Graeciam saepe nostri in ipsa Graecia requirunt, sola ex tot cadaveribus civitatum Constantinopolis superérat, quae parvo ambitu Bizantii a Pausania quondam edita, per Constantinum Primum Imperatorem ejus nominis in aemulationem Romanae Urbis erecta, tantum operum mirabilium, tantum armorum, tantum literarum, tantum gloriae habuit, ut omnium civitatum damna haec sola Urbs recompensare, ac resarcire videretur. Hinc post pacem cum Gratiano factam, & a Theodosio confirmatam, veniens Constantinopolim, Rex Gothorum Athenaricus, cum regiae Urbis amplitudinem splendoremque contemplatus esset, veluti stupens dixisse fertur: vere Deus terrenus est Imperator hic habitans; & quisquis adversus eum manus moverit, ipse sui sanguinis reus existit. Et quamvis post imperium ad vos, o Germani, translatum, saepe Constantinopolis capta direptaque fuerit; nunquam tamen in potestatem Christi hostium, nisi modo, devenit; nunquam Basilicae sanctorum dirutae, nunquam Bibliothecae combustae, nunquam monasteria desolata, nunquam sacra nostra ex toto, nisi nunc deleta fuere. Itaque mansit apud Constantinopolim usque ad nostrum tempus vetustae sapientiae monumentum (1), ac velut ibi domicilium literarum esset, & arx summae Philosophiae, nemo Latinorum satis doctus videri poterat, nisi Constantinopoli aliquandiu studuisset, quodque florente Roma doctrinarum nomen habuerunt Athenae, hoc tempestate nostra Constantinopolis obtinebat; unde & multa veterum sapientum

A Pausania Lacedaemonum Duce.

tum volumina susceperamus, & in futurum suscipere sperabamus. At nunc vincentibus Turcis, & omnia possidentibus quae Graeca potentia tenuit, vereor ne de literis Graecis omnino sit actum. Neque enim, ut plerique arbitrantur, Asiani sunt ab origine Turci, quos vocant Teucros, ex quibus est Romanorum origo, quibus literae non essent odio. Scytharum genus est ex media Barbaria profectum, quod ultra Euxinum, Pyrrichiosque montes (2), ut AEthico Philosopho placet; ad septemtrionalem Oceanum sedes habuit: gens immunda & ignominiosa, fornicaria in cunctis stuprorum generibus, quae, ut tradit Otto Frisingensis Episcopus non futilis auctor, regnante apud Francos Pipino, montes Caspios exivit, ac longo itinere in Asiam se recepit, ibique posthac morata est. Et quamvis sub miti coelo & mundiori terra per tot saecula parumper excultam se praebuerit; sapit tamen adhuc multum pristinae deformitatis, neque omnem barbariem detersit. Carnes adhuc equorum, vesontium, vulturumque comedit, libidini servit, crudelitati succumbit, literas odit, humanitatis studia persequitur. In cujus manibus venisse nunc doctam eloquentemque Graeciam, nescio quis satis deflere queat. Sed dicitis milites: quid tu nobis literarum detrimentum commemoras? quid nobis de literis? nos hastas gladiosque versamus. Vos, genus ignavum, tecto gaudetis & umbra. Imo vero, fortissimi equites, nullius quam vestri magis interest studia literarum esse quam florentissima. Quid enim vos, viri excellentes, aliud quaeritis cum praestanti animo, & alto corde praelium committitis, quam famae dulcedinem? laudari vultis, scio, & gaudetis cum de vobis bonos esse rumores auditis. Trahimur omnes studio laudis, & optimus quisque gloria ducitur, inquit Cicero. Sed quae laus vestra diuturna esse potest nisi literis consecretur? Brevissima est fama quae humanae vitae spatio terminetur. Vivunt nomine perenni quos literae insertos habent.

Vide AEneas hist. de Asia minor. cap. 10.

Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt.
Nulla dies unquam memori vos eximet aevo.

in

in Eurialum & Nisum inquit Maro. Nec nos aut Samsonis, aut Gedeonis, aut Jephtae, aut aliorum Judicum fortitudinem regumque magnifica gesta sciremus, nisi literis edocti essemus. Quanto ergo quisque vestrum, nobilissimi equites, aut industrior est aut fortior, animosior, tanto favere ingeniis, ac literis magis debet. Haec sunt enim quae progenitores vestros virtute praestantes, quamvis jamdudum mortuos, memoriae tamen hominum quasi viventes exhibent, & quae vestrum nomen, si viriles fueritis, ad posteros deferre cum laude queant. Senserat haec Alexander Macedo, qui cum in Sigaeo sepulchrum vidisset Achillis: O fortunate, inquit, adolescens, qui tuae virtutis praeconem Homerum inveneris. Et vere, inquit orator; nam nisi illi ars illa fuisset, idem tumulus qui corpus contexerat, nomen etiam obruisset. Demosthenes autem ille, summus Athenis vir, cum ex eo quaereretur, cujus vocem libentissime audiret: a quo summa virtus, inquit, optime laudatur. Quo dicto nimirum humanitatis & eloquentiae studia magnopere commendavit. At nunc contrita deletaque Graecia, quanta sit facta literarum jactura cuncti cognoscitis, qui Latinorum omnem doctrinam ex Graecorum fontibus derivatam non ignoratis. Quid ergo in tanto damno, in tanta injuria dicemus, Principes? An de justitia belli adversus haec monstra hominum dubitabimus, qui nulla humanitatis studia colunt? qui foedera nulla custodiunt? qui sanguinem nostrum sitiunt? qui caedibus saturari non possunt? qui sacra Dei nostri omnia polluunt, & exterminant? Fortitudo, inquit Ambrosius in officiis, quae bello tuetur a barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel a latronibus socios, plena justitia est.

Quod si ordo ille naturalis paci accommodatus, Augustino teste, id poscit, ut suscipiendi belli auctoritas atque consilium penes Principes sit; neque bellum alioquin justum existimetur; videte quanta est hujus belli justitia, cujus non solum Papa, & Imperator, duo maxima luminaria, duo primi in terra Principes; sed ipse rector orbis, mundique fabricator Deus est auctor, qui

spon-

ſponſam ſuam Eccleſiam, matrem noſtram, ut pupillam oculi nobis tuendam commendat. Monſtravimus belli juſtitiam fortaſſe pluribus verbis quam neceſſe fuit; ſed traxit me injuriarum acerbitas. Parcite ſubirato; date veniam laeſo. Nunc ex bello quae ſequatur utilitas breviter exponendum eſt. Cur enim ſe bello quiſquam immiſceat, niſi ex bello ſe juvet? Vos igitur, Principes, ſi fructum hujus belli contra Turcos ſuſcipiendi cognoſcere cupitis, damna quae toti Chriſtianiſmo imminent, niſi Turcorum frangatur impetus, penſitate. Audiviſtis quae paſſi ſunt Conſtantinopolitani. Idem nunc multae civitates expectant, niſi dum tempus eſt opitulamini. Serpit in dies hoc virus magis ac magis; nunc una provincia, nunc alia nobis deficit (3). Raſcia jam noviſſime occupata eſt. Diſpotus ejus provinciae cum conjuge & liberis in Hungariam ſe recepit. Hungari, qui hactenus noſtrae fidei clypeus, noſtrae religionis murus fuere, bis victi bello poſt mortem Alberti Regis, bis capti a Turcis ſunt, (4) centum millia hominum aut eo plus, duobus praeliis amiſere. Non tulerunt integri Turcorum vires; quomodo fracti ferent? Succubuerunt auxiliantibus Polonis, quomodo vincent ſoli? Magna eſt Turcorum potentia in Aſia & in Graecia. Tartarorum ferocem gentem foedere junctam habent. Ducenta vel trecenta millia pugnatorum, ne dicam plura, in armis cogere poſſunt. Quamvis ſint Hungari ſtrenui & potentes viri atque omni laude digni, non tamen tantis viribus pares habentur. Sive vincitur Hungaria, ſive coacta jungitur Turcis, neque Italia neque Germania tuta erit, neque ſatis Rhenus Gallos ſecuros reddet. At nonnulli, quia ſuis diebus non videre ſimilia, nec fieri poſſe confidunt; nos autem ſaepe Tartaros protrita Hungaria Germaniae fines ingreſſos ad Rhenum uſque debacchatos novimus. Hungari priuſquam Chriſtum colerent, ſaepe Auſtriam, Bavariam, Sveviam, Franconiam, Saxoniam percurrerunt. Attila Rex Hunnorum ab Hungaria, quae tunc Pannonia dicebatur, digreſſus, quantas Italiae, quantas Germaniae, quantas remotiori Galliae atque Hiſpaniae turbas intulerit, non ignoramus. Quid

Go-

Gothos, quid Vandalos, quid Gepidas, quid Herulos, quid Longobardos, quid Burgundiones referam? Omnes hi populi per Hungariam ab ulteriori Scythia venientes, hanc nostram Christianitatem miris modis afflixerunt. Expectabimus igitur & nunc venire Turcos, atque accersitis Tartaris nobilem atque potentem Hungariam sui juris efficere, ac deinde reliquam Christianitatem locustarum more corrodere? Pugnandum est vobis omnino, Principes, si liberi, si Christiani vitam ducere cupitis. Existimatote nunc, an salvis & integris sociis, an fractis atque dimissis id agere magis expediat. Romani, quos fama sapientissimos fuisse praedicat, sociorum tutelam semper suam salutem esse ducebant, ac foris quam domi pugnare malebant. Nam foris, si qua fuerit accepta calamitas, emendari potest; quae domi excipiuntur clades, exitiales habentur. Hinc Annibal maximus ille Poenorum Imperator cum Regi Syriae Antiocho adversus Romanos bellum suaderet, non in Asia, sive in Graecia, sed in Italia pugnandum esse dicebat. Et vos ergo, Theutones, si, quemadmodum spero, sapientes eritis, majores vestros imitabimini, qui remota semper a domo bella gerere, ac vicinorum fines non minus quam suos tueri consueverunt. Quod si vos, Germani, hoc tempore Hungaros neglexistis, non erit denique cur vos ex Gallis auxilia praestolemini, nec rursus illi apud Hispanos opem invenient. Atque ita fiet, ut cum singulis semper gentibus pugnaturi hostes facile, quod cupiunt, orbis imperium assequentur. Quod si acceptis armis & Hungaris & Rastianis, & aliis Christianis qui vicini sunt Turcorum potentiae opem tuleritis, non solum vicinos vestros tuebimini, sed vos ipsos uxores ac liberos vestros ex maximo periculo liberabitis. Atque haec est, ut mihi videtur, maxima utilitas belli gerendi. Cum exploratum sit ad nos dietim Turcos properare; prius occurrite quam vestros fines ingrediuntur, & auxilia vicinis afferte. Nam tunc tua res agitur, ut ille ait, paries, cum proximus ardet. Quod si certissimi essetis, nunquam illos ad vos esse venturos, pro debito tamen baptismi vestri, quo estis initiati, pro

ma-

Digitized by Google

maximis beneficiis quibus vos divina pietas cumulavit, adversus hos evangelii corruptores, & Christi perfidos inimicos ejusque Crucis derisores bellum gerere deberetis. Equidem, praestantissimi Principes, cum omnibus virtutibus affecti sitis, nihil tamen arbitror vos magis velle quam gratos esse atque videri. Haec est enim una virtus, non solum maxima, sed mater omnium virtutum reliquarum. Quid est enim pietas, nisi voluntas grata erga parentes? Qui sunt qui libenti animo pro patria pugnant, nisi qui patriae beneficia meruerunt? Qui sunt qui fidem erga Principes inviolatam custodiunt, nisi qui eos in se beneficos recordantur? Qui sunt qui praeceptores honorant, nisi qui se doctrinam ab his accepisse non sunt obliti? Qui sunt qui amicos omni studio prosequuntur, nisi qui fructum amicitiae tenaci memoria tenent? Quod si erga patriam, erga parentes, Principes, praeceptores, amicos grati esse debemus; quanto magis erga Deum nostrum? Et cujus, obsecro, pinguiora, quam Dei nostri beneficia sumus experti? Ille cum nihil essemus, nos in esse produxit; neque lapides, aut arbores, aut equos; sed homines rationis participes nos creavit; nobis ingenium, sermonem, virtutem, vires corporis atque animae dedit. Et cum primi parentis culpa inferni mancipium facti essemus, ut nos redimeret, descendit de coelo, exinanivit seipsum, formam servi accepit, hominem induit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, inquit Apostolus. Sub ipsa autem passione, & Cruce, priusquam ad crudelitatem necis & effusionem sanguinis perveniretur, quae conviciorum probra, quae contumeliarum ludibria tulit? Sputamina insultantium excepit, qui sputo suo caeci oculos aperuerat; flagellatus est, qui potestatem flagellandi Daemones habet. Spinis coronatus est, qui sanctos suos floribus coronat aeternis. Palmis in faciem caesus est, qui veras palmas mundum vincentibus tribuit. Spoliatus est terrena & caduca veste, qui coelesti, atque immarcescibili candiditate animas vestit; cibatus est felle, qui se cibum homini praebuit; potatus est aceto, qui populo suo nectarea pocula repromittit. Agnus ille in-

innocens, imo ipsa innocentia, ipsa justitia inter facinorosos computata est; pependit inter latrones Deus noster; viderunt faciem ejus, & non erat species, neque decor; a vertice capitis usque ad plantam pedis non erat in eo sanitas. Sed passus est, ut nos redderet impassibiles; mortuus est, ut nos redderet immortales. Passus quia ipse voluit, & iniquitates nostras ipse portavit. O bonitatem! O clementiam magni Dei! miserationes divinae pietatis incredibiles! quam maxima & inestimabilia sinnt Christiano populo praestita beneficia! Sed coram sunt haec in omnes fideles dona Dei. Vos autem, o Germani, peculiarior quaedam honoris ratio reddit obnoxiores. Nam qui vobis imperium dedit, is vos omnibus populis, gentibus, nationibus praetulit. Haec est enim prima in saeculo dignitas, cui omnes Principes, omnes Reges cedunt, quam Salvator secundum carnem nascendo, peregrinando, moriendo dignam censuit quovis honore. Quae in Prophetis promissa, in Evangelio comprobata, in Apostolorum scriptis magnificè commendata existit. Haec est illa excellentissima dignitas, qua stante non est cur Antichristi formidemus adventum, quemadmodum & Tertullianus & Cyprianus & Augustinus, & multi veterum ex verbis doctoris gentium Pauli colligere videntur. Hinc antiqui nostri Spiritu Sancto pleni, quamvis adhuc idola colerent. Imperatores, persequerenturque Christianos, vitam tamen illis prolixam, Imperium securum, domum tutam, exercitum fortem, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum optabant. Vos igitur magni, vos inclyti, o Germani, quibus tanta dignitas credita est, curare prae caeteris debetis, ne vobis imperantibus Christianae religionis majestas intereat. Sed quid vos ad haec Deo rependitis? Immo quid nos omnes Christiani pro tantis beneficiis agimus? Ubi tantorum bonorum memoria est? Principes, ubi gratitudo est? Viri potentes, terram sacratissimam, in qua visus est Dominus Deus noster, & annis supra triginta homo cum hominibus conversatus Agareni oc upant; officinas nostrae salutis Mahumetus obtinet, sacrosanctum Domini sepulchrum, lectum illud venera-

tu

tu dignissimum, in quo propter nos vita nostra obdormivit in Domino, Saracenorum impuratae manus obtrectant; loca illa sancta, loca benedicta, loca pretiosa & agni immaculati purpurata cruore, dum nos silemus, hostes fidei nostrae conculcant. Et quid ad haec, aitis Principes? Cur haec accidisse putatis? Abbreviatam ne manum Domini creditis, aut impotentem factum, qui est omnipotens? Nunquid non potest mittere plusquam XII. legiones Angelorum, qui Saracenos, Turcos, & Tartaros se blasphemantes exterminent? Aut certe tantum verbo dicere, & fiet quod voluerit. An qui ferocitatem Sennacherib Angelo dimicante contrivit, qui furibundum Holofernem in manus mulieris viduae, qui percussit Reges magnos, & occidit Reges fortes, qui clausit AEgyptiis mare, qui Sodomitis sulphur pluit & ignem, qui ventis imperat & mare, qui fecit coelos in intellectu, Mahometi superbiam fraenare non poterit? Omne subest ei cum voluerit posse. Quid igitur opinamini? Quid creditis, Principes? Tentat vos Dominus Deus noster, experiri vult an se diligatis, an virtute praestetis, an religiosi, an grati sitis. Quaerit inter nos, si sit aliquis qui sapiat, & intelligat ac requirat haec, & indoleat vicem ejus. Quid ergo moramini? Quid statis? An non est hic maximus bellandi fructus? Maxima utilitas vestra si praelium adversus inimicos Crucis committetis? Vos beneficii memores ostenditis, Deo nostro placetis, animas vestras lucrifacitis, & habitaturi cum Angelis, triumphaturi cum sanctis martyribus, regnaturi cum Christo coelum acquiritis. Omitto hic, Principes, id emolumenti quod plerique omnes milites nostri temporis ex bello quaerunt, aurum & argentum, teuromata, pictas tabulas, equos, vestes, servos, ancillas. Nam quamvis multa hujusmodi haec expeditio repromittit, nolo tamen vos, Christi milites, haec ambire, nolo vos rapinas quaerere, nolo vos spoliis gaudere. Pusilli est animi lucris inhiare terrenis. Mens generosa & alta coelestes aspirat in thesauros. Brevis est vita hominis super terram. Fugiunt animi nostri licium, vitae nostrae sunt aranearum tela, cito dirumpitur. Fe-

ſtinat enim decurrere velox floſculus, anguſtae miſeraeque breviſſimae vitae precio, dum vina, cibos, ſomniaque poſcimus, obrepit non intellecta ſenectus; nemo ſcit quid veſper vehat. Curriculum aevi noſtri incertum eſt. Peregrini in terra ſumus. Spes noſtra in coelum tenenda eſt, ubi Evangelio teſte, nec fures fodiunt, nec tineae rodunt. Multae ſunt viae quae nos eo deducunt. Sed hoc profecto tempore, Principes, nullum iter certius, nullum ſecurius, nullum expeditius, nullum glorioſius eſt, quo poſſimus coelum ſcandere, quam ſi contra Turcos coeleſtis patriae, noſtrae civitatis, ſupernae Hieruſalem perfidos inimicos arma ſumentes puris & conſtantibus animis bellum geramus. Cognoſcitis, ut arbitror, jam Principes hujus belli quod ſuademus non honeſtatem modo, verum etiam utilitatem.

Nunc de facilitate gerendi belli pauca ſubnectam. Hoc eſt enim de quo tertio loco dicturum me promiſi. Fruſtra enim juſtum bellum, fruſtra commodoſum probaverimus, niſi etiam factu facile, ne dicam poſſibile, demonſtremus. In hac parte illud, meo judicio, animadvertendum eſt, optimi proceres, ne major hoſtibus, quam nobis ſit ſcientia rei militaris, ne frequentior uſus, ne pecunia copioſior, ne potentia ſuperior, ne Deus ipſe faventior; quinimo neque ſi pares utrimque vires fuerint bellum ſuaſerim. Nam teſte Octaviano Caeſare, qui praelium ſine certa praerogativa committit, ſimilis ei eſt qui hamo piſcatur aureo; facile namque plus amittere quam lucrari poteſt. At mihi ſeu nova conſideranti, ſeu vetera mente repetenti, inter omnes nationes, quas bello idoneas, judicant, nulla expeditior, nulla fortior, nulla peritior, nulla audentior quam veſtra videtur. Vobis homines, vobis equi, vobis arma, vobis pecuniae ſunt. Nulla natio tam grandis ſub coelo eſt quae habet Deos appropinquantes ſibi, ſicut adeſt nobis Dominus Deus noſter. Et ubi, obſecro, tot clariſſimi principes? tot generoſi proceres? tot fortiſſimi equites? tot potentes civitates? tot divitiae? tot auri? tot argenti? tot ferri minerae? ubi tanta populi multitudo? tanta juventus? tantum animi? tantum roboris? Ger-

Germaniae fines, ut veteres tradunt, ab Oriente Viscella fluvius, & Hungariae limes fuere; ab occidente Rhenus, a Meridie Danubius, a Septentrione Oceanus, & Mare Balteum, quod Prutenicum vocare possumus. Nunc quantum extra hos terminos possideatis ipsi videtis. Vos Angliam, pulsis Britannis occupastis, vos Belgarum, Helvetiorumque fines, ejectis Gallis, obtinuistis; vos Rhetiam & Noricam invasistis; vos usque in Italiam pedem extendistis; vos Hulmerigos, qui nunc Pruteni vocantur, ex manibus infidelium detraxistis; soli ex alienis in vestro solo Bohemi sedent potentissimi & nobilissimi populi. Sed & illi vestro imperio parere se ajunt, regemque habent vestri sanguinis nobilissimum Ladislaum. Vos igitur magni, vos bellicosi, vos potentissimi, vos fortunatissimi ac Deo accepti Germani estis, quibus adeo fines extendisse licuit, & super omnes mortales Romanae potentiae datum fuit obsistere. Nam terrarum ille calcator omnium, & orbis domitor Julius Caesar, quamvis subactis Gallis saepe Rhenum transiverit, resque maximas in Germania gesserit, bellicosam tamen, & asperam Svevorum gentem dimisit indomitam. Augustus Octavianus, cui & Parthorum, & Indorum reges munera miserunt, qui unus omnium Romanorum fortunatissimus creditus est, de quo illa sunt metra.

Vistula amnis Germanicus, Veissel.

Ladislaum filium Adalberti Austriae ducis, adeoque è Germania satum.

Augustus Caesar divum genus, aurea condet
Saecula, qui reversus Latio regnata per arva
Saturno quondam, superat Garamantas & Indos.
Protulit imperium, jacet extra sydera tellus
Extra anni Solisque vias, ubi coelifer Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

Ille, inquam, felicissimus imperator nullibi unquam nisi apud Germanos succubuit; nam Lollianam & Varianam cladem in Germania perpessus est. Lollianam majoris infamiae quam detrimenti, Varianam pene exitialem, tribus legionibus cum duce, legatis, & auxiliis omnibus caesis. Longum esset referre quas intulerunt Romanae reipublicae molestias Germani, qui etsi Romano-

manorum fortunae aliquando cesserunt, postea tamen & ipsi de Romanis, de Gallis, de Hispanis, de Hungaris, deque aliis diversis gentibus saepenumero triumpharunt. Nec Romani cum rerum potirentur res magnas sine Germanis auxiliantibus peregerunt, quorum tanta in bello virtus, tanta in domo fides fuit, ut Caesarei corporis custos cohors ex Germania potissime legeretur. (5) Conferamus nunc Turcos ac vos invicem, & quid sperandum sit, si cum illis pugnetis, examinemus. Vos nati ad arma, illi tracti. Vos armati, illi inermes; vos gladios versatis, illi cultris utuntur; vos balistas tenditis, illi arcus trahunt; vos loricae thoracesque protegunt, illos culcitra tegit; vos equos regitis, illi ab equis reguntur; vos nobiles in bellum ducitis; illi servos, aut artifices cogunt. Vestri milites nati, atque nutriti in armis sunt; illi copias suas, exceptis quindecim millibus pugnatorum, quos expeditos habent, ex agris atque officinis petunt. Vobis flectere ludo equos, & tendere spicula cornu; vos omne aevum ferore teretis, vestra juventus torneamentis intenta est, aut quatit oppida bello, nec tarda senectus vestras vires debilitat, mutatque vigorem; canitiem galea premitis, semperque recentes bellorum habere causas cupitis & vivere in armis: illis pictae croco & fulgenti murice vestes, desidiaeque cordi sunt; summa voluntas est indulgere choreis. Solus Mahometus, & quos dixi, quindecim millia expediti sunt, quos sonus delectat armorum, & animus in bella paratus exhibet audaces. Caeteros inexpertos, timidos, effrenatos nullius pretii judicetis. Quod si manus cum illis conferatis, nihil est quod de victoria dubitetis. Si modo quam gesturi estis pro Deo pugnam, adversus Deum non convertatis, mala mente procedentes. Cum ergo majores vestri principes, omnes vicinos ac longe positos populos armorum gloria superaverint, cum timentes ipsi nullos omnibus terrori fuerint, cum vos ipsi nihilo minores vestris progenitoribus sitis, cum omnibus iis rebus abundetis quas bello necessarias putant, cum vobis fortissimi milites, peritissimi duces ac satis fortunati sint, cum Deum in causa sua propitium sperare par sit, cum vestri

vestri hostes longe inferiores vobis existant; non est cur tam honestum, tamque utile bellum pro Deo vestro gerendum detrectare quoquo modo debeatis. Dicat hic fortasse quispiam, rem non esse cum Turcis tantum, sed cum Tartaris simul & Saracenis, cumque omnibus gentibus, quas illi subjectas habent. Huic ego contra insto: Nec ego vos soli Theutones, inquam, pugnabitis; ex Italia, ex Gallia, ex Hispania multi concurrent, nec Hungari deerunt, nec Bohemi fortissimae gentes; Rasciani, Bulgari, omnes Illyrienses, omnes Graeci, sumpta occasione consurgent. Vicini quoque in Asia dabunt manus. Nolite existimare, principes, ita omnem Asiam Mahometo parere, ut non multi sint Christo servientes, multi in Cilicia, Bithinia, Cappadocia, Ponto, Syria Christiani sunt, quamvis jugo servitutis oppressi. Hyberi, qui & Georgiani vocantur, Trapesuntii, Armeni Christum colunt, nec cunctabuntur arma sumere, si vos viderint audentes. Veneti quoque, & Januenses, potentes populi, quamvis pacem cum Turcis habent, partes tamen vestras classibus adjuvabunt; coacti namque ne civitates orientis amitterent pacem ferre. At quod homines inviti ac necessario faciunt, neque diu, neque diligenter facere possunt. Veneti certe fidem imperatori dedere (6) facturos se quod deceat Christianos, si bellum communi fidelium consilio contra Turcos decernatur. Ego etsi certe scio vobis arma sumentibus ex tota Christianitate affutura praesidia, nihilominus & illis domi manentibus, huic bello solam Germaniam sufficere non dubitaverim. Scio enim Gothfredum, qui fuit Lotharingiae dux, cum solis Transrhenanis Theutonibus, & aliquibus Gallicis, paucis Italis Hungariam percussisse, Graeciam penetrasse, Hellespontum transisse, Asiam permeasse, Hierosolymam ex potestate infidelium vendicasse, victis ac prostratis omnibus quae occurrerent in medio gentibus, quamvis & Turci & Saraceni numerosi resistere conarentur. In ejus exercitu ducenta millia pugnatorum fuisse traduntur; atqui multo majores copias sola Germania cogere potest. Sed dicitis, ut existimo, quomodo foris bellum geremus, qui domi contendimus? nec portio est

Ger-

Digitized by Google

Germaniae ulla quieta? Sit pax intus, non recusabimus extra bellare. Prius Turci Rhenum attingant quam lites omnes extirpentur. Idcirco sapientes illi, qui Ratisponae fuerunt, indicendas in tota Germania quinquennales inducias putaverunt; id nunc explendum est. Omnes qui contendunt imperii principes aut vasalli, aut subditi sunt; nisi Caesaris mandata custodiant fidem frangunt, honorem maculant, rempublicam laedunt, sibi ipsis nocent. Quod ego de tanta nobilitate minime putaverim. Nam quis erit adeo durus, adeo obstinatus bonis, adeo adversus moribus, ut treguas pro communi Christianorum salute indictas praesumat infringere? Est hic legatus apostolicus qui censuras ecclesiasticas interponet. Legati Caesaris imperiale bannum & alias poenas admittent. Proh Germani nobiles, gens bellicosa, gens alti cordis, an modo in tanta, & vestra, & omnium Christianorum necessitate deficietis? Eritis ne adeo incauti, adeo caeci, ut ranae, murisque fabulam in vobis impleri sinatis, qui dum invicem se morderent, praeda mylvi fuere. Nonne cernitis, dum simul contenditis, venientem Turcum, & omnia rapientem, quae vos litigare compellunt? Expellite prius communem hostem; tunc si pacem tenere nequitis, de terra, de dominio, de caeteris bonis pugnate, quae non Turcis sed vestris filiis relinquere valeatis. Equidem si has inducias amplectemini, principes, non est mihi dubium quin validissimum & copiosum exercitum comparare possitis, quo educto pacem in Alemannia necessario relinquetis; latrones enim & raptores omnes (7) exibunt, agricolae, & artifices domi manebunt, paratum genus hominum, quemadmodum tempore coronandi Caesaris evenisse constat, cum ille copias adversus Saracenos & Turcos eduxit. Et fortasse haec una est pacandae Germaniae via; nescio an vos aliam habeatis. Sed dicitis: quid cum Prutenis agemus, qui rebellantes suis dominis relicta religione Theutonica, ad magnum regem Poloniae deficerent? Tria hic remedia sunt; duo dicam, tertium in aliud temporis retinebo. Aut serventur hic induciae, sicut in caeteris Germaniae litibus; aut si hoc durum religioni videtur, finite, fratres, religiosos

Joannes Papiensis Episcopus. Gobelin. lib.

gioſos cum Saxonibus, Bohemis, & aliis quos poſſunt allicere, ſuam provinciam vendicare. Neque enim propterea veſter exercitus magnopere impedietur. Nam & imperante Conrado, de quo paulo ante dixi, cum tertius Eugenius Romanus pontifex Chriſtianos excitaret pro tutela terrae ſanctae, quam Saraceni evertere conabantur, Pruteni cum caeteris ulterioribus idola colebant, ac crebris excurſionibus, nunc Saxoniam, nunc alios vicinos Chriſti cultores infeſtabant. Conradus autem dimiſſis Saxonibus, aut caeteris vicinis qui domi cum Prutenis, ac reliquis barbaris decertarent, ipſe cum Rhenenſibus, Svevis, Franconibus, Bavaris Hieroſolymam penetravit. Idem & nunc vobis agere licet. Caeterum quia nonnullos eſſe audio, qui Mahometum deinceps quieturum exiſtimant, neque, ut ego dico, tantopere feſtinandum cenſent, referabo vobis aliqua de conſuetudine & natura hujus hominis, quae mihi per eos nota ſunt, qui ſecum aliquandiu converſati fuere, ut quid ſperandum, quidve timendum ſit eo certius habeatis. Eſt autem Mahometus adoleſcens annos natus quatuor & viginti, animo truci, & gloriae cupido, robuſto corpore ac laboris patiente, neque vino, neque coenis indiget; & quamvis more gentis libidinoſus, non tamen inter uxores langueſcit, choreas fugitat, unguenta devitat, raro induitur mollibus: non cantu, non ſono delinitur, non canes alit, non aves nutrit, una ei voluptas eſt arma tractare. Honorat milites, equos amat; naves, currus, machinas bellicas, formoſis mulieribus praefert: & quamvis eſt natura barbarus, abhorretque literas, geſta tamen majorum cupide audit, ac Julium Caeſarem, & Alexandrum magnum omnibus anteponit, quorum illuſtria facta ſuperare poſſe confidit, atque contendit; nec ſe minus aptum ad ſubigendum orbem dicit, quam illi fuerunt, cum ſua ſint longe majora principia, quam illorum referantur. Et quoniam falſo prophetae ſuo Macho, ex quo Conſtantinopolim ſubjecit, non dubitat quin & Romam ſubmittere poſſit, barbara temeritate, & Aſiana ſuperbia plenus. Hic eſt veſter hoſtis, proceres; exiſtimatote nunc, an talem naturam quieſcere ſit veriſi-

verisimile. Sed quid conjecturis aut argumentis in rebus utimur manifestis? Nonne hic victa Constantinopoli, mox Peram delevit, propinquas civitates oppressit, Ciclades insulas maris AEgei magna ex parte diripuit? Dispotum ex Rascia pepulit? Et quamvis essent cum Hungaris induciae, eorum tamen fines ingressus, nonnullos agros depopulatus est. Ecce pacem Turcorum, optimi principes. Ecce quietem quam sperare potestis. Nolite confidere, nolite differre. Consulite vobis ipsis, & utilitati, libertatique vestrae, dum tempus habetis.

Causa belli, ut intelligitis, & justa est & necessaria, & maxima, vobis ad pugnam omnia quam Turcis meliora supersunt. Orat vos Caesar, ne Christianae reipublicae, ne vobis ipsis hoc tempore desitis; sed quemadmodum Ratisponae condictum est, quos potestis milites, equos, arma, currus, instrumenta bellica, commeatus praeparetis. Nam & ipse quae sunt in sua potestate ad hoc opus omnia promittit, quaecumque sibi ut imperatori Romanorum, ut Austriae duci, ut religioso principi, ut homini Christiano incumbunt exequi praesto est & valens; tantum vos, principes, in hoc loco de bello gerendo concordes sitis. Nam si unquam pugnandi tempus fuit, profecto nunc est, quando non solum honor, & status vester, sed ipsa libertas vestra, ipsa fides, ipsa vita in dubio ponitur. Neque enim si Turcos progredi ad vos sinitis, quaerendum erit in quo statu, in qua fide vivere debeatis. Mementote patrum vestrorum, generosi proceres; ponite ante oculos illustria facta majorum, recolite quoties progenitores vestri cum magnis exercitibus alpes Italiae transiere. Al-
Aistulfum fonsum Longobardorum regem Stephano papae molestum Pipinus coërcuit. Desiderium ejus provinciae regem Hadriano insultantem Carolus magnus compescuit; Romanos Formoso pontifici rebelles Arnolfus edomuit; Berengarium, qui se regem Italiae jactitabat, vocatu Joannis papae Otto primus magno bello contrivit. Referre quidem gravius fuerit quoties vestri antecessores pro Romana ecclesia, pro fide catholica, pro salute communi decertaverunt. Illi quidem dum parato & forti animo

Chri-

Google

Christianam religionem tuerentur, Romanum imperium ad se traxere. Videte nunc quem vobis animum suscipiendum esse putetis. Patres vestri pro suis, non dicam civibus, sed agricolis paulo contumeliose tractatis saepe bella gesserunt; vos uno imperatore cum tota Graeciae nobilitate crudelissime necato non putabitis esse pugnandum? Illi frequenter suis ministris parum reverenter compellatis non dubitarunt arma recipere, vos Deo vestro probrose contempto non armabimini? Illi pro amplectendis Christianorum finibus durissimis se praeliis commiserunt, vos pro tuenda religione fideque vestra recusabitis arma capessere? Non est de rebus levioribus hoc bellum; pro patria, pro liberis, pro uxoribus, pro sociis, pro libertate, pro vita, pro fide, pro religione, pro sanctis martyribus, pro magnis Apostolis, pro gloriosa Matre Dei advocata nostra, Regina Coeli Maria; pro Filio Dei, pro Redemptore, pro Salvatore, pro maximo & certissimo Deo vestro, pro Spiritu Sancto directore, pro Patre aeterno, pro divinissima Trinitate, quam spurcidus ille Mahomethus persequitur, committendum est praelium. Cogitate, principes, quo redacta est Christiana religio, quantum in oriente, quantum in meridie diminuta est nostra fides; sumite alta corda, induite fortes animos; defendite matrem vestram ecclesiam, quae vos Christo regeneravit; accingimini gladio supra femora vestra potentissimi; occurrite inimicis Christi; nolite esse ultimi, quos imperii dignitas jubet exire priores. Carolus Rex Francorum & nobilissimus & potentissimus pugnaturum se dicit, si vos armemini. Quae sit mens inclyti Ladislai Regis Hungariae & Bohemiae ex suis oratoribus audietis. Regis Daciae, Svetiae ac Nortwegiae literas habemus, quae mentem illius optimam exponunt. Alfonsus Rex Aragonum & Siciliae, nostri saeculi clarissimum sydus, etiam silentibus caeteris, hoc magnificum bellum, hanc gloriosam expeditionem pro Christi nomine ultro suscepturum se pollicetur. Philippus Burgundiae Dux non minus animo quam sanguine clarus, potentatu ac dominatu par magnis regibus, non modo se iturum ad hoc bellum pro-

 mit-

promittit, sed alios quoque ut se accingant magnopere adhortatur. Intueamini hos duos Principes Alfonsum & Philippum, maximos Dominos, terra marique potentes, ambo aetate provecti sunt, ambo sexagesimum annum transiere; ambo tamen certamini sese offerunt, neque in propriis personis pro Deo suo pugnare recusant. Quid vos faciatis, electissimi Principes, quibus aetas florida est, quibus ebullit sanguis, quibus martius labor jucundus quidam ludus videri debet. En milites, en Duces, en robustissimi juvenes; finitis ne senibus majorem quam vobis animum esse? Dormietis ne domi, cum illi foris militent? Marcebitis ne otio, dum illi in negotio vigent? Minime de vobis talia suspicor: degeneres animos timor arguit; vos autem erecto animo alacres intueor. Incipio bene sperare. Sentio jam titillare pectora vestra, ac flagrare amore bellandi. Nec miror vos aetate integra militiae sectatores hujus belli cupidos esse; nam & ego ipse, quamvis senio gravis, quamvis Ecclesiae deditus, incendor, & aestuo nimio fervore talis visendae pugnae. Veteribus illis, ex quibus vobis origo est, Principes, cum essent adhuc gentiles, nullum fuit grave bellum, quod pro patria non suscepissent; nullam illi mortem miseram putavere, quae pro republica subiretur. Sed quae respublica major, aut melior quam nostra Christiana? Quae patria dulcior, aut nobilior quam nostra illa coelestis, ad quam cuncti aspiramus formosa Hierusalem? Illi cum pro patria morerentur, tamen maxime exultabant. Nos cum morimur, tum finimus exilium, tum patriam ingredimur. O felix mors quae vitam perimit temporalem, concedit aeternam! O faustum ac desiderabile bellum, in quo si vincis, in terra; si vero vinceris, in coelo triumphas! Quidni ergo ardenti pugnemus animo, quibus tanta promittuntur emolumenta? Ecce Dominus noster sanctissimus, Christianorum summus Pater Nicolaus Papa V. ovium Christi Pastor, Romanorum Pontifex, successor Beati Petri, Christi Dei nostri Vicarius, omnibus qui hanc expeditionem sequentur delicta remittit, culpas abluit, veniam praebet, coelum promittit. Nec de promisso est dubium,

quan-

Digitized by Google

quando is eſt qui poteſtatem habet ligandi, ac ſolvendi; qui locum illius tenet, cui datae ſunt claves regni coelorum. Ecce nunc coeli aperti ſunt, ecce nunc iter in patriam, ecce ſcalam qua ſuper omnes planetarum orbes ſcandere valeatis, atque ad ipſam galaxiam pervenire, quae nos ad regiam magni Dei recto tramite ducat. Quod ſi omnibus, ut inquit orator, qui patriam dilexerint, juverint, defenderint, certum eſt in coelo eſſe diffinitum locum, in quo beati aevo aeterno fruantur; quid de vobis putandum eſt, Principes, non qui pro terrena, ſed pro coeleſti patria pugnaturi eſtis? Quid dicam? Multa dicere poſſum, ſed hoc tempore Apoſtoli Pauli doctoris gentium verba commemoraſſe ſatis erit: quia neque oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis aſcendit, quae promiſit Dominus diligentibus ſe. Quales vos futuros eſſe, o Germani nobiles nemo dubitaverit, ſi hoc bellum, ut Imperator admonet, Papa petit, Chriſtus jubet, pro divino honore, atque amore ſuſcipietis.

NOTAE

In ſuperiorem Orationem.

1. MAnſit apud Conſtantinopolim uſque ad noſtrum tempus vetuſtae ſapientiae monumentum *Graecas literaturae Sapor mire tunc Latinos afficiebat. Vel ante captam a Turcis regiam Graecorum Urbem Graecas literas Latini deperibant. Hoc enim ſe fonte Graecanicae literaturae viri aetate ſua apud noſtrates literatiſſimi Guarinus Veronenſis, Leonardus Aretinus, Ambroſius Camaldulenſis, AEnaeas Sylvius, aliique proluerunt.*

2. Pyrrichioſque montes. *AEthicus Sophiſta e minoribus Geographis unus, quem de Geographia libellum poſt tractatum Pomponii Melae excuſum habeo, non Pyrrichios*

chios habet, sed Biriccheos montes, & sic etiam appellat AEnaeas in Asia miner. cap. 100. *eosque cum insula Taraconta jungit, atque ita collocat, ut prope Euxinum habere locum videantur. Caeterum quae affert AEnaeas de Turcis, fere ad verbum desumpsit e sua historia de Asia minori cap.* 100.

3. Rascia jam novissime occupata est. *Rascia Serviae pars est. Serviae vero despotam Stephanum a Murate II. ditione sua spoliatum anno* 1427. *discimus ex Annal. Turcic. Leunclav. ad eumdem annum. Despoto quidem Serviae pristina ditio restituta est sub Joanne Hunniado, teste AEnea de Europ.* 1. 5.

4. Bis capti a Turcis sunt. *Pugnarum istarum altera commissa fuit ad Varnam Moesiae inferioris Urbem, in qua Ladislaus Hungariae Rex, & Julianus Caesarinus Cardinalis A. S. L. extincti sunt. Altero ab hac pugna anno, reparatis viribus, Joanne Hunniade Transylvaniae Principe adiutore, iterum pugnatum ab Hungaris est, iterum infeliciter. Vide AEneam Europae cap.* VI.

5. Corporis custos cohors e Germanis. *De Octaviano narrat Suetonius in August. c.* 79 *caeteris corporis custodibus sibi publico decreto concessis ex Germanis cohortem adjecisse. Id etiam ferunt de Augusto, Caligula, aliisque, Vide Mascou fatti de' Tedeschi lib.* 2. § 33.

6. Veneti fidem Imperatori debere. *Italiae Principes omnes ad colloquium invitavit Fridericus, ut expeditionem in Turcas communi consilio molirentur. Senatus Venetus eo misit Zachariam Trivisanum, doctorem, & equitem, & Matthaeum Vetturi.*

7. Latrones & raptores omnes. *Latrones trans Danubium in Austriam ad Moravae fluminis ripam munitum locum occupantes Albertum Brandeburgicum expulisse tradit AEneas in Europa cap.* 22.

ORA-

Digitized by Google

ORATIONIS XIV.

Argumentum.

STatuta Turcica expeditio in Ratisponensi, & Francfordiensi conventibus, executioni tandem mandanda erat; belli gerendi ratio definienda. Eam in rem Principibus indicta dies est Viennam Austriae; redactisque illis in coetum, quae res ipsa poscebat suggerenda, oratione hac exposuit AEneas. In qua tamen agere se Episcopum Senensem, non militem aut exercituum Imperatorem intelligens, ea monet, quae decet Ecclesiasticum Oratorem. Numen ut precibus reddant armis suis propitium; ne quid crudele, ne quid iniquum in hostes agant; concordiam servent inter suos; eosque se praebeant, ut vel hostes intelligant Christianos esse milites qui pro religione pugnent. Orationem hanc destinatam quidem credo ut in Viennensi conventu recitaretur; cum vero, quantum ex conjectura assequor, Vienna posthabita, Novam Civitatem Principes convenissent, Pius orationem cum loco mutavit, eique substituit Responsionem Hungaris datam nomine Caesaris, in qua ea fere omnia repetit, quae in hac Viennensi praescripserat. Id vero orationi huic accidit, quod & aliis multis ejusdem authoris, ut quae prius meditanti occurrerant ea scriberet; dein vero secundis curis scripta sua priora reformaret. Hinc nata informis illa oratio, quam ex nostro Lucensi Codice post praesentem orationem subjungo.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO XIV.

In Conventu Viennensi Caesaris nomine de modo belli gerendi contra Turcos.

An. 1454. De hac oratione vide quae adnotavi ad orationem aliam Pii perorasam in eadem Viennensi conventu ut responderet nomine Caesaris Legatis Hungarorum. Ex Lucensi Codice.



IN hoc florentissimo atque amplissimo conventu vestro, Reverendissimi Patres, Illustrissimi Principes, caeterique viri magnanimi ac praestantissimi, non est cur hodie differamus an bellum indicere Turcis expediat. Id namque & in Ratispona super Danubium, & in Francfordia super Muganum abunde discussum atque determinatum est. In his enim locis ex jussione Divi Caesaris Friderici Romanorum Imperatoris domini nostri piissimi ac gloriosissimi, post amissam Constantinopolim ad consulendum Reipublicae Christianae duo Concilia celebrata sunt, in quibus satis superque satis deplorata est Constantinopolitana calamitas. In Ratispona putaverunt omnes qui aderant necessarium esse pugnare in Turcos, si religionis nostrae decus obtinendum est. In Francfordia re pressius examinata ac digesta, decretumque est contra Turcos bellum, repromissa sunt Hungaris auxilia; statuius militum numerus qui ex Alemannia deducatur; classis ex Italia comparandae cura ad SS. Urbis Romae Pontificem Nicolaum V. remissa, qui per Legatum suum id oneris acceptavit. Inclitus Hungariae ac Bohemiae Rex Ladislaus neque pacem, neque inducias belli cum Turcis se habiturum medio tempore affirmavit, viresque suas omnes adversus illos collecturum se ait. Haec Serenissimus Imperator certissima putat, nec promissa tot procerum, tot Principum, tot communitatum quovis pacto ruitura credere potest. Scit inclitam nationem suam semper constantem ac sui dicti tenacem fuisse; neque ambigit quin modo potissimum dicto suo faciat satis, quando de statu totius Christianitatis agitur. Nisi enim promissus progrediatur exer-

Joannem Papiensem Ep.

exercitus, Hungariam amittimus ne dicam prodimus, cui Turci infensi sunt: ea perdita, neque Italia neque Alemannia tuta est. Intellexit Divus Imperator noster quam liberaliter, ac magnifice Sanctitas D. N. Papae in Francfordiensi Concilio per Legatum suum sese obtulit, qui non modo pecuniae, sed ne vitae quidem suae parsurus est ut Christianae plebi subveniat. Rex Ladislaus, quem paulo ante honoris gratia nominavi, Alberto patre & avo Sigismundo dignissima progenies, missis oratoribus suis, exposito regni sui discrimine, quamvis adhuc puer, aetatulam suam bello pro Christi fide gerendo, si vos sibi adjumento fueritis, consecraturum se ait. Theodoricus Maguntinus, & Jacobus Treverensis Archiepiscopi Sacri Romani Imperii Principes Electores, qui praesentes in conventu fuere, cognita Christiani populi necessitate, ad gerendum contra Turcos bellum omnes vires suas obtulerunt; neque Theodoricus Coloniensis Ecclesiae Pontifex per Legatos minora promisit. Fridericus autem comes Palatinus altus Bajoariae sanguis, generosaque Caesarum soboles, non modo se missurum in hoc bellum auxilia testatus est, sed iturum se quoque, si fortis exercitus instituatur, & in propria persona militaturum se ait. Quid Philippum Burgundiae Ducem commemorem, nobilissimum Franciae sanguinem, cor Deo dignum, mentemque coelo deditam, & animum in obsequia Christi paratissimum? Referam ne quae praesens ille Ratisponae pollicitus est? at modestius aestimo de tanta promissione silere, ne magnificentissimas oblationes tenui atque incompta oratione mea comminuam. Oratores certe ipsius cum apud Francfordiam rogarentur, an auxilia sibi deputata Philippus missurus esset; non modo missurum eum dixere, sed indigne laturum, quia exiguus ex eo militum numerus peteretur. Nec germanus Caesaris Albertus, sublimis Austriae sanguis, tantis rebus defuturum se quovis modo confirmavit. Ludovicus Bajoariae Dux excellens paternis opibus, ac sua virtute potentissimus, Ratisponae per se ipsum, Francfordiae per Legatos Christianae necessitati magnificè subventurum se dixit. Quid de Theutonico Achille dicam? quam

Albertus Austriae Dux Friderici germanus.

Digitized by Google

quam volens, quam promptus, quam fervens ad tuendam Ecclesiam nunc Ratisponae, nunc Francfordiae visus est? Quaeritis quis sit hic Achilles? Albertum ego Marchionem Brandeburgensem, Germanicae nationis singulare numen, Achillis nomine designo. Appellassem hunc Hectorem, ita equitationes, pugnas, atque consilia illius Trojani, & insuperabilem animum imitatur; nisi timuissem invictum Principem victi herois nomine minorem reddere. Nam Hectorem bello superatum novimus: Albertum Marchionem ex maximis ac periculosissimis praeliis victorem semper virtus eduxit. Carolus Marchio Badensis, cui Caesarea soror nupta est (1), laudatissimam vocem edidit: quamvis minor est mea potentia quam nobilitas, in obsequio tamen fidei, nobilitatem magis quam potentiam intuebor; neque me Christianum putaverim, nisi laborantibus caeteris, & ipse laboraverim. Praeterea, ne sim taedio, reliquos Principes ac nobiles praetereo, potentissimas ac magnificas civitates, quorum Legati palmas ad coelum sustulere, cum de parando adversus infideles exercitu mentionem fieri audivere. Alphonsus Rex Aragonum & Siciliae, inter Principes aevi nostri clarissimum sydus, victoriis ac triumphis illustratum, quem Christianorum spem maximam, barbarorum ingentem formidinem non injuria vocaverimus, praestantes Legatos Francfordiam direxerat. Sed alter morbo in via decessit; alter in tempore comparere nequivit (2). Venit tamen hic ad Caesarem, atque ea loquutus est de Rege suo, quae de Principe magnanimo ac Christianissimo speranda fuerunt. Quid igitur est quod jam hoc in loco perficiendum sit, quando & Principes & civitates gerendi bella desiderio fervent? Quae placita atque conclusa sunt Francfordiae apud omnes habentur rata; sed quomodo, quove ordine exequutioni mandentur, id nunc in medio consulendum est.

Danda est opera ut exercitus quantocyus congregetur, eligendus est dux belli, quem capitaneum nominamus, Romani imperatorem appellavere; dicenda dies qua progrediendum; nominandum iter quò sit eundum; statuenda belli gerendi sedes, res frumentaria pro-

procuranda; inter Hungaros, Bohemos, ac Theutones unitas facienda; habenda cum Italis intelligentia certior; sciendum quid illa natio gerat, quantam classem instruat, quem bello maritimo perficiat, quo tempore sit exitura, quo loco Turcos invasura. Super his ergo cogitetur, atque attenti sitis orat Imperator, qui cum vestro consilio cuncta disponere decrevit. Verum quia summa omnium est, ut ita nos praeparemus, quatenus exercitum educentes vincere ac pacem Christiano populo parare possimus; jubet me Caesar nonnulla dicere, quae ad victoriam consequendam ne dum idonea, sed etiam necessaria ducit: quam rem difficillimam reddit gravissimus ac frequentissimus conspectus vester. Illustrissimi namque virorum conventus, quanto disertissimis oratoribus animum elevatiorem efficit; tanto rudibus ac mihi similibus depressiorem reddit. Cumque nihil aures vestrae sustinere queant, nisi perfectum ingenio, elaboratum industria, nitidum eloquentia, vereor ne dum Caesari pareo, mihi ipsi confusionem acquiram. Sed quis ego sum qui tanti principis imperium devitem? Feram ignorantiae maculam, dum vitem contumaciae notam. Vos si non mihi, at saltem Caesari, cujus nomine loquar, praebebitis aures. Nec ego in hoc amplissimo auditorio illa tangam, quae fortasse multi expectant, idest quam robusti legendi milites, quo modo servandi ordines, quae arma induenda, qui currus apparandi, quae machinae ducendae, quae castris optanda loca, ut vitanda palus, salubritas aëris eligenda, ut aquandi, lignandi, pabulandi quaerenda commoditas; quadratam, rotundam an trigonam castrorum formam esse oporteat; quanta commeatus hujusmodi cura, quomodo plectenda delicta militum, quam diligenter exploranda hostium consilia, occultanda nostra, quomodo exercitus cornua, quomodo alas, quomodo acies struere sit necesse, quo pede praemisso jaciendum palum, quo vibrandus ensis. Nam etsi haec ad victoriam magni momenti sint, librique de his scripti habeantur; scripserunt enim primo de his Lacedaemones, tum multi Graecorum, ac ex Romanis M. Cato senior, deinde

Frontinus ad Trajanum Caesarem, & postremo noster Vegetius. Nec AEgidius Romanus (3) hanc partem reliquit intactam. Non tamen ego, praesentibus Alberto Marchione, Joanne Comite Bilcricensi, ac Georgio Bohemiae gubernatore, clarissimis, ac fortissimis viris, qui ab ineunte aetate in armis nutriti sunt, pluribusque praeliis interfuerunt quam ego legerim, de his rebus ausim verba facere, ne cum Phormione Philosopho sim derisui. Oravit hic aliquando in Rhodo, ut Cicero tradit, de re militari coram Annibale Poeno, summo illius aetatis Imperatore; cujus orationem cum caeteri maximis laudibus prosequerentur, solus Annibal dignam vituperio censuit, & hominem aetate delirantem putavit, qui, se praesente, de rebus bellicis differere praesumpsisset. Commoniti ergo nos hoc exemplo, qualia esse debeant militum corpora, qualesve armaturae aut ordines, quive castrorum modi, quae pugnandi regulae atque cautelae, ad Capitaneum qui nominandus est remittemus. Longe alia sunt quae proferre jubemur, & ipsa tamen ad victoriam obtinendam accommodata & necessaria. Neque enim congregato forti exercitu, delectis peritissimis Ducibus, quaesitis utilibus armis, provisis abunde commeatibus, & occupato loco pugnandi idoneo, structis prudenter aciebus, commisso viriliter praelio mox victoria datur, nisi victoriarum distributor Dominus hoc nos munere donet. Dicendum est igitur hodie non quomodo manus castrenses, sed quomodo castrensium animi ad obtinendam ex Deo victoriam disponi pararique debeant, atque in hoc omnis nostra consumetur oratio. Victoria, quemadmodum nostri tradunt omnis ex Deo est, neque id dubium quidem quando omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum; neque sperare victoriam adversante Deo, neque ipso propitio timere ruinam fas est: *juxta voluntatem enim suam*, ut est in Daniele, *facit Deus tam in virtutibus coeli, quam in habitatoribus terrae, & non est qui resistat manui ejus, & dicat ei: quare fecisti?* Victoria & triumphus & regnum in manu Dei est, & cuicumque voluerit ille, hoc dabitur. Ab eo igitur Pharaonis vi-

victor efficitur Moyses, sive Josue, sive caeterorum Judicum ac Regum bella respiciamus, quae veteris testamenti codex exponit. Nullum superasse comperiemus, nisi quem digitus Dei tutatus est. Neque sine Dei nutu Trojam subvertit Agamennon, neque Graeciam subegit Philippus, neque Asiam domuit Alexander, neque Italiam concussit Annibal, neque uterque Scipio Carthaginensium attrivit imperium, neque duos ac viginti Reges debellavit Pompejus, neque undecies centena millia hostium occidit Julius, neque Constantinus civilia bella barbaricaque confecit, neque Aquilejam delevit Athila, neque, ut ad Germanos veniam, Longobardos Carolus Magnus edomuit, Otto primus compescuit, secundus castigavit, tertius extinxit. Neque conditor Austriae domus Divus Rodulphus Ottokarum magnum Bohemiae regem bello superavit atque occidit; a Deo igitur quaerenda atque impetranda victoria est. At cum Deus ipse absolute justus bonusque sit, quis non intelligat eos potissime donandos ab eo victoria esse qui sint & ipsi boni & justi? Si quis ergo vincere hostes externos cupit, ante omnia internos inimicos, hoc est mentis vitia superet. Vincat se ipsum necesse est, qui adversarium superare cupit. Et nos ergo si Turcorum frangere acies cupimus, ita in campum veniamus, ut ei grati atque acceptissimus, cujus est donare victoriam. Et milites igitur vel exercitus & belli Duces, quos eligimus, virtutis amatores, osores vitii sint, neque scelerati quamvis manu prompti, & rei militaris periti ad pugnam recipiantur. Aristoteles tamen in hac parte adversus mihi videtur, qui de magistratibus civitatum agens in quinto politicor. libro. *Si facienda sit electio ex duobus, quorum alter ad rem militarem aptus sed improbus, nec reipublicae amator habeatur; alter vero justus & amator, sed pugnandi parum peritus sit*; ad peritiam putat, magis quam ad probitatem esse respiciendum. Quod sequutus apud Romanos Fabritius magna gloria vir, magnusque rebus gestis videtur, qui teste Gellio P. Cornelium Rufum hominem furacem, atque avarum in temporibus Reipublicae difficillimis consulatum petentem adjuvit, quoniam

esset

esset manu strenuus ac bellator bonus militarisque disciplinae peritus. Sed mihi neque Aristotelis sententia placet, neque digna quam sequamur in hac parte Fabritii videtur auctoritas; namque si Dei est, ut diximus, omnis victoria, quis dubitet illam per ministros potius bonos ac Deo placentes, quam per odiosos concedi hominibus? Nihil rei militaris scientia proderit, nisi ducis probitas Deo placuerit. At contra sine rei bellicae peritia plurimum per se ipsam valebit innocentia. *Integer vitae scelerisque purus non eget Mauris jaculis, nec arcu, nec venenatis gravida sagittis, Fusce, pharetra*, Flaccus inquit. Sicut enim maximae copiae parva manu, cum Deus voluit consternatae sunt; ita & cum imperito Duce peritum vincere Deo pronum est. Nolo veteris testamenti exempla referre, res novae, & in Christianissimo gestae sufficiunt. Julianus apostata & scientia pugnandi & militum numero Parthis multo superior, victus tamen occiditur, nec moriens hosti victoriam, sed Christo imputat, quem persecutus fuerat. Nam cum vulneratus esset, neque mortali sed divina percussum manu se cognosceret: *Vicisti*, inquit, *Galilaee*, *vicisti*. Constantino cum anxius esset futuri belli, quo se imparem hostibus existimabit, per quietem signum crucis in coelo monstratum est, & vox facta quae diceret: *In hoc*, *Constantine*, *vince*. Neque Theodosius Argobastum, aut Eugenium bellandi peritia, sed manifesto Dei auxilio superavit. Hinc illa non spernendi poëtae carmina

Claudian.

O nimium dilecte Deo, cui militat AEther,
Et conjurati veniunt ad classica venti.

Apud Britanniam, quae nunc Anglia nuncupatur, testante venerabili Beda viro sanctissimo, cuius ego sepulchrum in Dunelmia vidi, cum praelium inter Christianos atque gentiles periculosum instaret, essentque Christiani & pauci & inermes, neque ullo pacto hostibus pares, intervenientibus duobus ex Gallia pontificibus sanctis viris Germano ac Lupo, & in ipso pugnae principio *alleluja*, tertio grandi voce intonare jubentibus

bus, victoria Christianis, fide non arte, neque viribus, parta est. Pleni sunt nostri codices exemplorum. Victrix frequenter probitas est, succumbit impietas. *Ego sum qui sum*, dicit Dominus, *& consilium meum non est cum impiis*. Neque hoc fugit Aristotelem, cujus in ethicis haec sunt verba: *nam si dii curam aliquam habent humanarum rerum, ut existimatur & creditur, rationabile est eos gaudere optimo & cognatissimo; hujusmodi vero est mens, & amantibus illam maxime honorantibusque favere, tanquam rerum carissimarum sibi curatoribus, ac recte & bene agentibus*. Quod autem haec omnia sapienti maxime competant, non est obscurum: amicissimus ergo Deorum, eumdemque felicissimum esse decens est. Et cum Aristotelis testimonium, quod curant superi mortalia facta, hisque favent, qui mentem colunt. At hi virtutis amatores sunt, osores vitii: Sic ergo & victoriae porta nutu Dei bonis aperta est, malis clausa: quod & gentiles ipsi manifestè senserunt, qui victoriam Deam esse senserunt, quam Jupiter optimus maximus mitteret: illam verò tanquam regi Deorum obtemperantem, ad quos jusserit, venire, & in eorum parte consistere. *Et hoc*, inquit Augustinus in lib. de Civit. Dei quarto, *vere dicitur non de illo Jove, quem Deorum regem pro sua opinione confingunt, sed de illo vero rege saeculorum, qui mittat non victoriam, quae nulla est substantia, sed Angelum suum, & faciat vincere quem velit, cujus consilium occultum esse potest, iniquum non potest*. Expedit ergo pugnantes in primis pios esse, atque innocentiae scuto munitos; sic enim Deo grati, atque accepti facile victoriam consequentur. Quod si dicat aliquis meliores aliquando succumbere, victoresque fieri pessimos, atque illud Lucani commemoretur: *victrix causa Diis placuit, sed victa Catoni*; melioremque Julio Pompejum asseramus. Respondebo non esse facile de probitate hominis judicare. Deus solus est qui scrutatur corda & renes hominum. Nullum animal versutius est homine, multae in eo latebrae: *multae insidiae dolosi*, inquit sapiens. Saepè apud Deum reprobatus est, quem nos optimum credimus. De stragibus autem, quas ab infidelibus majores nostri

nostri perpessi sunt, & nos in dies patimur, non est quod divinam pietatem religioni nostrae adversam putemus, faventemque sectae hostium; sed odit Deus illos, quia sine fide impossibile est Deo placere. Corrigit nos quia fidem sine operibus mortuam habemus, illisque victoriam praebet ad mortem, nobis captivitatem immittit ad vitam. Sicut enim Machabaeorum secundo scriptum est; multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere magni beneficii est indicium. Non enim sicut in aliis nationibus Dominus patienter expectat, ut eas cum judicii dies venerit in plenitudine peccatorum puniat; ita & in nobis statuit, ut peccatis nostris in finem devolutis, ita demum in nos judicet, proprer quod nunquam quidem misericordiam suam a nobis amovet. Corripiens vero in adversis populum suum non derelinquit. Sed dicitur saepè victos Dei cultores ab his qui Deum nesciunt, quod factum esse propter peccata nostra manifestum est; nunquam tamen modo apertum mare, modo clausum in favorem infidelium legimus, neque columnam ignis in nocte fulsisse, in die columnam nubis adversus calorem datam, nec stetisse solem, neque fluminum impeditum cursum, neque oppidorum moenia solis orationibus cecidisse, quemadmodum haec ad utilitatem eorum qui Deo serviebant facta traduntur. Quidni ergo spem nostram, & in vera fide & pura innocentia reponamus? expectemus victoriam si boni fuerimus; si mali captivitatem mortemque timeamus. Ego igitur, ut ad id redeam quod de Aristotelis auctoritate praemissum est, si eligendus mihi dux belli fuerit neque probitatem sine scientia rei bellicae, neque scientiam sine probitate receperim, quoniam in altero tentare Deum, in altero irritare timuerim. Aut si alterum omnino sit eligendum, non auscultabo Aristoteli: tentabo libentius quam irritabo divinam clementiam, dum potius bonum quam peritum sequar. Hoc inquam si certa atque indubitata sit probitas; verum quia haec rara avis in terris est, nigroque simillima cygno, neque cognosci potest si qua est, oportet peritiam sequi; nam quod ait Aristoteles omnino falsum est, quia pauciores sint

sint rei militaris periti, plures vero probitatis. Contra enim est, multi res callent bellicas, probitatis pauci sectatores. Erit ergo inter duces eligendus, qui scientiae militaris plurimum, malitiae minimum habuerit. *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, inquit Psalmista. At cum Dei sit quem velit ex pugnantibus victorem efficere, non est ambigendum quin meliores praeferat, nisi latens aliqua ratio sit, quae aliud suadeat. Nos autem, quibus incognita sunt judicia Dei, generalem sequi regulam debemus, quoniam impios exterminat Deus, justi autem in perpetuum vivent. Suadet igitur Caesar, quoniam vincere volumus, eos in bellum mittamus, per quos donare nobis victoriam divina pietas non dedignetur. At quia peccatores sumus, peccatores autem non audit Deus, criminibus renuntiare oportet, vitamque mutare perversam. Peccavimus omnes, quis dubitet? recessimus a testamento Dei, iniquitatem fecimus, idcirco invenerunt nos mala, quorum non est numerus. Hinc Hierosolymorum amissa civitas, Antiochia perdita, Alexandria profanata, Constantinopolis occupata, omnis oriens, omnis meridies alienatus, Graecorum contrita gloria, Latinorum in dubio libertas posita, religio nostra in angulum Europae redacta, in derisum ac subsannationem gentibus dati sumus. Recessit a nobis Deus propter peccata nostra, neque auxiliatur amplius nobis in bello dextera sua, & brachium suum contra nos est. Quod si rursus in gratiam redire volumus, ac flagella divina vitare, contrario itinere incedendum est, abiicienda sunt omnia, propter quae venisse super nos credunt iram Dei. Audiendus est clarus ille propheta Hieremias. *Nunc ergo*, inquit ille, *bonas facite vias vestras, & studia vestra, & audite vocem Domini Dei vestri, & poenitebit Dominum mali quod locutus est adversum vos*. Audiendus est alius propheta ac plus quam propheta, major homine, par Angelis, Joannes Baptista qui constitutus in eremo fructus fieri dignos poenitentia docet. Audiendus est & alter Joannes de Capistrano, verax verbi Dei praedicator, qui diebus singulis nobis evangelizat; sequenda sunt ejus monita: re-

redeundum est denique in viam, renunciandum vitiis, virtutibus inhaerendum. Et quamvis omnia vitia detestatur Deus, praecipue tamen eliminanda est a nostro exercitu ea bestia septicornis, quam superbiam nominamus. *Initium enim omnis peccati*, ut inquit Sapiens, *superbia est, & qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & subvertet eum in finem*. De Nabuchodonosor inquit Daniel. *Dum autem elevatum est cor ejus, & spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, & gloria ejus ablata est, & a filiis hominum ejectus est* Abiciamus igitur hanc pestiferam & venenatam bestiam, ne quid in exercitu nostro possit officere, ne principes inter se committat, ne milites invicem dividat, ne schismata inter nos nutriat, ac nationem nationi reddat infestam. Expositus est ruinae omnis exercitus intra se divisus. Impossibile est adversus hostem bene pugnare, cui cum fratre litigandum est. Non potest veritas nostra mentiri, quae in evangelio omne regnum in se divisum futurum affirmat. Conradus imperator, ne vetustiora commemorem, rexque Francorum Ludovicus cum maximas copias contra Turcos ac Saracenos in Asiam deportassent, dum fuere concordes usque Hierosolymam clari atque victores perrexerunt; at seditionibus postmodum agitati exercitum inglorium reduxere. Et ut ad nostra tempora propius accedam, Sigismundus rex Hungariae, qui postea Romano imperio praesedit, non alia de causa in magno praelio victus a Turcis creditur, nisi quia variarum gentium collectum exercitum minus concordem habuerit. Idem quoque de Uladislao Poloniae rege vulgatum est, quem propterea victum atque occisum tradunt, quia non fuerit inter Polonos, Hungaros, ac Valaccos unitum consilium. Vobis ergo, principes, ac viri potentes, quibus in Turcos pugnare decretum est, concordiam super omnia Caesar commendat. *Concordia* namque, ut ait Crispus, *parvae res crescunt, discordia maximae dilabuntur*. Arctissimum atque optimum in omni exercitu vinculum incolumitatis est concordia; inexpugnabilis est exercitus qui nexu charitatis est unitus. Ubi concordia est, ibi & ordo & obedien-

tia,

Digitized by Google

tia, sine quibus nihil est quod duces exercitus valeant explicare. Facessant inter vos omnes divisiones, nulli contentioni sit locus, absint illa omnia quae scissionem sapere possunt. Nemo se Gallicum, nemo se Teutonicum, nemo se Bohemum, aut Hungarum dicat. Unum sit omnibus nomen, Christianum se quisque vocitet, neque pugnaturus pro Christo, aliis se quam Christi titulis ac fascibus ornet. Sint omnes milites cruce signati, ament invicem; inferiores superioribus pareant; superiores his qui sibi subjecti sunt moderata imperent. Nemo de se majora quam sit existimet. Si quis est virtute praestans ac Jasoni similis, qui sibi fieri injuriam credidit, nisi regnaret, erat enim ille ad gubernandum aptissimus; persuadeat sibi quod non semper qui melior est eligitur. Titus Vespasiani filius, quem delitias generis humani vocaverunt, principatum, dicere solitus erat, fato dari, inanesque curas illorum, qui suis studiis imperaturos se crederent. Nec male sentiebat si fatum pro divina ordinatione, quae gubernat mundum, accipiebat. Si quis ergo est qui eum sibi praelatum dolet, cui se praeficiendum putavit, existimet quod non humano sed divino judicio id factum est. Cogitet id quod est in hoc bello, non se homini, sed Christo militare ac parere, nec gravetur cum sit homo humiliare se homini propter Christum; quoniam Christus ipse, cum esset Deus, propter hominem usque ad mortem crucis seipsum exinanivit. O homo qui tu es? quem te ipsum facis, o caro, o terra, o pulvis, o cinis; unde ista tua superbia est? unde tumescis? unde est ut homini subesse nolis? Cum Deus ipse propter te homini se subjecerit. Abiiciamus, obsecro, hanc mentis elevationem, absit haec inanis spuma, recedat hic periculosissimus ventus. Sit nobiscum illa modestissima & pulcherrima virgo, quam vocamus humilitatem, quae sola divinam meretur gratiam, quae in terris sublimat homines, & in coelis coronat Angelos; hanc si totis affectibus complexi fuerimus, erit in nostro exercitu concordia, pax, tranquillitas, obedientia, ordo. Nullum odium nos vexabit, nullis agitabimur contentionibus, unitum exercitum atque insuperabilem efficiemus.

Pp 2 Dicat

Digitized by Google

Dicat hic fortasse quispiam : quid est quod ais ? Ducibus ac militibus humilitatem praedicas, quos fortes ac magnanimos esse oportet. Humilitas autem his contraria virtutibus habetur. Immo vero, principes, nemo humilis est nisi fortis ac magnanimus. Fortitudini contraria est imbecillitas, magnanimitati pusillanimitas, non humilitas. Animus certe illi magnus est, neque fortitudine caret, qui cum sit genere clarus, virtute praestans, ingentibus dignus honoribus, si vocatur ad res magnas praesto est, suoque satis officio facit: si postponitur non turbatur, neque praeterea seditiones excitat, sed animo sedato fortunam fert, atque illa spernit, quae alii magna ducunt. Caeterum quia in omni procuratione negotii & muneris publici caput est, ut avaritiae tollatur vel minima suspicio, eum belli ducem eumque capitaneum assumere oportet, quem summa temperantia commendatum reddat. Neque enim oportet exercitum is continere imperator, qui seipsum non continet, neque severus esse in judicando qui alios in se severos esse judices non vult. Nullum vitium deterius est quam avaritia, & praesertim in eo qui ducit exercitum. Nam rempublicam venalem habet, nec enim militibus stipendia elargitur, nec praedas justè partitur, saepèque propter avaritiam ab instituto cursu revocatur. Verum non solum capitaneo, sed universo exercitui prohibenda est haec pestis, nedum per agros amicorum sociorumque transit, rapinas agat. Neque ego hunc exercitum praedae cupidum esse voluerim. Auro namque non Christo militat qui spolia concupiscit. Pro tutela fidei, pro gloria Christiani nominis, pro zelo domus Dei hoc hoc bellum suscipiendum est, non praedae causa. Non tamen parta victoria si quid praedarum est, recipiendum prohibeo, nam & justum lucrum ex justo bello provenit. Cavendum tamen est, ne rapiamus unde non decet, ne pauperes Graecos atque alios Christianos, qui coacti sub Turco degunt, suis bonis spoliemus, quae res non modo invisa Deo esset, sed ipsos quoque nobis alienaret qui spem in nobis habent. Cogitemus quia ad liberandum ex manibus Turcorum Graeciam, non ad spoliandam pergimus. Quod si vulgatum

Graeci

Digitized by Google

Graeci audiant, mirabilem hinc favorem consequemini; alioquin non minus Graecos quam Turcos infestos patiemini. Praeterea, ut de capitaneo amplius aliquid dicam, sint ad eum faciles aditus privatorum, sint liberae querimoniae de injuriis, ut qui dignitate principes excellit, facilitate infirmis par esse videatur. Fidem autem non ad socios solum, sed etiam ad hostes inviolatam custodiat. Absit ex nostro exercitu omnis libido, omnis crudelitas, nulli foeminae vis inferatur. Pudicitia non modo nostrarum, sed etiam captivarum salva sit. In praelio robustos milites, in pace mansuetos velim; parta victoria furor armorum cesset. Nemo nisi in acie occidatur; parta victoria gladium vagina claudes, nudum videat nemo; hostes imperatoris virtutem pugnantes timeant, victi mansuetudinem diligant. Etenim quamvis sint Turci omni malo digni, qui Filium Dei abnegant Jesum Christum; nihil tamen in eos temere ac crudeliter agendum est. Illud curandum omnino existimo, ut Graeci, si vincimus, libertatem sperent; Turci crudelitatem mortis non timeant, ne desperationem in virtutem vertant. Saepe salus victis nullam sperare salutem fuit. Modestia igitur ac providentia capitanei hoc curabit, ne crudelis exercitus existimetur, ne libidinosus; quod nulla re facilius aget, quam si & ipse continentia atque abstinentia valuerit. Oportet esse quidem milites animo plenos, sed non minor libidinis quam Turcorum hostes, omneque turpe nomen horrere, ne maritis uxores, ne patribus filias, ne sorores fratribus auferant. Temperanda est ipsa victoria. Nemo idcirco vincere velit ut libidinem expleat: expellatur haec immanis, ac teterrima bestia, quae saepè victores exercitus pervictos reddidit. Est quoque & alia bestia ex nostro exercitu procul abiicienda, quae desidia seu pigritia nuncupari potest. Decet enim milites sui nominis meminisse, quos a malo, quod perferunt, dictos Jurisconsultus ait. Sciat se quisque miles in exercitu esse, qui non a quiescendo, sed ab exercitando nomen accepit. Sint sedulo in armis, cursitent, foveam fodiant, vallum figant, agant, instent, vigilent, & nullum tempus laboris vacuum

cuum habeant. Numquam in otio miles, nunquam imperator inveniatur, sciatque capitaneus nullum dulcius spectaculum esse militibus, quam ductorem exercitus panem communem milite coram edere, in vili simul jacere strato, vallum castrorumque metationem communi labore simul partiri. Non enim tam fasces pecuniasque fortiri colendos capitaneos facit, quam laboris periculique vices subire. Praeterea magis ab exercitu ipsi coluntur duces qui mutuo labori se ingerunt, quam qui pigrescere milites sinunt. Neque enim cibariis uti debet delicatis sive miles, sive imperator, ac longe quaesitis. Luxuria igitur omnis absit, & lautae gloria mensae. Scipio militem multavit, qui artocream ediderat, quam Carthaginem vocavit. Sunt igitur omnes hae bestiae a nostris procul castris expellendae, si victores esse cupimus, superbia, avaritia, libido, crudelitas, ignavia, luxuria; pro hisque advocandae sunt nobilissimae ac speciosissimae virgines humilitas, liberalitas, castitas, misericordia, solicitudo, abstinentia: hae sunt enim quae divinam nobis pietatem placare possunt, & Angelum, qui victoriam praebeat, ex ipso coeli summo vertice advocare. Cumque his fortitudinem, ac magnanimitatem; tum vero spem & alacritatem concurrere oportet. Aggrediantur milites alto corde, quae necessaria instant pericula; neque terreantur subitis casibus, non perturbentur in rebus asperis, neque tumultuante de gradu deiiciantur, ut dicitur: potissime verò capitaneus praesenti animo, consilioque utatur, nec a ratione discedat. Sed omnia quae possunt evenire in utramque partem libret, ac percipiat cognitione futura, ut jam sciat quid agendum sit, cum hoc aut illud evenerit, ne aliquando turpe illud dicere habeat: non putaram Cumque omnino periclitandam est, volo fortem militem servituti ac turpitudini mortem praeferre. Nunquam spes, nunquam alacritas militi desit; credat se omnis exercitus victurum cum pugnare oportet. Caveat imperator milite titubante praelium committere, ad quam rem duo necessaria sunt. Alterum ut ita munita sint castra, ne cogatur invitus pugnare. Alterum ut ratione ostendatur militibus victoriam esse sperandam:

in

Digitized by Google

in qua re multum valet capitanei eloquentia, atque ingenium, ac dicendi gravitas & copia, in quo ipso est quaedam dignitas imperatoria. In primo adjutus est C. Marius, qui contra Cymbros profectus, cum sensisset milites timere multitudinem ac proceritatem hostium, tamdiu in castris se continuit, donec contumeliis provocatus miles, praelium posceret. Antea verò petentibus hostibus pugnam respondit, non esse Romani moris pugnandi consilium ex hostibus capere. Neque hic imitandi sunt aliqui, qui sibi dedecus reputant nisi pugnent provocati, timent enim rumores hominum, ne pusillanimes appellentur. Imitandus est potius Fabius maximus, quem cum multi reprehenderent, quia non pugnaret cum Annibale, *non ponebat rumores ante salutem*, neque pugnare sine certa spe victoriae volebat, quod illi facere possunt, qui castra opportune muniunt, & his rebus fulciunt, quae sunt ad victum necessaria. Sed haec cura Capitanei erit.

Nos hic pauca de spe instituimus dicere; sentio enim multos dicere, quibus non videtur verisimile cum eo exercitu, qui promissus est, vincere. Namque cum fama sit trecenta aut saltem ducenta millia pugnatorum in armis habituros Turcos, quid, inquiunt, adversus haec quadraginta millia bellantes agant? Si fuerint hinc viri, inde oves, mactando nostros fatigari oportet. His ego respondeo quadraginta millia ex sola Alemannia mittenda esse, Hungari suum exercitum, Bohemique suum habebunt extra hunc numerum Neque Austria, Moravia, Slesia, quantum ad haec inter Alemannos habentur; neque ex Gallia quoque, caeterisque Christianorum provinciis nonnulli sua sponte concurrent. Itaque facile, ut arbitror, octuaginta millia pugnatorum terrestris exercitus continebit In mari quoque classis erit nostra inimica Turcis, quae illorum agros undique vexabit, & ad tuendam patriam remanere nonnullos coget. Non est parvus, neque contemnendus exercitus qui octuaginta millia virorum educentium gladios continet. Neque Dux qui sapiat majorem desideret. Romani, teste Vegetio, nunquam tantam belli molem imminere posse putarunt, quin quatuor legiones unà cum auxiliis ad resistendum

suffi-

sufficerent. Auxilia vero nunquam majora voluerunt quam legiones essent. Et licet Octavianus Augustus quatuor & quadraginta legiones habuisse tradatur, non tamen his omnibus uno bello usus est; sed ad tutelam provinciarum legiones alias aliis in locis distribuit. Aristoteles in politicis eam quippe civitatem non laudat, quae adeo magna est, ut cives inter se non sint cogniti. Negat enim ejus civitatis regimen posse subsistere, in qua non sint omnia ex ordine disposita. Civitates autem nimis amplas nimisque populosas recte disponi posse non putat; at haec ratio in exercitu potentior est. Civitas enim non semper hostes habet, & pacis tempore quae gerenda sint in minente bello disponere potest. Exercitus semper hostem insidiantem habet, & nunc impetum, nunc insidias cavere cogitur, discrimina ex momentis occurrunt, quibus, nisi subito succurratur, funditus intereundum est. Sed quomodo ipso puncto temporis provideri atque occurri potest, nisi ad ipsum imperatoris nutum universi milites praesto sint; quomodo praesto erunt ignotus ignoto cum imperat? Maximi & numerosissimi exercitus, neque regi, neque pasci possunt, neque loca facile reperiuntur, in quibus pugnare multitudines hujusmodi possunt: facile quoque minor exercitus, aut colles, aut palustria loca reperit, ne undique circumdari a multitudine possit. Impossibile est maximum exercitum ordinatum esse; neque enim multitudo rei militaris perita potest esse; vix paucos doctos invenias. Legi ego non paucas veterum historias, neque fortunatos invenio exercitus numerosos. Nostis cum quanto fastu missus Olofernes contra Judaeos incesserit, cujus copiae terram cooperiebant, & *profectus est ipse*, inquit Scriptura, *& omnis exercitus cum quadrigis & equitibus & sagittariis qui cooperuerunt faciem ejus sicut locustae*; at hic viduae manu truncatus est. Rapsaces contra Ezechiam missus regem AEgypti deridet quasi baculum arundineum; cadit tamen exercitus ejus. Cyrum Cambisis filium, qui condidit imperium Persarum, cum ducentis millibus pugnatorum ingressus Scythiam regina Thamyris interfecit. Darius Hystaspis filius

filius, qui primus ejus nominis regnavit in Persis, cum septingentis millibus hominum ingressus Scythiam amissis LXXX. millibus turpi fuga recessit. Eumdem cum sexcentis millibus bellatorum Graeciam oppugnare nitentem, Melciades Atheniensis in campis Marathoniis x. millibus fugat. Xerses, qui postea Persis imperavit, septies centena millia Persarum, auxiliarium verò trecenta millia in Graeciam trajecit, tantasque copias congregavit, ut non immerito proditum sit flumina ab ejus exercitu siccata, Graeciamque omnem vix ejus exercitum capere potuisse. Superbus ille atque inflatus tanti ductor exercitus, veluti naturae Dominum se agebat, montes in planum deducebat, convexa vallium aequabat, & maria quaedam pontibus sternebat, quaedam ad navigationis commodum coaptabat; sed qualis rediit? nempe una nave cruentis fluctibus, & tarda per densa cadavera prora: quam terribilis ejus introitus, tam turpis & foedus discessus fuit. Terrestri praelio cum quatuor millibus militum a Leonida rege Spartanorum in angustiis Thermopilarum triduo debellatur: navali pugna in angustiis Salamini freti a Themistocle superatur, piscatoria schapha diffugit. Res spectaculo digna, & expectatione rerum humanae sortis varietate miranda; scilicet in exiguo latentem videre navigio, quem paulo ante vix aequor omne capiebat, carentem etiam omnium servorum ministerio. Quid alter Darius, qui ante Codomanus dictus est? nonne cum Alexandro magno duobus in praeliis dimicavit, primo apud Issum, dein in Gangamelis: in primo bello sexcenta millia pugnatorum habuit; in secundo decies centena millia peditum, equitum quinquaginta millia, currus falcatos ducentos; victus tamen utrobique est. Alexandro VII millia equitum, quadraginta millia peditum fuere. Cajus Marius cum sexaginta millibus militum, trecenta millia Cymbrorum fudit atque delevit; nec majorem exercitum habuit Julius Caesar cum quadraginta millia Gallorum contrivit. Exposita semper ad caedem est nimia numerositas. Vester autem exercitus si, quemadmodum statutum est, congregabitur, neque paucitate contemnendus, neque numerositate confundendus. Duces peritos, mi-

lites fortes, & ad signum paratos habebitis. Pugnabitis armati contra inermes, experti contra rudes, animosi contra timidos. Asiani namque, ut ipse testis est Aristoteles, imbelles sunt. Huc accedit quod non sunt a Graecis amati Turci; inter medios hostes pugnabunt: si semel fugere coeperint, & vos, & suos timere habebunt. Non est igitur quod multitudinem illorum formidetis; quia pro causa Dei pugnaturi estis, cui tam facile in paucis quam in multis vincere pronum est. Immo vult ille potius in paucis, ut sua omnino victoria videatur; quemadmodum Gedeoni contigit, quem cum CCC. viris pugnare Dominus voluit, cum congregasset XXX. millia. Dixitque Dominus ad Gedeon: *multus est tecum populus, nec tradetur Madian in manu ejus, ne glorietur Israel contra me, & dicat, meis viribus liberatus sum.* Confidite igitur principes, neque multitudine hostium terreamini, quoniam pro eo pugnaturi estis, in cujus manu victoria est atque triumphus. Haec voluit Caesarea Majestas nunc me dicere, ut ad futura, quamvis cauti estis, tamen cautiores redderemini. Vos igitur cogitate super his, atque ut Caesar confidit, boni consulite.

ORA-

ORATIO XV.

Habita nomine Caesaris in Conventu Novae Civitatis de bello Turconico; non finita.



FRequentissimus & amplissimus hic conventus vester, Reverendissimi Patres, Illustrissimi Principes, caeterique viri magnanimi, ac praestantissimi; quamvis hoc in loco verba facientibus, alacritatem quamdam, miramque jucunditatem praestare videatur, mihique non parva felicitas objecta sit, qui vestram hodie nobilitatem de rebus maximis sum alloquuturus; non tamen mea me voluntas ad dicendum impulit. Namque cum mente revolvo hujus auditorii dignitatem, majestatemque tanti coëtus, intelligo minus me aptum esse, qui coram tanta doctrina tantoque splendore nobilitatis orationem habere debeam. Neque enim huc afferendum quidquam censui, nisi elaboratum ingenio, eloquentia tersum, doctrina refertum; quod quidem praestari a me nullatenus potest. Sed vicit me auctoritas divi Caesaris Friderici Romanorum Imperatoris, Domini nostri piissimi atque invictissimi, qui etsi plurimos habet penes se viros facundia ac doctrina praeditos, nescio tamen qua ratione motus, hanc mihi potissime dicendi provinciam demandavit. Mihi ergo cum notum esset imperium, non cur mandaretur, sed quomodo tanto principi obediretur, cogitare necesse fuit. Namque si praesidentis reipublicae rogationes veluti mandata suscipi debent; quid de mandatis ipsis dicendum erit? Injecta est igitur mihi dicendi necessitas, quamvis desit orandi facultas. Sed videat ille quid mandaverat. Vos certe, ut arbitror, mihi aures minime denegabitis, quoniam non meo nomine, sed ipsius verba facio, quem vos omnes veneramini, deque his rebus loquar quae vestram & omnium christianorum salutem concernunt. *Ex eodem Lucensi Cod.*

Digitized by Google

Bis ego, quemadmodum vestrum pars maxima non ignorat, de hoc ipso negotio sum loquutus, de quo modo sermonem instituo. In Ratisponа primum, deinde in Francfordia. Haec sunt enim duo concilia quae jussu majestatis imperatoriae ad consulendum Reipublicae Christianae hoc anno gesta sunt. Etenim cum accepisset Caesarea sublimitas quae Turcorum feritas circa Constantinopolim perpetrasset, quaeve deinceps adversus Christi fideles perpetrare instituisset, decrevit quantum in se foret, Christianae Reipublicae, ne diebus nostris deleri posset, consulere. Id enim sibi velut Ecclesiae protectori, & advocato ex officio incumbere non dubitavit. Memor illius sententiae Platonicae, quoniam qui reipublicae praesunt quaecumque agunt ad eorum, qui sibi commissi sunt, utilitatem referre debent, obliti commodorum suorum. Eadem quoque cura, idem studium, idem fervor SS. Domino nostro inesse videtur, qui misso Legato suo Episcopo Papiensi, docto & ornatissimo viro, Caesaream mentem ad tutelam reipublicae jam ardentem inflammare conatus est. Sed cum esset res ipsa grandis, multorumque auxilia deposcere videretur; vocati sunt Reges ac Principes, excitatae communitates, invitati populi, celebrata quae dixi concilia. In Francfordia denique conclusum est, exercitus terra ac mari contra Turcos instituendos esse. Decretum est bellum pro defensione fidei gerere. Haec inclita natio Germanica quadraginta millia pugnatorum in armis expeditorum in hoc praelio missuram se statuit. Hungari ac Bohemi cum caeteris gentibus, inclito Ladislao Regi parentibus, suas seorsum copias in armis habere promiserunt. Summus Romanus Pontifex ex Italia classis armandae curam suscepit. Nunc hoc in loco dandus est rebus ordo, eligendi sunt duces exercitus, unitas inter gentes quae diversorum morum conventurae sunt perquirenda. Distribuenda inter provincias onera, statuenda dies, quo copiae deducantur, nominandum iter quo sit eundum, eligenda belli sedes qua Turcos aggredi expediat. Non dicam Teucros, nunquam enim foedissimae conditionis gentem tam claro nomine honestabo; neque Asianos dicam,

cam, Romani populi patres, qui ex barbarica Scytharum faece originem ducunt. Providendum est classem Italicam cum Germano exercitu concurrere, ut duobus simul locis hostium territoria impetantur; quaerendi commeatus, pecuniae investigandae. De his omnibus non est cur multa dicamus, neque Caesaris in hac parte anxius est animus. De rebus Italicis audietis Apostolicae Sedis Legatum, audietis & incliti Regis Aragonum oratorem, audietis reliquos qui ex illa provincia adsunt, & quis sit datus ordo ex Italia cognoscetis. Super his vero, quae circa campestrem exercitum disponenda sunt, intuetur Caesarea sublimitas. Plurimos ex vobis qui adestis rei bellicae peritissimos, quorum aetas semper in armis versata, quid peditì, quid equiti, quid curribus, quid machinis conducat optime novit. Scitis quibus modis in acie, quibus in castris agendum sit. Multi ex vobis hostium naturam ac consuetudinem cognitam habent. Quae sunt illius copiae, quae insidiae, quae acies, quae armaturae, quae vires, qui animi, non ignorant. Vestrum erit igitur quae ad bellum pertinent ordinare. Caesari nihil hodie aliud incumbit, nisi commonefacere vos ad tuendam religionem Christianam praesto & forti animo esse. Non est modo de bello gerendo suasio intentanda, id enim jam decretum est. Non est de numero militum disputandum, nam & ipse statutus est. Non est de capitaneo nominando disceptandum, nam & hunc cum vestro consilio Caesar dabit, virum fortem & tanto munere dignum. Non est de provisionibus faciendis circa exercitum concertandum; nam & has vestrae industriae Caesar dimittit. Quid ergo est, de quo hodie dicendum est? Sunt profecto & aliqua non parum expedientia, quae Caesareo nomine exponenda sunt vobis. Namque cum mens vobis omnibus sit bellum contra Turcos gerere; id est enim, ut dixi, jam decretum; ea omnia quaerenda sunt, per quae pugnantibus vobis victoria cedat. Victoriarum autem distributor est Deus; in ejus manu omnis triumphus est. Nemo vincit nisi donante Deo; nemo triumphat nisi divina pietate juvante. Cum vult ille, corruunt magni exercitus; cum dat ille, parvae

manus

Digitized by Google

manus superant magnas. Ille cum parva manu Hebraeorum ingentes prostravit hostium copias. Ille Samsonem, ille Gedeonem, ille Jeptam, ille Saulem, ille David, ille Salomonem, ille Machabaeos, ille Constantinum, ille Justinianum, ille Theodosium ex hostibus victorem fecit. Neque Alcibiades, neque Themistocles, neque Philippus sine hujus praesidio victor evasit. Neque Alexander, victo Dario, penetravit Indiam; neque Achilles occidit Hectorem; neque Agamennon Trojam diripuit; neque Annibal per Hispaniam atque Galliam usque ad Urbis Romae moenia victoria procedente discurrit; neque prior Scipio tributariam Carthaginem fecit; neque secundus delevit; neque Pompejus Orientem domuit ac XXII. reges bello vicit. Neque Julius Caesar Gallos, Britannos domuit, Suevos terruit, Pompejum vicit, rerum potitus est. Neque Judaeos Vespasianus cum filio Tito delevit. Neque Nerva neque Trajanus de Persis triumpharunt. Neque Attila Rex Hunnorum delevit Aquilegiam. Neque Theodericus Rex Gothorum subegit Italiam; neque Carolus magnus de Saracenis triumphos egit, nisi magni Dei pietas hoc illis concessisset. Est igitur omnibus his, qui bellum gerere volunt, divinus favor impetrandus, coelestis muneris impetranda gratia. De sursum quaerendum est auxilium. *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum.* Et quid nos miseri sumus, qui vel minimos populos sine ope magni Dei sternere posse credamus? omnia illius sunt: *Domini est terra & plenitudo ejus*: non solum homines, sed etiam bestiae in campis & ferae sylvarum illius sunt. Non est nostrum vel minima animalia tangere, ne dicam homines, nisi Deus ipse voluerit. Nos igitur qui pugnare cum Turcis statuimus, conari omni studio debemus, ut manus Dei dextra nos protegat, nostrosque dirigat enses. Si placebimus majestati suae, remeabimus victores; sin autem, timendum est ne praeda inimicorum simus. Deus ipse, si voluerit, Turcos in manus nostras dabit; si minus nos illis dabit, quia *calix in manu Domini vini meri plenus misto, & inclinabit ex hoc in hoc*. Agamus igitur

tur

Digitized by Google

tur opera Deo digna. Habetis hic religiosum venerandumque patrem Joannem Capistranum, qui vobis diebus singulis evangelizat; ipsum audiamus, ejus monita sectemur, redeamus in viam, reconciliemus nos Deo, avertamus iram ejus; quod tunc fiet, cum opera illa reliquerimus, propter quae provocatam coelestem potentiam non dubitamus. Audiamus Joannem in eremo praedicantem, ejusque vocibus auscultemus, qui fructus faciendos dicit poenitentiae dignos. Neque enim dubium est, quin nobis poenitentibus malefacere, & Dominum ipsum poeniteat nos corrigere. Insurgant igitur Pontifices & officio sibi commisso utantur; ostendant se bonos esse pastores, qui juxta Ezechielem dispersa colligant & contrita sanent; imitenturque magnum illum & optimum pastorem, qui animam suam pro ovibus suis posuit. Offerant hostias Deo immaculatas, orent assidue, jejunia indicant, eleemosynas non solum verbo, sed etiam exemplo suadeant. Vos autem, fortissimi proceres, quibus arma tractanda sunt, qui stringere gladios in hostes proponitis, nolite rapinas concupiscere, nolite ex hoc bello divitias quaerere, nulla vos ambitio ducat, nulla vos teneat avaritia. Ponite crudelitatem, abiicite saevitiam, induite modestiam, magnanimitatem, fortitudinem. Scitote vos hoc in praelio non pro terreno, sed pro coelesti Imperatore pugnaturos; nolite praemia hujus belli in terris sperare: Scitote vos Deo militari, & ab eo mercedem expectate, qui pro temporalibus aeterna, pro caducis perpetua, pro terrenis coelestia, pro parvis maxima dona daturus est. Dei est causa quam defenditis, Deo irrogata est injuria quam vindicatis, Deo subtracta est terra quam vendicare curatis. Deus noster, ut scitis, Evangelio teste, cum esset universus orbis culturae Daemonum deditus, solus Israël verum ritum teneret, misertus humani generis descendit de coelo, carnem induit nostram; praedicavit salubria, iter in coelum docuit, & viam vitae in veritate; utque redimeret universos, mortem pro nobis ferre non dubitavit. Multi ad ejus sermonem conversi sunt. Crediderunt in eum Apostoli & discipuli ejus, qui postea in orbem dispersi omnes

omnes gentes ad Christum traxere. In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terrae verba eorum; tulerunt & ipsi mortem, ac magistrum sequuti, sermonibus, ac miraculis orbem impleverunt: nam profecti praedicaverunt ubique Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis. Sequuti sunt & martyres & confessores, accesserunt clarissima doctorum ingenia, qui sanam doctrinam ubicumque gentium seminarunt; atque ita factum est, ut totus orbis Christo crederet. Sed videte nunc, quo redacta est nostra fides: Hierosolymam, in qua primum Salvator noster apparuit, & in qua nostram salutem operatus est, ubi & sepulchrum ejus demonstratur, Saraceni occupant, neque illis invitis eo nobis est aditus. Antiochia, in qua primum est auditum Christi nomen, aliena est a ritu nostro. Alexandria, quam Marcus sacris nostris initiavit, magnus Origenes instruxit, Sanctus Athanasius confirmavit, Mahumeti fabulas audit. Carthago, quae magnum Augustinum sanctumque Cyprianum audivit, ipsa deleta est, atque ipsius loco subrogata Tunes. Nihil de Christo sentit tota AEgyptus. Tota Libya alienata est a nobis. Oriens universus Christi nomen abominatur. Possemus haec perferre, nisi nostram Europam in praeceps ire videremus. Sed amissa est nobis Graecia, Achaja, Peloponnesus, Epyrus; Macedonia & maxima pars Illyridis perdita est. Novissime memorabilis illa Constantini civitas. Deleti sunt Galatae. Quae gesserunt apud Constantinopolim hostes fidei, non est cur modo deploremus. Satis apud Ratisponam, & apud Francfordiam conquesti omnes sumus; satis ploratum est, non est modo aut lacrymis aut singultibus opus. Vindicanda est Salvatoris injuria, facto nunc opus est non verbis. Expedit tamen vos, generosos equites, dum bellum geritis, ponere ante oculos opprobria, quae Deo nostro apud Constantinopolim illata sunt; meminisse quomodo Salvatoris simulacrum turpiter habitum est, quomodo gloriosae Virginis Coelorum deturpatae sunt imagines, quomodo foedata sanctorum delubra, atque reliquiae martyrum objectae canibus, utque ipsa divinissima Eucharistia con-

Digitized by Google

conculcata pedibus est. Nam etsi divinae substantiae nihil est quod humana possit officere, si beati jam spiritus nihil detrimenti perferre possunt; non est tamen quin nefarii conatus plecti debeant infidelium. Vos igitur cum pugnabitis, mementote quantum Deo vestro debetis: deinde qua poena digni sunt, qui majestati Divinae sese opponunt. Sic enim & animus vester fortior erit, & Deus vobis propitior; cum neque lucri causa, neque inanis gloriae, aut alterius mundanae voluptatis vos belligerantes viderit. Est praeterea necessarium, si Deum nobis favere volumus, ne superbi simus, aut inflati opinione nostra, ut sit concordia in exercitu, benevolentia inter Principes; obedientia subditos regat, ut pareant Imperatori milites. Imperatores autem justi sint, teneant censuram, vigilent, laborent; neque enim res ulla magis oblectat exercitum quam suum ducem videre aeque cum commilitonibus laborantem. Cavete ne sint inter vos discordiae, nemo dicat: ego Theutonicus, ego Gallicus, ego Hungarus, ego Bohemus. Sit unum genus hominum, omnes Christiani estote, omnes cruce signati, omnes fratres. Vidimus aliquando propter dissensiones nostrorum vicisse Turcos; neque ulla res magis quam nostra divisio infidelium juvit causam. Galli ac Germani sub Conrado Imperatore ac Ludovico Rege Francorum propter aemulationem victoriam hostibus pepererunt. Sigismundo Caesare regnante idcirco Christiani a Turcis victi sunt, quia non erat inter nostros unitas. Sunt & qui propterea cecidisse Regem Poloniae in bello dicant, quia non fuerunt unanimes Poloni simul & Hungari. Nihil est quod tantum in bello noceat quantum divisio; pugnare malim cum paucis unitis, quam cum multis discordibus. Oportet in bello unum esse rectorem quem cuncti respiciant, cujus nutu cuncta gerantur. Miles decano, decanus centurioni, centurio tribuno, tribunus Imperatori pareat, sive alio nomine haec officia vocare velimus. Sed quomodo erimus uniti? Erimus quidem si superbiae fomitem abiecerimus. Si cedere alter alteri voluerimus; si duci potiusquam ducere. Cogitemus in quo periculo sumus, quomodo Christiani-

tas ipsa submergitur nisi juvetur ; faveamus alter alteri in honore; non quaeramus tantum per quem vincat, sed quomodo vincat Christianitas. Volumus quisque Salvatoris nomen, salutem omnes appetamus ; extrahamus de naufragio navem, neque curemus cui salvatae navis honor detur. Namque si volumus omnes videri duces, timendum est ne similiter omnes capiamur. *Desunt reliqua*.

NOTAE

In superiorem Orationem.

1. CArolus Marchio Badensis cui Caesarea Soror nupta est. *Ernestus Austriae Dux Zimburgam Mazoviae ducissam duxit, ex qua nati Fridericus Imperator, Albertus frater ejus, Margaretha Friderico Saxoni nupta, & altera filia, Marchionis Badensis dein conjux. Vide Ebendorfferum in Chron. Austr. lib. 5.*

2. Alfonsus Rex Aragonum, &c. *Navagerius in Chron. Veneto vulgato Rer. Ital. tom.* XXIII. *narrat foedus convenisse inter Ducem Mediolanensem, Florentinos, eisque adhaerentes relictumque Regi Aragoniorum locum. Demum accessisse caeteris & eundem Aragonium. Haec vera ratio morae tardioris Legatorum ejus.*

3. Nec AEgidius Romanus hanc partem reliquit intactam. *AEgidius Romanus, Bituricensis Archiepiscopus ex Ordine Fratrum Eremitarum S. Augustini totam de Regimine Principum tractationem libris* IV. *absolvit, & Philippo Pulchro Francorum Regi dicatam vulgavit. Ejus operis tertia pars administrandae militiae rationem praescribit. Prodiit opus primo quidem Romae anno 1482. iterum 1556. & Venetiis 1598.*

Reliquas adnotationes dabo ad Responsionem primam Hungaris datam, in qua ista fere omnia recurrunt.

IN

IN RESPONSIONEM I.

Hungaris datam nomine Caesaris in Nova Civitate

Argumentum.

DEcretae jam in Francfordiensi totius Germaniae conventu Turcicae expeditionis executio tantum supererat; eamque indicendam ad conventum alterum coram Friderico Imperatore in Nova Civitate [Neustat] habendum Principes distulerant. Ad diem igitur Pentecostes anni 1455. eo ventum est. Adfuerunt cum caeteris & prae caeteris ex Hungaria Legati, rebus suis afflictis solatia impetraturi, rogaturi praesertim ut juxta rationem Francfordiae initam expeditio tandem susciperetur. Id illis sub ipso statim adventu suo coram Caesare exponentibus, jussus est AEneas ejusdem Caesaris nomine respondere; quod ab ipso duplici oratione praestitum. Harum priore firma spe dejectorum Hungarorum animos sublevat, spondens nunquam commissurum Imperatorem, nunquam Principes alios, ut quae Francfordiae statuerant, haberent infecta. Opperirentur igitur laeti conventus illius exitum; capienda statim arma, cogendas copias, classicum actutum canendum expectarent. Id unum se poscere tantummodo, ut belli hujus ductorem eum reciperent, ac sequerentur, quem in communi decrevissent Principes. Haec summa hujus orationis. Altera statim succedit in exitu conventus illius Hungaris ad suos regressuris habita. Acciderat tunc acerbus Nicolai Papae V. obitus, quo velificantibus omnibus in felicem rei expeditionem remora injecta est. E re igitur visum bellum ad sequentem annum extrahere. Vacandum interim ut omnia in Germania pacarentur, quo compositis rebus, alacrius in exteros arma inferrentur. Ita Hungari remissi.

Digitized by Google

RESPONSIO I.

Data Legatis Hungarorum nomine Caesaris in Nova Civitate Austriae.

Ex Lucensi Cod.



I mihi, Reverendissimi Patres, nobiles & magnifici proceres, incliti Regni Hungariae Legati, tanta dicendi vel copia, vel gravitas esset, quantam hodie facundissimus, ac sapientissimus Varadiensis Ecclesiae Pontifex, collega vester, in hoc amplissimo auditorio prae se tulit, nequaquam in praesentiarum Divo Caesari Friderico Romano Imperatori Augusto D. N. piissimo, ac gloriosissimo, qui me vestrae Legationi respondere jubet, invitus parerem. At cum res maximae sint, de quibus locuti estis; nec me sive natura produxerit, sive industria fecerit eloquentem; veritus ne sub tanto fasce deficiam, necessitate magis, quam voluntate demandatum munus accipio: vestra sapientia, quae meis verbis deerunt, ex vultu serenissimo sibi Caesaris adhibebit. Ego quam brevissime potero commissae responsionis partes absolvam. Quinque fuere, si recte memini, quae vestro nomine sunt exposita. Primo relata est illa sinceritas animi & optima voluntas, quam serenissimus & nobilissimus Rex vester, nec non & communitas incliti regni vestri erga Caesarem gerit. Secundò, rememorata est Constantinopolitana calamitas, deplorata Graecorum ruina, Turcorum feritas atque intentio in medium adducta, discrimina quae non solum Hungariae, sed universae Christianitati prope imminent ante oculos posita. Tertiò, commendatum est sanctum Caesaris propositum, qui de tuenda religione nostra hoc tempore solicitum se praebuit, demonstrata belli pietas, opportunitas declarata, ostensa necessitas. Quartò, deductum est incliti regni vestri decretum; expositus ardor populi, totiusque vestrae nobilitatis contra Turcorum fu-

furorem ostensus & publicatus fervor, utque cum Theutonibus atque ipso Caesare nostro bellum pro tuenda fide catholica unitis consiliis, adversus communes hostes gerere praesto estis. Quinto & ultimo, Caesaream majestatem summis precibus oravistis, ut pium intentum teneat; quae Francfordiae promissa sunt impleat; arma contra Turcos arripiat, & animo forti pro patriis legibus, pro libertate Christianorum, pro testamento Dei decertet. In qua parte spem non parvam victoriae consequendae conati estis ostendere; si quemadmodum Francfordiae decretum fuit adversus inimicos crucis bellum geratur. Haec sunt quae RR. Varadiensis Episcopus vice vestra in medium protulit. Summam retuli non verba. Ille namque & ornatissime & copiosissime peroravit, cum multo splendore ac majestate verborum. Ego nudam sententiam repetii. Nunc responsum Divi Caesaris audite.

Gratissima & acceptatissima est imperatorio culmini legatio vestra; quoniam pro his rebus adventastis, quae & tutelam christiani populi, & honorem Domini Dei nostri concernunt. Voluntatem illam praecellentissimi Regis vestri, ac praelatorum & procerum regni ejus, ut primo loco dixistis, erga se bonam esse, non sine quadam singulari delectatione Caesarea sublimitas audivit. Nam & suis animus erga regem ac regnum vestrum & sincerus, & perfectus est. Quaecumque ab optimo patre benè morato & amantissimo filio sunt optanda, eadem Caesar inclyto Ladislao Regi patrueli suo, vero sanguini suo & cupit & optat. Quae de Constantinopolis flebili ruina totius Graeciae secunda parte commemoratis, quamvis Caesaris jam auribus saepius inculcata sint, nunquam tamen sine novo dolore suae Serenitati referuntur: quoties de Constantinopoli mentio incidit, toties ululatus illos matronarum, ac miserrimas voces morientium, qui pro Christi nomine caesi sunt, exaudire videtur. Sanguis impie fusus ante oculos ponitur, & atrox injuria Salvatoris in mentem revertitur. Et quoniam hostes habemus numero multos, natura feros, moribus barbaros, mente superbos, animo cupidos,

qui

qui nisi magnis viribus retundantur, totum sibi orbem subacturi, ac sanctum evangelium, & sacratissimam Christi legem subversuri videantur; sentit vobiscum Caesar, ni Christiana societas vigilantior deinceps fuerit, religionem nostram perditum iri. Neque enim cum his hostibus nobis res est, qui suis in finibus quiescere velint. Sed Alexandrina mente & animo Caesario totum sibi orbem & ambiunt, & promittunt.

Quod tertio loco sublimitatis imperatoriae curas & studia commendastis, quia de religione nostra tuenda non parva solicitudine teneatur, fatetur Caesar inter maxima desideria sua, quibus dies ac noctes urgetur, hoc uno se studio potissime detineri, ut labenti, ac pene confractae reipublicae Christianae, suo tempore succurratur. Circumspicit sua Serenitas mundi climata, & orbis plagas intuetur. Oriens ille, ex quo nobis primum veritatis lumen effulsit, errore coecus a Christo recessit: Africa Mahumeto credit, & omnis meridies; Septemtrionis maxima portio idola sequitur; Christi cultus in angulum Occidentis ac Septentrionis redactus; ex quatuor patriarchalibus sedibus, quibus veluti solidissimis basibus Christiana subnixa fides palmites suos in universum orbem extendit, solam Romanam obtinet; angunt ista profecto ac vehementer mentem Caesaris expungunt, qui cum se protectorem & advocatum ecclesiae pro suo officio constituerit, scit sibi prae caeteris regibus incumbere, ut religionis nostrae firmitati & augmento consulat. Eapropter cum accepisset anno proximo decurso expugnatam esse Constantinopolim, sacra nostra illic funditus deleta, nobilitatem cum Sacerdotio caesam, plebem in servitutem redactam, intelligens quia non quiesceret Turcorum furor, sed habitam victoriam velut sequentis instrumentum duceret, universos reges & principes, majores quoque & potentiores civitates adhortatus est, ut ad consulendum orthodoxae fidei unitis consiliis assurgerent. Ostendit pericula, indicavit remedia; indixit apud Ratisponam primo, deinde apud Francfordiam concilia. Nunc quoque praesens conventus habetur, ut quae Francfordiae meditata sunt, exequtioni manden-

dentur. In quibus rebus etsi vobis atque omnibus satisfacere Caesar videtur, sibi tamen ipsi minime satisfacit, qui ex officio ad majora sese obnoxium recognoscit. De pietate belli, de opportunitate, de necessitate, quae sunt vestro nomine, & prudentissime & ornatissime dicta, commendationem magis, quam responsionem merentur.

Quod quarto loco relatum est, regnum scilicet vestrum adversus Turcos in arma promptum atque paratum esse, summopere commendat Caesarea sublimitas, gentemque vestram quavis laude dignam censet, quae licet gravibus affecta cladibus non tamen ab animi sui magnitudine decidit; sed quanto magis urgetur, tanto audentior exurgit. O fortes ac magnanimos proceres! o constantes populos! o regnum vere christianissimum, quod nulla potest adversitas de sancto proposito dimovere! Quis non libenter audiat tam nobile regnum, tam excellens pro communi Christianorum salute tanta solicitudine, ac tanto fervore teneri? Caesari certe altus & integer animus vester, pium & sanctum regni vestri decretum summae voluptati est; nec dubitat sua Serenitas quin concurrentibus aliis, vestra opera res magnae ac gloriosae nostro tempore contra Turcos agantur. Quod autem pro gerendo adversus hostes nostrae fidei bello cum Teutonibus, atque cum ipso Caesare unanimes esse decrevistis, ne dum laudabile, sed necessarium quoque sublimitas imperatoria ducit. Nam si communibus viribus in Turcos pugnandum est, inter omnes belli socios necessaria concordia est: arctissimum atque optimum in omni civitate, & in omni exercitu vinculum incolumitatis: ubi concordia ibi & obedientia est, & ordo; sine quibus nihil est quod duces exercitus feliciter valeant explicare. Pulchre enim ex Salustio dictum est: *concordia parvae res crescunt; maximae vero discordia dilabuntur*. Infirmus exercitus est qui seditionibus agitatur; male in hostem pugnat, cui cum fratre dimicandum est. Exemplo nobis sunt *Conradus Romanorum Imperator*, *& Ludovicus rex Francorum* (1) qui contra Turcos & Saracenos exercitum in Asiam trajecere; namque dum fuere concordes res praeclaras gesserunt, & usque Hierosolo-

Digitized by Google

rosolymam penetrarunt: discordes facti, domum inglorii rediere. Neque *Sigismundus rex vester*, (2) qui postea Romano praesedit imperio, aliam ob causam in magno praelio a Turcis victus fertur, nisi quod diversarum gentium collectum exercitum parum concordem habuit. Idem vulgatum est de *Uladislao rege Poloniae* (3) nobilissimo, quem propterea ab iisdem hostibus captum atque occisum tradunt, quia inter vos & Polonos non fuerit unitum consilium. Facessant igitur inter vos quaevis divisiones ac simultates: absint & illa vocabula quae scissionem quovis modo parare possunt; si fiat exercitus quaemadmodum speramus & nitimur. Nemo se Gallicum aut Teutonicum aut Bohemum, aut Hungarum nominet; unum sit omnibus nomen; Christianum se quisque vocitet cruce signatus, servum se crucis appellet, neque pugnaturus pro Christo aliis se quam Christi titulis ac fascibus ornet. Absit & illud Jasonis vitium qui sibi fieri putabat injuriam nisi regnaret. Si quis est virtute ac nobilitate praeditus, dignusque qui caeteris praeponatur, postpositus non indoleat. Meminerit quod Titus Vespasiani filius usurpare solebat, principatum scilicet fato, idest divina providentia, dari. Cogitet id quod est, se non humano, sed divino judicio posthabitum. Sciat in hoc bello se non homini sed Christo militare ac parere; nec moleste ferat, cum sit homo, humiliare se homini propter Christum. Quin & Christus ipse, cum esset Deus, propter hominem usque ad mortem humiliatus est homini. Erubescat Christianus superbus, qui de praesidentia litigat. Nam quo modo pugnabimus unanimes in hostes, qui foedera inter concives & amicos servare nequimus? Libet hic exclamare: O homo quis tu es? quem te ipsum facis; unde superbis? unde tumes? O caro, o lutum, o terra, o pulvis, o cinis! Unde tibi haec spuma sive mentis elevatio succrevit, ut laesum te putes, nisi principatum obtineas? Emittendus est hic ventus, conterenda est superbia, si contra hostes unanimes esse volumus. Inter inflatas mentes non habitabit concordia.

Sed pergo ad illud quod quinto & ultimo loco expetivistis, Caesarem scilicet suum tenere propositum, ac

coactis

Digitized by Google

coactis viribus in Turcos impetum facere. Confiditis enim & victoriam nostram esse, si quemadmodum Francfordiae decretum est, bellum pro nostra religione geratur. Huic parti respondet Imperator nequaquam suae mentis esse, quantum in se fuerit, ab incoeptis desistere. Compertum habet sua Serenitas quaevis consilia nostra per exploratores ad hostes deferri; quod si didicerint illi conatus nostros irritos fieri, audaciores multo, ac terribiliores insurgent, vicinosque sibi Christi cultores crudelibus affligent modis. Vobis autem necessarium erit aut pacem ex illis accipere quam dederint, aut bellum cum eis gerere, in quo longe sitis inferiores. Utrumque malum, utrumque periculosum: in altero pax damnosa Christiano populo expectanda est; in altero formidanda est Turcorum victoria, quae non potest non crudelis esse. Ingrati fuerimus profecto, genti vestrae auxilium denegantes, quae annis *supra septuaginta* (4) pro Christi nomine bella gerens, dum suum effudit sanguinem tutata est nostrum. Omitto ingratitudinem. Stultitia atque insania dicenda est, si eos negligas, sine quibus te ipsum salvare non queas. Clypeus noster Hungaria est, murusque nostrae religionis, & antemurale fortissimum. Nisi hanc provinciam tuemur, neque Italia, neque Germania quiescet. Neque Galliam Rheni fluenta, neque Hispaniam Pyrenei montes salvare poterunt. Non est igitur animus Caesaris ea deferere, quae Francfordiae cogitata sunt. Neque dubitandum vobis est, quin sacra majestas imperatoria suo satis officio faciat. Auditae sunt ejus oblationes & in Ratispona & in Francfordia; & his diebus hoc in loco publicitus factae. Quaecumque sibi ut imperatori Romanorum, ut protectori & advocato ecclesiae, ut Germanicae nationis capiti, ut Austriae duci, ut religioso principi, ut homini christiano incumbunt, pro conservanda, & amplianda religione nostra, nullo pacto neglecturus est. Adsint tantum principes ejus; & Imperatori, quod debent, in tanto negotio non denegent. At cum Sanctissimus urbis Romae Pontifex, Domini & Salvatoris nostri Vicarius, Nicolaus papa, qui tamquam pius pater, & optimus pastor, de familia sua,

de grege suo sollicitus, hujus rei cum sacro senatu curam exactam gerat; cum serenissimus ille princeps Alfonsus rex Aragonum & Siciliae, quem velut sydus quoddam clarissimum, ad illustranda tempora nostra de coelo missum omnes intuentur, classem adversus Turcos indubiam promittat; cum sublimis ille Burgundorum dux Philippus, nobilitate ac potentia non impar maximis regibus, personam suam, & insignem militiam huic bello polliceatur; cum denique multi & magni ex Alemannia principes magnifice sese offerant; non diffidit Caesarea sublimitas exercitum, quemadmodum apud Francfordiam condictum est, posse conflari. Ad quam rem hic nunc conventus habetur, quae concludentur in eo audietis & intelligetis suo tempore. Majestas imperatoria, ut res bene gerantur, summo studio navabit operas.

Possem hic jam finem facere; tantum est enim quod vestrae legationi respondere sum jussus; sed quoniam de victoria consequenda, si pugnetur in Turcos, spem maximam facitis, de hoc ipso pauca dicere non erit absurdum. Victoriam prisci Romanorum Deam esse putaverunt, quam Jupiter optimus maximus mitteret; illam vero tanquam regi Deorum parentem ad eos venire quos jusserit & in eorum parte consistere. Quod ita intelligendum est, quemadmodum Aurelius Augustinus in libro de Civitate Dei quarto declarat. *At hoc*, inquit, *verum est, non de illo Jove, quem Deorum regem pro sua opinione finxerunt; sed de illo vero rege saeculorum, quod mittat, non victoriam quae nulla est substantia; sed angelum suum, & faciat vincere quem velit; cujus judicium occultum esse potest, iniquum esse non potest*. Sive enim Moysi, sive Josue, sive Saulis, sive David, sive aliorum Judicum, ac regum bella mente repetamus, quae veteris testamenti codex exponit, nullum vicisse reperiemus, nisi quem digitus Dei juverit ac protexerit. Neque sine divino ductu Trojam subvertit Agamemnon, neque Graeciam subegit Philippus, neque Indiam penetravit Alexander, neque Italiam sexdecim annis concussit Annibal, neque duo Scipiones Africam evicere, neque Cymbros extinxit Marius, neque duos ac viginti reges.

Haec & quae dein sequuntur totidem fere verbis expressa recurrunt in oratione habita Viennae Austriae de hoc ipso argumento.

Digitized by Google

reges debellavit Pompejus, neque undecies centena millia hostium trucidavit Julius, neque Aquilegiam delevit Athila, neque Odoacrum apud Ravennam occidit Theodoricus, neque, ut ad Germanos veniam, Hispanos & Longobardos edomuit Carolus magnus, neque tres Ottones Italos terruere, duo Friderici concussere. Neque conditor Austriae domus Divus Rodolfus Ottokarum Bohemiae regem, cujus imperium ex mari Balteo usque in sinum Venetorum protendebatur, bello victum interemit; neque maternus Ladislai avus Henricus VII Bohemiam filio Joanni submisit, wirtembergenses comites humiliavit, Mediolanum subegit, Brixiam ferro contrivit, Florentiam obsidione cinxit, Romanam coronam armis obtinuit. A Deo igitur quaerenda atque impetranda victoria est. At cum Deus ipse absolute bonus, justusque sit; bonitati studeat oportet, qui ex Deo victoriam quaerit. Et nos ergo, si Turcorum frangere acies & victores ex bello reverti volumus, ita in aciem descendamus, ut ei grati atque accepti simus, cujus est donare victoriam. Sint ergo nostri & duces & milites non solum rei militaris periti, sed etiam honestatis amatores, neque sceleratis quovis modo, quamvis bellacibus, haec pugna committatur: probitas nobis pugnantium, magis quam scientia rei bellicae placeat. Neque Aristotelem hoc in loco audiamus, qui de magistratibus in politicis agens, in eo, qui bello praesit, non tam probitatem quam peritiam rei militaris existimat requirendam. Cujus auctoritatem sequutus apud Romanos vir sanctus ille Fabritius, qui teste Gellio Publium Cornelium Rufinum hominem furacem atque avarum, in temporibus reipublicae consulatum petentem, enixissime juvit, quoniam esset manu strenuus ac bellator bonus militarisque disciplinae peritus. Sed quo pacto haec & illa conveniunt quae idem Aristoteles in Ethicis ait? *Si curam aliquam*, inquit ille, *Dii habent rerum humanarum*, *ut existimatur & creditur*, *rationabile est eos gaudere optimo & cognatissimo*; hujusmodi autem est mens & amantibus illam maxime honorantibusque favere tanquam rerum sibi charissimarum curatoribus, ac recte & bene agentibus. *Vox corrupta*

Asserit hic philosophus, ut videtis, curare superos res humanas ac favere bene agentibus. Si res humanas curant, ergo & bellicas; si favent viris bonis, ergo & partes juvant in praelio meliores. Praestat igitur & probos esse & Deo acceptos quam belli peritos qui praelium committunt. Dicat hic fortasse aliquis: at ex his quorum victoriam commemorasti, plerique sceleratissimi fuerunt. Nam & Lucanus accusare victoriam Caesaris videtur cum ait: *Victrix causa Deis placuit; sed victa Catoni*. His ego respondeo, difficile esse de hominis probitate judicium. Solus Deus scrutatur corda & renes hominum. Saepè nobis bonus videtur qui apud Deum reprobus est; sinitque divina providentia nonnunquam vincere malos, ne pessimi superent. De victoria vero Caesaris fortasse illud in mente divina fuit, quod Cicero tradit: si vicisset Pompejus nimis iracundam fuisse victoriam. Nos certe, qui Christiani sumus, mundumque desuper regi non dubitamus, victoriam per ministros potius bonos ac Deo placentes, quam perniciosos, & odibiles sperare debemus. Nil rei militaris scientia proderit, nisi pugnantium vel probitas, vel causa Deo placuerit. At contra sine rei bellicae peritia multum per se ipsam valebit innocentia. *In Domino faciemus virtutem & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros*, inquit David. Et Flaccus: *Integer vitae scelerisque purus non eget Mauris jaculis, nec arcu, nec venenatis gravida sagittis, Fusce, pharetra*. Tam facile & pronum est Deo cum duce imperito vincere peritum, quam numerosos exercitus cum parvis copiis superare. Nolo veteris legis exempla referre, res in Christianismo gestae sufficiunt. Constantino imperatori piissimo cum anxius esset belli gerendi, in quo nulla ratione parem se hostibus judicabat, per quietem signum crucis in coelo monstratum est, & vox facta quae diceret: *In hoc Constantine, vince*. Nec Theodosius imperator Christianissimus Eugenium & Argobastum bellandi peritia, sed manifesto Dei auxilio superavit, cum se orante vis magna ventorum exorta, hostium tela retroverterit. Hinc illa non spernendi poetae carmina.

O ni-

Digitized by Google

O nimium dilecte Deo cui militat ether ,
Et conjurati veniunt ad classica venti .

In Britannia, quae nunc Anglia dicitur , teste venerabili Beda , cujus sepulchrum in Dimelina vidi cultu mirabili visitatum , cum bellum atrox inter Christianos, & infedeles instaret , essentque Christiani & pauci & inermes , intervenientibus duobus ex Gallia pontificibus Germano & Lupo , & in ipso pugnae principio *Alleluja* tertium magno clamore intonare jubentibus , victoria Christianis, fide , non arte neque viribus , parta est . Quidni ergo spem nostram in vera fide, & pura innocentia reponamus , ac cum duces tum milites probitatis amatores in hoc bellum mittere studeamus? Divo Caesari quidem, ut eo redeam unde sum digressus, in eligendis belli ducibus, nec probitas sine scientia rei militaris, nec scientia sine probitate recipienda videtur , quod in altero tentare Deum, in altero irritare timuerit . Quod si alterum sine altero cogatur eligere, non auscultabit Aristoteli, tentabit securius quam irritabit Deum . At cum probitas in obscuro sit, faciliusque hunc aut illum disciplinae militaris peritum quam innocentem asserere valeamus , in constituendo belli ductore atque in tota militia deligenda ita rei bellicae peritiam amplectamur , ut malitia & iniquitas quantum fieri potest minimè obsit . Propter iniquitates enim nostras recessit a nobis Deus; neque auxiliatur amplius nobis in bello, dextera sua, & brachium suum contra nos est. Quod si favorem ejus optamus, contrario itinere incedendum est . Audire Hieremiam oportet, cujus haec sunt verba: *Et nunc ergo rectas facite vias vestras , & studia vestra , & audite vocem Domini Dei vestri , & poenitebit Dominum mali quod loquutus est adversum vos* . Redeundum est denique in viam , renuntiandum vitiis, virtutibus inhaerendum . Praecipue tamen tria vitia, veluti tres perniciosissimas pestes vitare ac fugare oportet. Atque in primis superbia (ut antea diximus) exterminanda est nobis , quae intractabiles, & arrogantes homines facit . *Initium omnis peccati ,*

in-

Digitized by Google

inquit Sapiens, *superbia est, & qui tenuerit illam adimplebitur maledictis, & subvertet eum in finem*. De Nabuchodonosor inquit Daniel: *Cum autem elevatum est cor ejus, & spiritus ejus obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, & gloria ejus ablata est, & a filiis hominum ejectus est*. Nobis antem si fortunari volumus, mites habendi sint duces, qui privatorum aditus ad se facile admittant, querelas super injuriis benigne audiant, ut qui dignitate principes excellunt, facilitate pares infimis videantur. Fidem non solum sociis, sed etiam hostibus teneant, impetum irae compescant, victoriam temperent; ne saeviant contra victos, nihil crudele committant, neminem extra aciem occidi permittant. Sciant Turcos, quamvis pessimi sint quod Filium Dei blasphemant, homines tamen esse, neque more pecudum trucidandos. Curent ut Graeci ex victoria nostra libertatem sperent. Turci crudelitatem non timeant, ne desperationem in virtutem convertant, nobisque illud Virgilianum noceat: *Una salus victis nullam sperare salutem*. Timeant hostes in bello virtutem nostrorum ducum; victi mansuetudinem diligant. Haec omnia praestabit nobis illa mansuetissima virgo quam vocamus humilitatem, si explosa superbia, vocem ejus audiremus. Secundò cavendum est monstrum ne illud inter nos dominetur, quod sub specie Harpyae Virgilius descripsit: *Virginei volucrum vultus, foedissima ventris proluvies, uncaeque manus, & pallida semper ora fame*. Hoc nos vitium avaritiam appellamus, nec duci nec militi permittendum. Avarus Capitaneus nec stipendia militibus erogat quae debentur, nec praedas aequè partitur, neque sumptus exhibet in ulla re necessarios. Quidquid agit semper tardus, semper morosus est, remque denique publicam & exercitum, & animam suam venalem habet. Avari milites, non solum hostes, sed etiam socios expilant, solamque praedam sequuntur in bello; ac propterea saepè ab instituto cursu revocantur, & odia in se provinciarum convertunt. Absit ergo in exercitu, quem volumus instituere, sive dux sive miles rapinae cupidus; Praedae non Christo militat qui spolia concupiscit. Pro

tute-

Digitized by Google

tutela fidei, pro gloria nominis Christiani, pro divino honore hoc bellum suscipiendum est. Si qua deinde pecuniaria redundat utilitas, non illam veto, dum non sit haec quae te pugnare jubeat. Nam & justum lucrum ex justo bello recipi potest. Non sint tamen militum manus aduncae, aut auri nimium sitibundae mentes; parcant pauperibus, ignoscant sociis, misereantur etiam victi ac jacentis inimici. Intelligant & socii & hostes temperatos esse, qui nostris copiis imperant. Neque enim potest exercitum is capitaneus continere, qui seipsum non continet. Post haec ultimo loco, ut breviter agam, absit & ipsa libido, quae saepè magnos praecipitavit exercitus. Nos hujus loco continentiam & abstinentiam introducamus. Sit pudor in exercitu nostro, nulli turpitudini locus pateat, nulli foeminae vis inferatur. Sit salva inter milites non solum nostrarum mulierum, sed & captivarum pudicitia. Meminerimus cum quanta severitate junior Africanus ante Numantiam expugnavit exercitum. Nullae deliciae in castris, nullae voluptates sunto. Scorta procul atque lenones absint. Neque vini neque cibi nimius indulgeatur usus; absit pigritia, absit omnis torpedo libidinis filia; sciant in exercitu se milites esse, qui non ex quiete, sed ab exercitio nomen ducit. Milites ex malo quod perferre debent dicti, ut Jureconsulti volunt. Sint sedulo in armis, cursitent, onera portent, foveam fodiant, vallum figant, agant, instent, vigilent, minimum tempus quieti praebeant: nunquam in otio miles, nunquam sine negotio capitaneus inveniatur. Sciant duces exercitus, nullum spectaculum dulcius esse militibus, quam si communia secum edentem principem videant, in vili simul jacentem strato, vallum, castrorumque metationem communi labore partientem. Longe enim magis ab exercitu ipsi coluntur ductores, qui mutuo labori se ingerunt, quam qui milites pigrescere sinunt. Multa hic de castrensi disciplina referri possent, quae in libris veterum continentur. Scripserunt enim de his primi ut ajunt Lacedaemones, tum multi Graecorum. Ex Romanis autem M. Cato senior, qui & ipse miles peritissimus fuit & bellator fortis. Frontinus;

tinus quoque Divo Trajano de re militari librum edidit. Habemus & Vegetium, & AEgidium, & alios plerosque qui de rebus bellicis ad obtinendam victoriam apte ratiocinantur, quos etsi legerim aliquando, non tamen praesentibus Alberto Marchione Brandeburgensi ac Georgio Pogiebratio Bohemiae gubernatore, clarissimis, ac fortissimis viris, qui praeliis pluribus interfuerunt, quam ego legerim, de hisce rebus disputare ausim Memini enim quod de Phormione philosopho scribit Cicero. Oravit hic aliquando in Rhodo coram Annibale Poeno, summo illius aetatis imperatore, cujus orationem cum caeteri maximis laudibus prosequerentur, solus Annibal dignam vituperio censuit, & hominem aetate delirantem putavit, qui se praesente de rebus bellicis differere praesumpsisset. Ego ut hanc reprehensionem devitem, quae castrensia sunt peritiamque militarem requirunt, ad belli duces remittam, & ad rem rediens, ajo: Divo Caesari nostro, quemadmodum & vobis spem bonam esse rerum feliciter agendarum, si coelestem favorem puro corde ac piis operibus impetremus. Nec dubitat imperator in sua causa Deum adjutorem fore, si & nunc in civitatibus & demum in castris superbiam humilitas, avaritiam largitas, libidinem abstinentia procul egerit. Ac tantum de speranda victoria satis fuerit esse loquutum.

In I. Responsum datum Hungaris

NOTAE.

1. CONradus Romanorum Imperator, & Ludovicus Rex Francorum. *Conradus ex Franconiae Duce Germaniae Rex expeditionem in Terram Sanctam suscepit an. 1146. ejusdemque expeditionis suscipiendae propositum arripuit Ludovicus VII. Francorum Rex. Venerunt ambo, sed diversi; ex quo factum est ut exercitus utriusque Graecorum dolis, & Turcarum circumven-*

ventus armis cladis plurimum, boni nihil retulerit. Cur vero arma conjungere recusarint, causas honestas quidem praetendit Guillelmus Tyrius; forte tamen nulla verior, quam quae hic ab AEnea assignatur: mutuae inter utrosque Reges simultates.

2. Sigismundus Rex vester. *Nicopolitanae pugnae an.* 1396. *commissae celebris est apud Historicos memoria. Exercitus Sigismundi Hungariae Regis multis variisque collectus gentibus ex* 100000. *constabat. Accedebant ex Gallis auxilia. Tam vasto corpori exitio fuit membrorum non bene juncta compago; dum enim quique per se pugnarent, singuli victi, fusi ac caesi sunt. Vide Spondan. ad an.* 1396. *II.*

3. Uladislao Rege Poloniae. *Victus interfectusque est Uladislaus in pugna apud Varnam Moesiae inferioris Urbem ad Pontum Euxinum. Res acta an.* 1444. *ipsaque adeo AEneae aetate.*

4. Annis supra septuaginta. *Non dubito quin periodum istam annorum repetat AEneas ab eo tempore, quo Bajazetes I. Turcarum Rex Imperii dilatandi cupidus Hungariam inferiorem primus omnium Turcarum Regum invadere coepit. Id vero parum ante annum* 1393. *accidisse non sine idoneo teste Spondanus ad eundem annum §.* 9. *demonstrat. Hinc ducti anni ad usque* 1462. *summam conficiunt annorum* 70. *circiter.*

Digitized by Google

RESPONSUM II.

Datum Legatis Hungarorum nomine Caesaris.

Ex Mʃʃ. Cod. Lucenʃi.



Ptaſset Sacra Majeſtas Imperatoria, Reverendiſſimi Patres, ac magnifici proceres, inclyti Regis Hungariae Legati, quae Francfordiae concluſa & conſcripta fuerunt exequutioni hoc in loco, ut inſtitutum erat, potuiſse mandari; ſic enim & impetus hoſtium noſtrae religionis compeſci, & reſpublica Chriſtiana, quae nimium aevo noſtro lacerata eſt, vires reſumere potuiſſet. Sed intelligit circumſpectio veſtra eo res eſſe deductas, ut in hac aeſtate juxta condictum exercitus haberi non queat. Nam cum vocandi ſint milites ex longinquis partibus etiam ultra Rhenum, prius aboat aeſtas, quam copiae congregari atque inſtrui valeant. Exinde cum omnium judicio neceſſarium putaretur pro foelici exitu rerum terreſtrem ſimul & navalem exercitum contra Turcos armari, manifeſtum eſt, quia in vanum terreſtres copiae hac aeſtate congregarentur, cum propter obitum Romani Pontificis claſſis Italica, quae concurrat, haberi non poſſit. Nec rurſus tempore hyemis educendus veſter exercitus; tum quia caſtrametari pruina rigente duriſſimum eſt; tum quia nautae impedientibus tempeſtatibus altum petere pelagus & ſe ventis credere non audent. Cernitis tertio aliam difficultatem propter differentias quae in diverſis Alemanniae vigent, quibus durantibus perdifficile eſſet exercitum educi. Neque enim quemadmodum ſperabatur, & optandum fuerat, Germaniae partes paratae ſunt. Oportet igitur, ſi contra Turcos bellum gerere volumus, in aliud tempus idoneum ac poſſibile negocia proferre. Habita igitur exacta conſideratione, rebuſque diligenter penſatis ad petitionem veſtram, quam nunc

repe-

repetere supervacaneum fuerit, hoc modo respondet Caesarea sublimitas.

Quae Francfordiae pro communi utilitate populi Christiani excogitata, conscripta & conclusa sunt, intendit gloriosissimus Imperator, quoad fieri possit, exequutioni mandare. Et quoniam, ut ante dictum est, hac aestate & sequenti hyeme, neque faciliter neque utiliter exercitus educeretur; conabitur sua mansuetudo, ut copiae quae hoc tempore congregari atque emitti debebant, in festo ascensionis Dominicae, quod ex proximo festo ad annum immediate futurum est, in partibus Hungariae circa Savum fluvium quo Danubio miscetur constituantur. Exinde sine dilatione paratae & instructae contra Turcos profecturae. Quae res ut fructuose geri possint, duo necessaria requiruntur. Primum est, ut sit pax in Alemannia. Alterum ut de maritima magna & valida classe indubitata notitia habeatur. Quantum ad pacem attinet, necessarium est inter Imperatoriam Majestatem, & Serenissimum Hungariae ac Bohemiae Regem, compositis omnibus differentiis & amputatis litibus, bonam & certam intelligentiam esse; ad quam rem perficiendam in Caesare nihil deerit: nam qui patrueli suo tanquam carissimo filio est affectus, libenti animo sese cum eo intelliget, & facile cum eo unius erit voluntatis, cum quo est unius sanguinis. Praeterea contentio quaedam neque parva neque contemnenda esse dignoscitur inter duas illas florentissimas & bellicosissimas gentes, Bohemos scilicet & Saxones; quae nisi simul componantur, Germaniam commoverent, & opus hoc sanctum quod quaeritur, defendendae catholicae fidei penitus impedirent. Est igitur advertendum, ut & hujusmodi controversiae de medio tollantur, & si fieri posset hoc in loco cum partes adsint pleno mandato fulcitae. Expedit etiam controversias inter Serenissimum Regem vestrum & illustrissimum Burgundiae Ducem super Ducato Lucemburgensi; similiter & contentiones illas super Ecclesia Monasteriensi [1] nec non inter Dominum Coloniensem & Civitatem ejus Susacensem, (2) & alias circa Rhenum pendentes, amovere; & in caeteris

Vide historiam Pii de diaeta Ratisponensi hic vulganda.

teris Alemanniae quibusque litibus finem imponere, illis praesertim, quae ad exercitum conficiendum impedimento esse possunt. Eam ob causam decrevit Majestas imperatoria sub gravissimis & formidabilibus poenis, quemadmodum Francfordiae conclusum est, pacem biennalem per totum Imperium in partibus Germaniae ac Galliae servandam mandare, & in locis opportunis ejus conservatores instituere cum plena potestate coërcendi eos qui violatores quovis modo reperiantur. Ubi autem majores contentiones fuerint, sive per se, sive per Legatos & alios modos opportunos illas sopire conabitur. Mandabit Principibus ac civitatibus Imperio Sacro subjectis, ut ad diem praedictam ascensionis Domini ad annum milites sibi conscriptos, paratos atque instructos habeant in loco praenominato. Et casu quo sua Majestas personaliter ad exercitum ire non posset, eligetur belli dux, sive ut diximus, supremus capitaneus Princeps aliquis expertus rei militaris & tantis rebus idoneus. Et ut exercitus supra quam Francfordiae decretum est numerosior & fortior haberi possit, Serenissimos atque potentissimos Franciae & Angliae Reges, ut & ipsi ad tam sanctum opus concurrere velint, convenientibus modis adhortabitur: & sperandum est quod omnes volenti animo ad rem tam piam, & necessariam manus apponant. Nam qui praestare auxilia hoc tempore contra Turcos negaverit, infidelitatis proculdubio & inimicorum crucis Christi fautorem se declaraverit. Quantum vero ad classem Italicam pertinet, est propositum Caesareae sublimitatis mittere oratores suos ad novum Romanum Praesulem, quem jam electum putat esse, similiter ad Serenissimum Aragonum Regem, fratrem & affinem suum carissimum, nec non ad Illustres Venetiarum, Januae, & Mutinae Duces, ad magnificum Comitem Franciscum, ad Florentinos, Senenses, & ad caeteros Italiae Potentatus, omnemque operam adhibere, ut classis Italica magnifica, & potens eo tempore Hellespontum, sive, ut vulgo dicimus, Brachium S. Georgii, aut strictum Galipolis ingrediatur Turcos invasura, quo terrestres copiae eosdem hostes aggredientur. Quae cum

ita

ità per gloriosissimum Imperatorem nostrum gerenda sint, restat quod Serenissimus Rex vester ex regnis ac dominiis suis simili modo se disponat, tueatur se medio tempore quantum fieri potest ab invasione Turcôrum, pacem sive treguam cum eis non amplectatur, quae ordinationi praedictae nocere possit. Congreget & ipse suum exercitum juxta tractatum Francfordiae habitum, copiosum & potentem, qui cum Teutonicis concurrat, mittat oratores suos ad promovendam Italiae classem, mittat ad Reges & Principes, atque auxilium postulet, transitum praebeat per dominia sua iter habentibus securum & quietum. Mercaturã rerum quae ad victum sunt aequo pretio faciat; super monetis recipiendis, ne quis gravetur provideat; & reliqua faciat, quae ad bellum contra Turcos gerendum suae Serenitati incumbunt. Hoc facto, si faverit (ut credibile est) divina pietas, & regnum vestrum magnificè defendi, & honor Christiani nominis salvari, & Ecclesiae Catholicae status ad pristinum decus reduci poterit.

In II. Responsum datum Hungaris.

NOTAE.

1. Contentiones illas super Ecclesia Monasteriensi. *Anno* 1450. *Monasteriense capitulum Walravium de Moersa in Episcopum elegerat; Cives quidam factiosi Enrycum de Hoya ut sacris suis praeesset assumpserunt; hinc seditio & arma, donec anno* 1454. *concurrerunt acies; victi Cives jus integrum electo capitulari reliquerunt. Vide Hermannum a Kerssembroch in hist. Belli Anabaptist. Monasteriensis, Menchen. Rer. Germ. Script. tom.* III. *pag.* 1511.
2. Inter Dominum Coloniensem & civitatem ejus Susacensem. *Susatenses Coloniensi Archiepiscopo jure domini subjecti jugo excusso rebellaverant; quibus ad officium*

cium revocandis Archiepiscopus arma sumpsit; frustra enim minas Caesar pro Ecclesia Coloniensi impendit, & Pontifex anathemata fulminavit. Quin & illatam a rebellibus cladem Coloniensi indicat AEneas in histor. diaetae Ratispon.

ORA-

Digitized by Google

ORATIONIS XVI.

Argumentum.

Nicolao V. Pontifice defuncto anno 1455. in vacuum Petri solium intra paucos dies assumtus fuit sub Calixti III. nomine Alphonsus Borgia Hispanus, patria Setabensis in dioecesi Valentina, Valentiae Episcopus & S. R. E. Cardinalis tit. SS. quatuor Coronatorum. Novo huic Pontifici obsequium religiosum praestiturus Fridericus III. Romanorum Imperator Legatos ad illum suos misit AEneam Sylvium Piccolomineum, Senensem tunc Episcopum, & Joannem Hinderbach juris consultum. Hac ipsa occasione AEneas Orationem istam coram Pontifice recitavit, causam Legationis suae expositurus. Praeter obsequium nomine Principis sui impensum, Pontificem per se currentem ad expeditionem in Turcas apparandam novis admotis calcaribus incitat & urget. Verum extrema Pontificis senecta [annum enim aetatis LXXVI. *attigerat] regnum illi brevius permisit, quam tantae rei absolvendae sufficeret.*

ORATIO XVI.

Ad Calixtum Papam offerendo obedientiam Imperatoris.

An. 1455. Edita est inter Opera AEneae Sylvii Edit. Basileae anni 1551. pag. 923. at primum vetustissimis typis absque loco & anno seorsum prodierat in 4. ex qua editione vetusta variantes dantur.

(a) homines

(b) dum



Olent plerique *omnes* (a), Beatissime Pater, maxime Pontifex, qui ad tradendam obedientiam huic Sacrosanctae Romanae Sedi mittuntur, non solum personae sedentis in ea, sed ejus etiam qui se mittit amplissimis verbis exponere laudes. Idem nunc & mihi faciendum esset, qui cum collega meo praestanti, & optimo juris interprete Joanne Hinderbach Caesareo nomine obedientiam ad te defero. At cum sim certus in hac tui summi praesulatus adeptione, quam divinitus inspiratam cuncti fatentur, confluxisse ad te huc quamplurimos tum Principum, tum civitatum Legatos tui consocios, & dicendi peritos; non sum nescius illos, *tamen* (b) tibi, & Romanae Ecclesiae congratulabantur, & Apostolicum Sacrum Senatum qui delegit, & pietatem tuam, quae demandatum munus accepit, magnifice atque ornatissime commendasse. Per hosce, ut arbitror, homines, & veteris prosapiae tuae alta nobilitas, & majorum tuorum illustria facta, ac omnis vitae tuae cursus ita in lucem prodiere, ut nemo in hoc auditorio sit, qui nesciat, quam praeclare sis natus, quam scholaris acutus fueris, quam disputator subtilis & vehemens, quam doctus doctor & eminens, quam providus apud reges consiliarius, quam justus in magistratibus judex, quam castus in Ecclesia presbyter, quam sanctus & amabilis Episcopus, quam verax & incorruptus Cardinalis. Non est igitur cur tempus in exponendis teram tuis laudibus; nam etsi vita tua in hanc usque diem hujusmodi fuerit, ut vel millies *dicta* (c) delectet, non sum tamen ego, qui tuas eximias,

(c) decantari

ac

ac pene divinas virtutes aequo praeconio celebrare possim; neque tu is es, qui rumusculos quaeras, & inanes auras populi captes. Sufficit tibi conscientia tua, quae non ab homine, sed ab ipso Rege saeculorum justo judice, qui non *fallitur* (*d*), coronam expectat meritorum. Nos igitur de tua beatitudine nihil aliud dicemus, nisi quia te veluti sydus quoddam clarissimum & saluberrimum e coelo missum credimus, sub quo Beati Petri navicula, quae misere mergitur, feliciter emergetur. Consuevit enim terra *Hispaniae* (*e*) nobilissima, unde tibi origo est, industrios semper & fortissimos viros Apostolicae Sedi, atque *ipsis* (*f*) dare quemadmodum Damasi & Theodosii manifestant, quibus te nullo pacto censemus minorem, & nunc potissime (*g*) cum & urbis illius imperialis Senatum (1) matris meae, literarum cultricis & ocii tam acrem defensionem, & certissimam conservationem advertimus. De Caesare vero, a quo sumus missi, dicere nonnihil eorum temeritas urget, qui nesciunt verbis extollere suos dominos, nisi deprimant alienos. Sed horremus ingredi cum parvo navigio magnum mare; neque enim nostra oratio est, quae majestatem tanti principis pro sua dignitate valeat explicare, cum non uno tantum, sed quatuor ex fontibus nostri Frederici laus abunde manet.

Ex Romano Imperio, cui praeest; ex natione Germanica, quae sibi prae caeteris obsequitur; ex domo Austriae, quae se genuit; & demum ex persona propria, quae corporis & animi dotibus egregie pollet. Si quis igitur Fredericum nostrum, ut par est, commendare voluerit, huic primo vetustas imperii, & amplitudo, & auctoritas & potestas, & magnificentia, & gloria in medium deducenda erit; *deinde* (*h*) quid sibi velit ingens Danielis statua propter ferreas tibias quaevis imperia conterentes; quid grandis Ezechielis importet Aquila; cur Assyriorum regna mutentur ab Italia, Balaam enarrandus omnis (*i*) Aquilae volatus, ut Cretensem illum Jovem stulte creditum Deum, *& Theochum* (*l*), ut Trojanos reliquos, ut potissime pium AEneam in bellis *adjuvaret* (*m*); ut regibus Albanis aliquando faverit; ut

(*d*) fallit

(*e*) Hispania

(*f*) impedio

(*g*) *Addit vetus editio*: Quoniam turbatorem pacis Italicae, & hostem communis boni Jacobum Picceninum te tam acriter insequi cerninus & urbis illius, &c.

(*h*) dicendum

(*i*) *Locus in nullis editionibus sanus*.

(*l*) ut Theucrum

(*m*) adjuverit

ut Romanos rerum Dominos, gentemque togatam; ut Graecos Imperatores, ut Germanos Caesares victores hostium, & mundi *devictores* (n) effecerit. Quaecumque enim de Romano Imperio praeclare dicuntur, ad rectorem ejus proculdubio cum laude redundant. Nam sicut Apostoli Petri, & Silvestri, & Leonis, & aliorum Pontificum laudabile nomen, te, qui loco eorum sedes, agit (o) sublimem; & Augusti Primi, & Constantini Magni, & Caroli victoris, & aliorum Caesarum excellens gloria, Fredericum nostrum, qui eis successit, in altum *tollet* (p). Secundo, exponendum erit quam longa, & lata sit Germanica natio, quam religiosa, quam verax, quam justa, quam promissi tenax, quam populosa, quam dives; quanta illic nobilitas, quam fortis & experta militia, quantus Ecclesiarum ornatus, quanta gloria cleri, quanta Principum magnificentia, quantus splendor urbium; quae coeli facies, quae terrae ubertas; cum provinciarum, & populi decus cum Principe sit commune. Tertio, describenda succurrit inclita domus Austriae, ex qua hic Fredericus prognatus est. Mater & ipsa Regum, & Imperatorum, quae saepe Hungariae, saepe Bohemiae, & aliquando Poloniae Reges dedit, *demonstranda* (q), & quantus fuerit magnus ille Rodulphus Imperator, qui & Bononiam Romanae Ecclesiae dono dedit, & *Otto Carolum* (r) potentissimum Bohemiae Regem, qui Austriam & Stiriam Romano Imperio *surripuerat* (s), ancipiti bello victum, interemit. Tum duo Alberti occurrerent, duo Martis filii, duo fulmina belli, quorum (t) Alfonsum de Nassau (2) fasces Imperii usurpantem apud Rhenum magno praelio vicit, & occidit. Alter impios Hussitas [u], Ecclesiae nostrae saeva bella molientes, quasi malleus contrivit (3). De patre Ladislai loquor inclyti Regis Hungariae, ac Bohemiae, Caesaris nostri patruo, *denique* (x) admiranda probitate nihil satis dici posset. Ponendi ante oculos essent Ernesti, Leopardi, Friderici, & alii quamplures, animae candidissimae, hujus excelsae familiae, quarum virtutem admitari magis quam recensere valemus. Postremo, quia non imitanti majores dedecus est paterna laus filio, ad Fri-

(n) domatores

(o) *Addit* ita

(p) toller

(q) demomstrandum

(r) Othokarum

(s) subripuerant

(t) *Adde*: alter scilicet Albertus Imperator filius dicti Rodolphi

(u) *Ald.* videlicet Albertus III. Imp. impios Hussias.

(x) de cujus

Fridericum ipsum convertenda erit oratio. De mansuetudine sua, de religione, de justitia, de prudentia faciendum verbum; exponendum ejus iter in Terram Sanctam, declarandus felix reditus, enarranda paucis consilia, commendanda pietatis opera, dicendum quo pacto ad Imperium vocatus fuerit, ut coronam Regni Germanorum apud Civitatem Aquensem, imperialem in hac Urbe summo cum honore susceperit; ut conjugem nobilissimam ex domo Portugalliae duxerit, Alphonsi praeclarissimi Regis neptem, unde sibi omnes Hispaniae potentissimos Reges affinitate conjunxit; ut neutralitatem Ecclesiae (4) Romanae nocentissimam ex natione sua sustulerit, ut obedientiam Germanici populi magno labore, majori sumptu atque industria, tuis praedecessoribus, Eugenio, & Nicolao restituerit, unde secuta est, qua nunc fruimur, & quam tantopere commendavimus, Ecclesiasticae societatis unitas [5]. *Quamvis ejus rei gloriam plerique* in alios detinent, quorum opera ea fuit, quae solet illorum esse, qui fugatim ab aliis *fessumque* (y) termini intercipiunt. De his ergo, & aliis quamplurimis rebus cumulatissime *putandum* (z) illi erit, qui Fridericum nostrum digne pro meritis laudare decreverit. Sed non sunt haec onera, quae nostris humeris committi debeant. Satius est tacere, quam majestatem tanti Principis *leni* (*aa*), ut nostra est, oratione percurrere. Praetermittimus igitur morem ab aliis servatum, & omissis hoc loco tuis, ac Caesaris nostri laudibus, ad ea veniemus, quae coram te dicere ac agere jussi sumus, munusque nostrum quam breviter absolvemus.

(y) fessumque cervum

(z) perorandum

(*aa*) tenui

Sane cum accepisset Fridericus Imperator sanctissimae atque indelebilis memoriae N. Papam V. praedecessorem tuum ex hac mortali luce migrasse, complures illum dies luxit, non quidem ejus causa, quem pro suis gloriosis operibus, & animi rectitudine in concilio beatissimorum spirituum, & in Regno Dei cum Petro, & Paulo jam receptum non dubitabat; sed propter rempublicam Christianam, cui mortem N. hoc tempore funestissimam existimabat, timens ne pro successoris electione Sacri Senatus opiniones in diversa tendentes inconsutilem Christi tunicam

Nicolaum

Nicolai

Vv 2 scin-

scinderent, & imminenti cervicibus nostris hostili gladio vires adjicerent: quod licet de tanto lumine non esset credibile; quia tamen acciderant aliquando pejora, non fuit absonum formidare similia. Sed quemadmodum ex praematura, & infausta migratione tui Praedecessoris moerorem accepit Caesar ingentem; ita ex tempestiva, & felici vocatione tua summum gaudium *maximamque laetitiam adeptus est* (*bb*). Novit enim te Caesar, cum adhuc in minoribus ageres; & cum se visitatum in hac Urbe [*cc*] suae coronationis adesses, quantum intellectu & doctrina, & praesertim civili sapientia, quae mundi gubernatrix existit, quantum cum magnitudine, & vitae sanctimonia valeres diligenter expendit; te unum esse judicavit, qui B. P. locum *juris meriti* aliquando teneres; quod nunc ex concordi voluntate Sacri Senatus impletum cognoscit, & gaudet; ac cum Serenissima contorali sua Leonora, prudentissima (*dd*) & sanctissima foemina, quae de tuo Pontificatu maximo incredibiliter exultat, festos dies agit illos, *quia* (*ee*) secum serio triumphat, quod tu solus es, qui post Gregorium XI. per *annos* LXXX. *&* *amplius* (6) sine competitore certus & indubitatus B. Petri successor inveniaris. Ea propter laetus de nuncio tuae assumptionis Caesar, solicitus pro debito recognitionis nos duabus de causis ad te remisit.

(*bb*) summum gaudium consequtus est.
(*cc*) *Addit.* tempore suae
dandas: *forte dandum*) meritis
[*dd*] *Addit.* Augusta
[*ee*] illudque

Prima est, ut pervetusto more sanctitatem tuam, recenter assumptam, suo nomine veneremur; secunda, ut defendendam contra Turcos catholicam ecclesiam tuae beatitudini commendemus. In primo negocio non est cur immoremur; *faciat* [*ff*] imperator quod se decet; *accipiat* (*gg*) tua pietas quod tibi debetur. Nos igitur jussioni parentes ejus nomine qui sacro Romano imperio praesidet, sanctitatem tuam (*hh*) Domini nostri Jesu Christi locum tenentem in terris, ac *in gratiam* (*ii*) & ducem universalis ecclesiae recognoscimus; te certum, & indubitatum B. P. successorem & pastorem dominici gregis; te sanctorum Evangeliorum verum interpretem; te doctorem salutarem (*ll*), te clavigerum *aeterni* (*mm*) regni coelestis profitemur; tibique omnem reverentiam, & obedientiam exhibemus, quam Romanorum imperatores prae-

(*ff*) faciet
(*gg*) accipiet
(*hh*, *add.* tanquam
(*ii* magistratum
(*ll*) *add.* vitae
(*mm*) deest

Digitized by Google

praedecessoribus tuis canonice intrantibus praestare comperti sunt, sive jure, sive consuetudine suadentibus; quod quantum *nobis* (nn) praemissum sit praesenti sacra *litera* (oo) docebitur. Nunc de secunda nostrae commissionis causa transigere oportet, hoc est de tuendo nomine Christiano contra Turcos, *non dico Teucros*, nunquam ego huc erroris prolabor, & ut genti barbarae, atque immundissimo nomini eorum attribuam, qui Romani populi patres habentur. Teucri enim iidem & Trojani fuerunt, a quibus exortum genus *Meandrum*, (pp) & gens *Julia* (qq) profecta Romanum fuderat imperium. Turci autem, etsi nunc occupant loca, quibus fuit Ilion, & Neptuni Troja, Scithae tamen ab origine sunt, qui regnante apud Francos Pipino in Asiam migravere, eamque pedetentim provinciam sui juris fecere. Gens spurcissima, & ignominiosa, fornicaria in cunctis stuprorum generibus; tunc quidem idolorum cultrix, nunc impii Mahometi sectatrix ac hostis pessima nostrae religionis. Quomodo autem debacchati sunt temporibus nostris Turci in Graecia, & quo impetu Constantinopolim expugnaverunt, Galatas deleverint, *Rastiam* (rr) quae superior olim Misia dicebatur, oppresserint, in Peloponnesum, *in Euboeam* [ss] cum exercitu venerint, cunctisque per circuitum Christianis vincula, verbera, neces comminati sunt, non est propositi nostri nunc commemorare; satis enim & in Ratispona, & in Franckfordia, & in Nova civitate & apostolici, & Caesarei, & aliorum principum legati ruinam Graeciae ecclesiae, nostrae vulnera defleverunt. In hoc etiam *adjutorio* non me fugit saepè de his rebus orationes habitas esse, & ab illis quidem disertissimis viris, quibus si velim aequari dicendo manifestè desiperem. Nunc vero non verbis nec lachrymis, sed armis regum, & populorum est opus Quae autem hactenus adversus hanc Turcorum insolentiam pro tutela fidelis populi tentaverit imperator, optime novit tua beatitudo. Nec te latet promissa fuisse Hungaris subsidia quae praeterierunt; sed qua jam ratione perturbata sunt ejus consilia, & quibus artibus impedita sit hoc anno in Turcos expeditio, (tt) malo tecum cogites, quam ex me

(nn) vobis

(oo) Deest

Vide quae adnotavi ad Orationem in Concilio Basileensi recitatam not. 8.

(pp) AEneadum

(qq) Juliana

(rr) Rasciam

(ss) In Cyprum

In quibus Imperii dietae pro decernenda in Turcas expeditione habitae fuerunt

f. *auditorio*

(tt) *Add.* tacitus

me publicè audias; illud tamen non reticebo, quae Franckfordiense concilium facienda decrevit duabus conditionibus subnixa fuisse, altera ut certitudo classis Italicae, quae cum terrestri exercitu concurreret, suo tempore haberetur; altera Germanorum controversiae, quae possent impedire *pactum* (uu), de medio tollerentur. Primam conditionem irritam fecit tui praedecessoris obitus. Secunda ne posset impleri ab his procuratum est, qui ex publico malo proprium commodum quaerunt: atque ita dum Christiani cunctantur, Turcique properant, religionem nostram funditus delere nituntur, qui non contenti vicisse Graeciam, Hungariae nobili regno imminent. Hungari vero magnanimi, & fideles populi annis supra LXX. hunc hostem perpessi, nunc victi, nunc victores, suum fundendo sanguinem tutati sunt nostrum: qui cum nos servant, optimates suos cum regibus & pontificibus *miserunt* (xx). Nulla domus in Hungaria est digna nomine, quae (8) *duobus novissimis bellis contra Turcos habitis* egregium & fortem aliquem virum non *deploraverit* (yy). Hodie vero non est hoc regnum quod Turcorum impetum sustinere possit; attenuatum, atque (zz) externa indigens ope. Legati ejus, & in Franckfordia, & in Nova civitate coram Caesare superos atque homines testati sunt, si reliquorum Christianorum praesidia sentiant, se iterum atque iterum belli pericula subituros; sin reliquantur a nobis, leges accepturos, quas Turci dederint. Neque enim consilium eorum est sine spe victoriae urbes & agros igni, uxores & filios lupanari, sua & liberorum hostili ferro committere. Quocumque tandem modo ad hostes Hungaria defecerit, sive Italiam, sive Germaniam percurrere ac praedari voluerit, in utramque terram patenti porta aditum habet. Murus *vero* (aaa) Hungaria est, & antemurale fortissimum, sive clypeus nostrae religionis, sub quo *longe* (bbb) jam protecti sumus. At hic nunc clypeus nobis subtrahitur; murus vero bombardis, & arietibus quatitur; & nos de remedio nulla remordet. O ingratitudinem nostram, quam nunc vicem defensoribus nostris reddimus Hungaris! O stultitiam populi Christiani! O caeci-

(uu) procinctum

(xx) amiserunt

(yy) amiserit

(zz) *Add.* contritum

(aaa) noster

(bbb) longo jam aevo

f. *cura*

citatem, atque amentiam! ab externis invadimur hostibus, & nos in cives arma convertimus. Sed digne patimur pro nostris iniquitatibus. Nulla intra nos concordia, nulla obedientia est; neque spirituali, neque temporali paremus capiti. Jacet spreta religio; justitiae nullus honos; fides pene incognita; sed rex quisque sibi aut pontifex esse videtur: quot capita, tot sententiae. Scinditur incertum studia in contraria vulgus. Illic Germaniam mille conturbant lites; inter Galliam & Angliam vetus odium viret; Hispaniae reges *immutat* (ccc) ambitio; Italiam magno labore pacatam novus jam turbo concutit; nova exurunt apud Senas incendia (9). Quid speremus? His moribus procuratores Mahometi sumus. *Nam ipsi* (ddd) parefacimus hosti, & terga nudamus quae feriat. Quid [eee] tanta inter vos est invidia, & malevolentiae pestis, tantum venenum, tanta rabies ut videre videar complures nostrae religionis homines servire Turcis malle, quam Christianum ferre aliquem principem? Tot denum sunt in Christiano populo vectigalia, tot pecuniarum extorsiones, tot rapinae, tot principum, ne dicam Tyrannorum, nostrorum in subditos contumeliae, ut magnopere verear ne venienti Turco, & onera relaxanti, plebes nostrae libenti animo colla submittant: maxime vero, si ut est callidus hostis, libertatem de fide fecerit. Sed o Christianum populum, o plebem electam, o vineam Domini Sabaoth, o Christi haereditatem, o testamentum, o regnum Dei, quo nunc redacta es Christiana societas! Ex quatuor patriarchalibus ecclesiis, quibus Christiana subnixa fides, in orbem universum palmites extendit; majores nostri duas per ignaviam & socordiam cum Hierosolymitana sede turpiter perdiderunt; nos tertiam, & illam quidem, quae post Romanam secunda fuit, in qua tot nobilissimi imperatores, tot sancti pontifices claruerunt, tot generalia concilia celebrata, tot sacri canones editi, tot sacratissimae leges promulgatae sunt, non minori damno, majori tamen desidia prorsus amisimus. Evangelium Salvatoris, quod in omnem terram intonuit, sola jam audit Europa; nec ipsa quidem omnis. In occidenti Saracenis premimur; septentrio-

(ccc) inimicat

(ddd) Viam Christi

(eee) Add. quid dicam?

Constantinopolim

Digitized by Google

trionis magnam partem caeca gentilitas invasit; ex oriente, qua Graecia protenditur, Turci nos pepulere; prope est, nisi vigilamus, nisi consurgimus, nisi Deus adjuvat, nisi tua sanctitas, *in tempore (fff)* animose occurrat, ut & hunc tuum thronum, & quidquid restat Christiani nominis Mahometus occupet; qui jam sine resistentia terrae dominus ac maris esse videtur. Adversus hanc pestiferam bestiam, & adversus hæc mala conatus est imperator, ut nosti, remedia conquirere. Sunt praecepta, sunt ejus, ut ante dixi, consilia; non tamen proposito cadit, neque animo deficit, *deceptus est* (10) non defatigatus. Hac non successit; alia aggredietur via: quaecunque sibi ut imperatori Romanorum, ut advocato ecclesiae, ut protectori fidei orthodoxae, ut Austriae duci, ut religioso principi, ut homini Christiano incumbere videntur *procuranda [ggg]* religione minime postergabit. Sed quoniam propulsare Turcos, & illatam Christianae plebi contumeliam ulcisci *omnino (hhh)* opus est omnium fidelium, magnoque sumptu, & magnis viribus indiget, supplex orat tuam beatitudinem Caesar, quae Christi vicarium gerit, ut antequam hostis appropinquet magis, una tecum ad ea intendas animum, per quae Christiani potentatus inter se pacem tenentes, adversus infideles arma convertant, & communem hostem ex Europa deturbent. Quod licet difficile videatur hac infelici tempestate nostra, in qua tantopere divisi sumus, nihil est tamen quod diligentis hominis studium non perficiat. Vigilanti, instanti, urgenti, pro voto cuncta succedunt: labor improbus omnia vincit.

(fff) ut cepit

(ggg) pro tuenda

(hhh) commune

Incidisti, beatissime Pater, in haec luctuosa, & ut ita dixerim, fastidiosa tempora, quae fidem catholicam pene concussam, & undique laniatam Christianam plebem ostendunt. Tu ne cede malis, sed contra audentior ito: quò difficilius, eò praeclarius ages. Non est impossibile, si mihi credis, Constantinopolim, totamque Graeciam de manibus Turcorum eripere, si modo his itineribus incedamus, quae sunt aptissima Neque mari, neque terra Christianae potentiae Turci sunt pares: & hominibus, & equis & navibus & curribus, & quibuslibet

armis,

Digitized by Google

armis, & rei militaris peritia superiores sumus & auro. Quod si armetur Christianum robur, fugient hostes, sicut stipula a facie venti; Sarmatiaque nostris relinquent spolia sine vulnere & sanguine. Mira res! neque facultas nobis deest, qua possumus Turcos exterminare, neque voluntas. Nam viribus multo quam illi praestamus, & nemo Christiano nomine insignitus, qui nolit perire Turcos. Quid igitur obstat? Cur stamus? cur non exurgimus? cur non defendimus plebem nostram? cur non propulsamus injuriam? Sed unum nobis *de istis* [iii] inquirendum est, quo habito, facile terrebimus & consternemus hostem. Hoc unum est ordo, sine quo nihil est quod valeant rite explicare. Ordine caremus, beatissime pater, & modo; at nunc tua interest, & nostri Caesaris, adhaerere rebus agendis; nisi enim vos duo luminaria magna, vos primi orbis capita, vos sal terrae, & mundi *praesules* (lll) ordinem ponitis, quo Christianae vires in hoc opus uniantur; non est quod vel nos speremus, vel Turci timeant Christianum conflari exercitum. Age igitur, summe pontifex, fortem sume animum; erige nobilissimam mentem, laudatissimum illud & in omni gente vulgatum, quod in assumptione tua *votum emisisti* (10) ante oculos semper habeto.

(iii) unum

(lll) praesides

Intelligis quod Caesar promittit. Clarissimum illum Aragoniae regem potentia & sapientia incomparabilem in hoc opus valentissimum habes. Philippo duci Burgundiae nobilissimo, & piissimo maximis *rebus* (mmm) comparando, nihil magis cordi est, quam pugnare in Turcos. Hungari auxilia expectant, belli fortunam sub tuo vexillo iterum experturi; in Germania multi sunt principes, qui corpora sua adversus hos hostes devovere. Carolus rex Francorum, & re & nomine Christianissimus, suorum progenitorum vestigia non deseret, quorum fortia facta omnis decantat ecclesia. Neque fortes, ut opinor, Anglorum manus deerunt. Castellanis & Portugalensibus, rerum gestarum gloria clarissimis, innatum est pro fide certare; voluntarii sunt & prompti omnes populi pro Christi fide arma suscipere. Sed omnes in te oculos direxere; omnes ex te modum, atque ordinem

(mmm) Regibus

Digitized by Google

expectant. Exurge igitur, aperi ecclesiae thesaurum, aperi coeli portas, promitte dignam labore mercedem, effunde largiter spiritualia dona in Christi milites, mitte operarios in messem, Domino ditissimam metent. Hoc tuum est opus, hoc est in quo Deo possis & hominibus complacere. Scio multos tibi deberi titulos *postquam* coelum potieris, sed nullus illustrior sarcofago tuo inscribi poterit, quam si perditae sub praedecessore tuo Constantinopolis recuperator, & ultor communis injuriae vociteris, atque, ut aperte dicam quod sentio, haec certissima via est, per quam Christiani reges, & fideles, cunctae nationes tibi, ut Christi vicario cervices suas libenter inflectant; si defensionem fidei nostrae fortiter, & magnificè suscipias; & quemadmodum fovendo Italiam, pacem juvando, & sapientissimos legatos designando spem dedisti, ad exterminandam Turcorum sedem, & impiam gentem totis conatibus erectus atque intentus esse videare. Pleraque alia ad hanc rem idonea, semotis arbitris, cum tuae pietati videbitur latius exponemus.

f. pro quibus Coelo potiaris

NOTAE

In Superiorem Orationem.

1. CUM ex urbis illius imperialis Senarum. *Jacobus Piccininus agro Senarum saepe se superfuderat, ubique minitabatur, pecuniam patri suo debitam denegatamque exigens. Civili etiam seditione urbis illius viscera dilacerabantur. Ad utrumque malum, remedium paratum nacti sunt Senenses in Callixto; nam ejus potissimum foederatorumque principum ope pulso fugatoque Piccinino, ditio illa pacata; tum revocati cives optimè antea ab adversa factione tunc praevalente ex urbe pulsi. Vide Platinam in vita Callixti Rer. Ital. to. III. pag. 12. pag. 694.*

2. *Pugna illa, cujus hic AEneas meminit, commissa est in agro.*

Digitized by Google

agro Spirensi inter Adolphum [sic enim scribendum, cum hic mendose sit Alfonsus] Nassoviae comitem Romanorum regem, tunc ab iis, a quibus assumptus fuerat, electoribus depositum, & Adalbertum Austriae ducem Rodulphi olim Romanorum imperatoris filium ad imperium tunc electum. In ea pugna Adolphus spem regni recuperandi una cum vita amisit. Lege Spondanum ad A. 1298.

3. Alter Albertus impios Hussitas, &c. *Est hic Albertus Austriae dux, regni Bohemici supremis Sigismundi imperatoris tabulis haeres relictus. Hussitas qui Casimirum Ladislai Poloniae regis filium sibi aemulum opposuerant, bello afflixit. Vide AEneae Hist. Bohem. cap.* 55.

4. Neutralitatem Ecclesiae, &c. Romanae nocentissimam, &c. *Neutralitatis hujus sublatae meminit AEneas Epistol. lib.* 1. *epist.* 188. *ad Petrum Noxetanum bis verbis.* Diffidebant Teutones cum Eugenio maximo pontifice; at neque illi neque Felici (*scilicet V. antipapae a Basileensibus assumpto*) obedientes, neutrales vocabantur. *Hanc vero neutralitatem sustulisse Fridericum imperatorem restituta Romano legitimo pontifici obedientia scitum est.*

5. Quanvis ejus rei gloriam, &c. *Subobscuris hisce verbis designari credo occultas electorum principum in Germania molitiones, qui primo quidem arcanis artibus Germanos sive intra neutralitatis fines continere nitebantur, sive ad Felicem pseudo pontificem trahere. Cum tamen Caesar in Eugenium inclinaret, pervinceretque ejus sententia, tunc illi mutato ex necessitate consilio legationem suam ad Eugenium destinarunt, ab ea diversam quam Caesar miserat; atque ita restitutam ad obsequium Germaniam sua opera videri voluerunt, cum re ipsa ad Fridericum ejus rei meritum totum pertineret. Vide Gobelini Comment. lib.* 1. *pag.* 12. *edit. Francofurt. anni* 1614.

6. Per annos LXXX. & amplius sine competitore. *Post Gregorium XI. coeptum schisma in Martino V. re ipsa quidem cessaverat; sed cum paulo post sub Eugenio IV. Marti-*

ni successore schisma aliud emerserit, duo haec, quamvis diversa inter se, rhetorico tropo Pius continuat atque conjungit. Quod vero postremum hoc vel ipsam pontificatus Nicolai V. portionem interceperit, hinc non immerito primus omnium Callixtus dicitur qui sine competitore certus & indubitatus beati Petri successor, fuerit.

7. Quibus artibus impedita sit hoc anno in Turcas expeditio, &c. *Totam ejus morae culpam in principes imperii refundit idem AEneas in Commentar. Gobelini lib. 1. pag. 23 cum enim iniquiori essent animo in Caesarem Romanumque Pontificem, quidquid isti voluissent maxime, id illi potissimum recusabant. Verum postquam AEneas peroravit, repente omnium animos versos in bellum fuisse ibidem legimus; ne tamen expeditio tunc decerneretur, Nicolai V. pontificis mors importuna obstitit.*

8. Duobus novissimis bellis contra Turcos habitis. *Utrumque hoc praelium post obitum Alberti regis Romanorum commissum est (nempe post annum 1439) & in eo desiderata ducena vel trecenta pugnatorum millia, idem AEneas in oratione de excidio CPtano est author.*

9. Nova excurrunt apud Senas incendia· *Favillas enim ad novum incendium submittebant tumultuosi quidam cives, qui exules ex urbe novum intestinum bellum renovare occultis machinationibus moliebantur. Quin & Alfonsus rex Neapolitanus Jacobum Picininum copiarum suarum ducem iterum se immissurum minitabatur. Vide additamenta ad Hist. Senensem Rer. Ital. to. xx. pag. 56 Quae vero de Gallis Anglisque mutuo se bello lacerantibus hic leguntur, designant bella inter Carolum VI. Galliae & Henricum VII Angliae regem, in quibus Anglus regno alieno inbians suo tandem exutus est.*

10. Deceptus est. *Cum enim Ratisponae expeditio in Turcas communi omnium imperii principum assensu decreta fuisset, singulique decretum copiarum numerum se collaturos spopondissent; omnes tamen, praeter paucos, datae fidei defuerunt, Rursus Francfordiam conventum*

est

est ab imperii principibus. Iterum stabilitum Turcicum bellum, omnisque ad illud apparatus constitutus; iterumque consilium evanuit.

8. In assumptione tua votum emisisti. *Platina in vita Callixti III. votum, cujus hic AEneas, ab eo nuncupatum asserit ante destinationem suam ad summam dignitatem; idque mirabile omnibus, rem scientibus, accidisse addit, quod nondum assumptus pontifex, adhuc tamen pontificem se mira confidentia diceret. En voti formulam.* Ego Calixtus pontifex Deo omnipotenti voveo, & sanctae & individuae Trinitati, me bello, maledictis, interdictis, execrationibus, & demum quibuscumque rebus potero, Turcos Christiani nominis hostes saevissimos persequuturum. *Melius tamen AEneas hanc Callixti pollicitationem religiosam praestitam ab eo dicit, cum jam pontifex renunciatus fuisset.*

ORA-

Digitized by Google

ORATIONIS XVII.

Argumentum.

PUnita in Constantiensi concilio non coërcita Hussitarum haeresis in Bohemia eo magis saeviebat, quo magis ex effuso Ducum suorum sanguine efferabatur. Idem defectionis ab ecclesia Romana & fide impetus una secum Bohemos omnes rapuerat. Cura sua rem illam dignam Basileenses patres reputantes cum sectae coripheis diu & multis egerunt; tandemque per delectos e concilio viros gravissimos pax composita est in has conditiones, ut Bohemi in omnibus cum Ecclesia Romana convenirent, una excepta Eucharistiae perceptione, quam sub utraque panis & vini specie permissam volebant in Bohemia iis, qui usum ejus communionis haberent Ita enim legendum in hac Pii oratione ex fide codicis nostri Lucensis, cum in edito Muratorii concessa utriusque speciei Eucharistia iis qui haberent usum rationis *mendose habeatur. Neque enim nisi ad eos qui communionis percipiendae usum haberent in Bohemia, datum id fuisse in compactatis docent verba ista historiae Bohemiae AEneae Sylvii cap. 52.* his qui consuevissent divinae Eucharistiae communicare. *Cum vero interea patrum concilii cum Eugenio pontifice dissidia aucta in immensum alteram ab alia parte alienassent, ac dissociassent. factum inde, ut compactata nunquam Romanorum pontificum confirmationem obtinuerint. Displicebat id imperatori, multoque id magis ingratum accidebat Bohemiae regi, compertum habenti nunquam pacari Bohemiam, nec in consensionem cum Romana Ecclesia venire posse, nisi compactata a Romano Pontifice rata haberentur. Quare legationibus aliis subinde & aliis missis, ut id tandem impetraretur a pontificibus Eugenio IV. & Nicolao V. sollicitarunt. Verum una simul archiepiscopum sibi petentibus Rochezanam, virum Hussitica infectum labe, rejecta semper postulatio est. Tandem anno*

1456.

Digitized by Google

1456: *AEneas Sylvius ex colloquio habito cum Joanne Podiebratio regni Bohemici ſub Ladislao rege adminiſtratore ſummo, de hoc toto negocio plane edoctus, Romam ſe contulit, ubi nomine Friderici III. Caeſaris, & Ladislai Bohemiae regis coram Calliſto III. pontifice hac ipſa de re plenius luculenta hac oratione tractavit. Conſulit utrum expediat acquieſcere Bohemis, compactata rata haberi poſcentibus, poſtulantibuſque ſimul etiam ut viros duodecim deligere permitterentur, quos inter & Rochezanam deſignandum, ex quibus unum aliquem pontifex aſſumeret in Pragenſem Archiepiſcopum. Cauſa in utramque partem tractata, tandem in Bohemos inclinare ſe non obſcure demonſtrat. Rem tamen intra conſultationem manſiſſe ex eo conſtat, quod AEneam ad ſummum ſacerdotium evectum iterum pro compactatis adiverunt Bohemi, & vacui a pontifice remiſſi ſunt, oratione quae in hac collectione prout recitata fuit primo prodit.*

ORATIO XVII.

Habita coram Callixto Papa III. de compactatis Bohemorum.

Ex edito Muratorii cum M. S. Lucensi collato ex quo dantur variantes.

(a) M. S. ea:



RES Bohemicas ad te hodie perfero, beatissime pater, res barbaras, res obscuras, ac perplexas nimis, non tamen indignas tuis auribus, siquidem salus animarum in his quaeritur, & maximi principes *eam* (a) promovent, Divus Fridericus Romanorum imperator, & patruelis ejus inclytus Hungariae, ac Bohemiae rex Ladislaus (b) qui regnum Bohemicum paterno jure, atque avito possidet. Itaque cupiunt ambo regionem illam pacatam esse, ac cum sancta (c) ecclesia concordem. Cum enim longo jam aevo seorsum ab ecclesia catholica gens Bohemica vixerit, optat uterque princeps, te illum esse pontificem, qui suo tempore nobilissimum, atque amplissimum regnum reliquo Christianitatis annectas corpori. Digna profecto res, in qua tua beatitudo nervos intendat suos. Nec fortasse negotium est quod diligentius isto jam curare oporteat, si quemadmodum ostensio est, contra Turcos arma paramus. Nisi enim res domi quiescant, non est tutum pugnare foris. At regnum Bohemiae in medio nationis Germanicae situm, & undique cinctum Teutonibus, quamvis quiescere nunc & pacem cum vicinis habere videatur; non tamen plena securitas est, nisi res ecclesiasticae componantur. Huc accedit infinitarum pene animarum perditio, quae singulis diebus e corporibus commigrantes catervatim in gehennae mancipium deferuntur; est enim maxima pars regni Bohemiae extra tuam obedientiam, extra ecclesiam Dei, extra arcam Domini, extra quam non est salus regnante diluvio. Cogitandum est igitur de tanti regni salute; studendum est, ne filii ecclesiae pereant, ne filia, quae potest esse dilectissima, matris ultra

(b) M.S. Imperator quia feudum ejus Bohemia; est Ladislaus qui

(c) Sancta Romana

ultra complexus fugiat, ne gens fortissima Bohemorum aberret amplius. Atque hoc est quod imperator, quodque Ladislaus ex te summa prece deposcunt. Quomodo autem & quibus conditionibus quaerenda sit hujus regni reductio, non est eorum tuae sanctitati praescribere. Tu patris es loco, & matris, tu magister, tu medicus populi Christiani, Dominici gregis pastor. Tuum est cogitare, quibus artibus, quibus promissionibus aberrantes filios ad te revoces. Novit providus pater abeunti filio quo supercilio sit obviandum; novit pia mater quo lacte nutriat fastiditum infantem; novit cautus magister qua mansuetudine retrahat alienatum discipulum; novit eruditus medicus aegroto quae medicina conveniat; novit bonus pastor quae suis armentis salubria sint pascua. Nec te fugit quibus blanditiis, quibus sponsionibus allicienda sit natio Bohemorum. Illud certum est, quia nihil omittere convenit, propter quod isti populo salubriter consulatur, idque quo pacto peragas, tuo gravissimo judicio remittunt, & Caesar, & Ladislaus. Hoc tantum quaerunt, ut tandem Bohemicum regnum Romanae concilietur ecclesiae, & nunc potissime, quando hujus provinciae fortissimis viris contra Turcos egemus. Caeterum quia de tollenda Bohemiae labe curam gerimus, duo principaliter nobis exponenda sunt. Alterum quomodo regnum hoc labefactatum sit; alterum quo pacto purgari, & ad pristinam possit reduci sanitatem. Atque in his duobus tota nostra consummetur oratio.

Florentissimum enim olim hoc regnum fuit, eorum qui sunt in Occidente, potentatuum nulli cedens. Sub Carolo autem ejus nominis quarto Romanorum imperatore ad summum venerat. Inaestimabiles illic opes erant, incredibiles deliciae, potentissimi nobiles, honoratissimi sacerdotes, urbes munitissimae, palatia, nedum magnatuum, sed mediocrium civium ad regalem magnificentiam fastigiata, templa & monasteria supra quam dici queat ornata & opulenta argenti (*d*) *inexhausto munere*, mercatura praedives, splendida militia, schola philosophiae nobilis, quasi reginarum ita matronarum habitus. Sed caduca sunt omnia sub luna, nulla potentia longa,

(*d*) inexhaustae minerae

prona est ignominia sequi gloriam Cecidit alta Bohemorum superbia Non tamen externa manu concussa est; nulli vicinorum datum est has opes evertere. Ipsa sibi manus conscivit Bohemia; non tulit seipsam gens elevata nimis. Nam cum pax divitias, divitiae superbiam, luxumque peperissent, saevire fortuna, ac miscere omnia coepit. Sub Venceslao, Caroli filio, rege vinoso, & admodum deside, paulo ante Constantiense concilium, surrexerunt in Bohemia viri pestiferi pseudoprophetae, qui non ferentes otium regni, & florentem rerum statum, summo studio conati sunt apostolicam sedem, & omne sacerdotium in commune odium trahere. Neque fefellit eos opinio; nam magistri prurientibus auribus facti, cum sacerdotes inique possidere divitias praedicassent, tum crimen illud eis impinxerunt, quia necessariam communionem calicis plebi subtraherent. Populi vero simplices & avari suapte, natura sub spe magni lucri, & varia religione decepti, a nitore nostrae religionis & puritate fidei facile recesserunt. Divinum enim Eucharistiae sacramentum sub specie panis & vini petentes, quum non obtinerent, in Christos Domini manus injecere; alios occiderunt, alios mutilarunt, alios in exilium expulerunt, bona ecclesiarum invaserunt, divinas aedes incenderunt; nobilitatem quoque crudeliter persequuti, quae facta eorum abhorrere videbant; omne regnum caedibus, rapinis atque incendiis oppleverunt. Princeps autem hujus haeresis, ac seductor Bohemici populi habitus est Johannes Hus, qui Johannis Anser appellari potest, obscuro loco natus, lingua promptus, & astu praeditus praeter sophismata quaedam dialectica, & lecturam biblicam, ac Joannis Wicleff Anglici damnata volumina, paucis imbutus literis; quem qui secuti sunt, Hussitarum nomen acceperunt. Et in Bohemia quidem civitates & villae universae (paucas adimo) in errorem Hussitarum prolapsae sunt. Nobilitas fere omnis in fide permansit. Contra in Moravia actum est; errantibus nobilibus, plebes in sanitate religionis perstiterunt. Sed horum conditio dura, & asperrima fuit, quorum multi pro legibus paternis & integritate religionis periere, inter Christianos facti

Hus enim Germanis est Anser

Digitized by Google

facti martyres, cum haereticorum quotidianis urgerentur insultibus. Interea magna Synodus apud Constantiam Alamannorum urbem congregata est, ad quam vocati Johannes Hus, de quo paulo ante mentionem fecimus, & Hieronymus ejus discipulus, vir facundus, & doctus, sed spiritu perversitatis imbutus, dum sua (*e*) pertinaciter ingerere, quam aliena humiliter discere volunt, igne cremati sunt. Cinis eorum clanculum raptus, & in Bohemiam vectus (*f*) *juxta* martyrum reliquias venerationem obtinuit (1). Posthaec arma cum Bohemis tentata; saepe Sigismundus imperator, saepe alii Teutoniae principes adversus Bohemos duxere procinctum. Cardinales quoque, ex hac curia missi, (2) numerosas militum copias in Bohemiam duxere. Sed qualis reditus fuerit, pudet dicere. Non tam foeda Xersis e Graecia refertur fuga, quam turpes & ignominiosas nostrorum exercituum ex Bohemia regressiones vidimus. Fugerunt nostri nemine persequente, & repleta bonis omnibus castra, quos (*g*) *nunquam* viderant, hostibus reliquerunt. Et quamvis aliquando Bohemos quoque belli fortuna deluserit; nunquam tamen tanta clades illata Bohemis est, (*h*) *quam* recepta major ab his fuerit. Intercessit deinde Basiliense concilium. Huc legati Bohemorum accersuntur, oblata facultate quaecumque voluerunt & dicendi & disputandi; nam querimonia eorum erat, quod inauditi per Costantiense concilium damnati fuissent. Quatuor tunc notissimi articuli per Bohemos recipiuntur, quos regni nomine tueri volunt. *De praedicatione verbi Dei*, quam nulli prohibendam arbitrabantur. *De peccatis publicis*, quae nusquam permittenda quamcumque ob causam existimabant. *De dominio civili cleri*, quod interdictum asserebant. *De communione calicis*, quam laicis etiam necessariam, & de praecepto Domini judicabant. Disputatum est super his quinquaginta diebus; sed noluerunt vinci Bohemi, cum vincerentur; haereticis enim, etsi mente confundantur, cum tamen verbis res agitur, verba non desunt. Synodus verò, cum nec armis vinci, nec disputationibus trahi posse Bohemos animadverteret, ad tertiam, quae restabat, viam confugit. Tractatum quasi

Hieronymus de Praga fuit notus

(*e*) Sua tueri pertinaciter atque ingerere

(*f*) intra

(*g*) nusquam

(*h*) quin

Vide Labbei Acta Conc. Basil.

Digitized by Google

inter amicos eſt. Sed cum res Baſileae concludi non poſſet, miſſi legati ſunt in Bohemiam viri ſapientes, et qui divinae, atque humanae legis peritiores habebantur, qui petitionibus Bohemorum ad verum diſcuſſis, nonnulla cum his capitula confecerunt, quae compactata dicuntur. Horum vigore abdicant ab ſeſe Bohemi quoſvis articulos erroneos, illo demto, qui de communione duplici nuncupatur. Neque enim ſuper hoc legati & Bohemi convenire potuerunt, cum illi ex praecepto Salvatoris communionem calicis deberi populo dicerent; noſtri negarent. Conventum tamen inter eos eſt, hanc diſceptationem ad concilii deciſionem remitti, Bohemos autem in omnibus univerſalis eccleſiae ritum reſumere debere, excepta ſacramenti communione, quam ſub duplici ſpecie his qui uſum (*i*) *rationis* haberent ex auctoritate univerſalis eccleſiae concedi voluerunt. Intervenerunt & aliae pleraeque pactiones, quarum meminiſſe non eſt modo neceſſum. Habuit ſancta Synodus *ratum* (*l*) quod legati fecere; nam quamvis Teutones adverſari viderentur, aliis nationibus non placuit infinitas pene animas perditum iri communione negata. Conſtabat enim, paucis exceptis, qui mentis inflatione contra Patrum inſtituta ſurrexerant, Bohemicum populum errare ſeductum. Declaravit deinde synodus communionem calicis, quoad populares, non cadere ſub praecepto Domini, nec licere laicis illam ſibi auctoritate propria uſurpare. Miſitque Philibertum (?) Nortimanicae Conſtantiae pontificem, eruditum & integrum virum, qui legatione inter Bohemos utens (favente Sigyſmundo Caeſare, qui per hunc modum & Pragam, & regnum recuperavit) in uſum compactata redegit. Intervenerunt & aliae inter regni communitatem & Sigiſmundum pactiones, quibus eccleſia Pragenſis Johanni de Rokezana promiſſa. Poſthaec exortae ſunt notiſſimae illae & omni eccleſiae graves inter ſummum pontificem Eugenium, & patres, qui Baſileae remanſerant contentiones. Sigiſmundus viam univerſae carnis ingreſſus eſt; Bohemi de rege diſcordes, alii Albertum (*m*) *Sigiſmundi genere* vocaverunt, alii ad Polonos defecere. Et quamvis ſuperior Albertus regnum obti-

(*i*) uſum haberent

(*l*) gratum

(*m*) Sigiſmundi generum

Digitized by Google

nere videretur, nunquam tamen, vel *Tapsto*(*n*) (4), vel Thaboritae in ejus potestatem venere. Alberto vita functo, regnum confusius fuit, cum filii ejus Ladislai pupillarem aetatem universi contemnerent. Itaque sicuti res temporales, ita & ecclesiasticae neglectae sunt, & in priores errores itum. Petita est tamen aliquotiens & ab Eugenio, & a Nicolao, suis antecessoribus, compactatorum confirmatio; sed cum Rokezana simul in archiepiscopum efflagitaretur, anima nigra, & pestilens; abhorruit apostolica sedes alterum cum altero simul admittere. Et licet Johannes S. Angeli cardinalis, natione Hispanus, illuminatae mentis, & animi rectissimi pater, regni caput Pragam petierit, salutem gentis, & unionem quaerens; Nicolaus autem S. Petri ejusdem ordinis praelatus, homo Alamannus, & non minus doctrina, quam vitae puritate memorabilis, ad metas regni eadem ipsa de causa pervenerit, nunquam tamen de concordia verbum audire Bohemi voluerunt, nisi pontifex Rokezana promitteretur. Ladislaus exinde cum adolevisset, in Bohemiam veniens, quamvis honore summo, & incredibili populorum laetitia exciperetur, coronamque regni faventibus cunctorum animis assequeretur, usum tamen Communionis & Rochezanae spem pontificatus auferre non potuit. Sed adnitente Gubernatore suo, facta est omnis Bohemia quasi unus populus, permisso cuique ritu suo, & poena constituta adversus eum qui super haeresi partem alteram criminaretur. Atque in hunc modum lupus cum agno, & pardus cum catulo leonis accumbit. Sed dicunt pax, & non est vera pax, quando cor eorum non est cum Deo rectum, qui suas observantias absque sedis apostolicae permissione sequuntur. Atque ita regnum illud in hanc usque diem suis moribus utens, & peregrinis opinionibus consentiens, tantum a veritate remotum, quantum ab ecclesia Romana sequestratum remanst. Hoc aegre habet imperatorem, & regem; neque enim terra Bohemica est, quae contemnenda sit, neque populus ille est quem perdere debeamus. Eapropter cum venisset hoc anno ad imperatorem Georgius Poggiebratius, regni Bohemiae gubernator, vir alti animi

(*n*) Tapsco

Georgio Poggiebratio

mi & ingenii, atque consilii altioris, voluit imperator cum eo me verba facere, ut intelligerem hominis mentem, si forte aliquid esset quod spem porrigeret unionis; nam hic unus est, quem Bohemi cuncti respiciunt. Parui jussioni; alloquutus sum hominem & semel & iterum.
(o) Corvino Interpres inter nos fuit Procopius (5) de Lapide (o) *Cervino*, regni Cancellarius, homo fidelis animae, & amoenii ingenii. Complurima inter nos dicta, & ruminata fuere; quae non est modo referendi locus. Gubernatoris haec demum sententia fuit. Cupiunt Bohemi, quae cum Basiliensi concilio pacta percusserunt, apostolicae sedis munimine roborari. Quod si hoc alienum censeatur, *ex-*
(p) expetunt *pectant* (p) auctoritate Romanae sedis, quae Synodus concesserat, indulgeri, mandarique fidelium universitati, ne quis Bohemicae genti maledicat, aut eam devitet quasi errantem. Volunt ex decem, aut duodecim viris, quos nominabunt, ecclesiae Pragensi unum praefici. Inter nominandos autem Rokezanam non praeteribunt. Quod si certi reddantur, haec non frustra requiri, mittent e ve-
(q) tuae stigio praestantes oratores, qui obedientiam *suae* (q) sanctitati afferant, personas ad Pragensem ecclesiam nominent, & legatum petant, qui regnum ingressurus archiepiscopum consecret, & deformata reformet. Haec tan-
(r) exculperet tum *exhaurire* (r) summatim ex Gubernatore potui. Haec eadem gubernator ipse ante diem Frankfordiae dictam per oratores regni ad Caesarem missos suopte ingenio mihi denunciaverat, petens ut ea sanctae memoriae Nicolao papae rescriberem. Sed recusavi tantum negotium literis agitare, quae nec interrogatae respondent, nec confutatae repugnant. At cum statuissem Frankfordiam
(s) Francfordia (s) reversus domum petere, decreveram coram eadem apostolicae pietati proponere. Quod cum modo datum sit, plenius de his agam.

Intellexisti, beatissime praesul, quae pestis ab ecclesia nostra regnum Bohemiae separaverit; & quid illa gens cupiat ad unionem reversura, tenes. Nunc diligenter examinandum est, an concedenda sint quae Bohemi pe-
(t) deest tunt. Quod si requiras opinionem meam, dicam (t) *&* *vere dicam*, me non esse tanti acuminis, ut de rebus tam altis,

altis, tamque profundis opinari praesumam. Namque si summa cardinalium ingenia in hoc negotio titubant; quid agam ego stupidae mentis asellus? Sed quoniam rem hanc ad te detuli jussu principum, non debeo, sicut mihi videtur, indiscusso negotio quasi mutus, atque elinguis abire. Dicam ergo non quod ego sentio; (sum enim ipse admodum incertus) sed quod magnos viros sentire didici, quos in hunc modum ratiocinatos memini. Si quaerimus, inquiunt illi, an Bohemis remittenda sit, quam sitiunt communicandi libertas, pensitandum est an alio modo magis expedienti ad nos trahi Bohemia possit. Si potest, non est indulgendum quod petitur. At si alio modo reduci Bohemi nequeunt, rursus aliter ratiocinantur: Aut potest admitti postulatio Bohemorum, salva fide majorum; aut non potest. Si violatur fides, neganda petitio est. Sin fides integra perseverat, iterum considerandum est quae commoda *secum* (u), quaeve incommoda concessio, & quae rursum negatio secum afferat. Si negatio utilior est, negetur; si praestat concedere, concedatur. Et nos igitur hunc sequamur ordinem; si tamen audire vacat quae nos ex prudentibus viris mutuati sumus. At quoniam audire paratam tuam pietatem intueor, illud ante omnia discutiendum assumo, an lucrifacere Bohemos commodiori via possimus, quam communionem calicis indulgendo. Et sunt octo viae, quae praeferuntur. Nam primi ferro certandum potius arbitrantur; quoniam si coacto exercitu magnis viribus contra Bohemos eatur, parta victoria supplices ante pedes nostros Hussitae cadent, & quas dabimus leges, quos praescribemus ritus accipient. Principes haeresis aut igne comburentur, aut gladio ferientur; neque posthac tam facile reperientur, qui contra sedem apostolicam cornua erigant; resecanda est enim ferro quaecumque adversus ecclesiam Dei sese attollit impietas, cum majores nostros hoc ipsum factitasse non sit obscurum. Secundi existimant, si vocentur in disputationem magistri Bohemorum cum nostris, errores eorum facile posse convinci, ita ut ad sanitatem reversi, qui populum seducunt, contraria prioribus de communione praedicent. Nam &
Ori-

(u) deest

Origenis, & Basilii, & aliquorum sanctorum patrum disputationibus diversas haereses evulsas novimus. Tertii, praedicatores in Bohemiam mittendos censent, non solum eloquentia, sed vitae sanctimonia & divinae legis peritia memorabiles, qui communionis usurpationem condemnantes, in quanto periculo Bohemi sint, vivis edoceant rationibus. Namque si colentes idola gentes ad praedicationem apostolorum conversae sunt, & Christo manus dederunt, quis dubitet Bohemiam quoque bonis praedicatoribus auditis ad nostrum dogma converti? Quarti opinantur, si taceat catholica ecclesia, neque concordiam Bohemorum ultra perquirat, recogniturus illos dum se contemni viderint, justitiam suam; venturosque supplices, ac sine pacto, sine conditione Romanae ecclesiae parituros. Neque enim dulce illis est ab omni Christianissimo seorsum vivere. Quinti putant, innovandas censuras esse, mandandumque vicinis, ne quod habeant cum Bohemis commercium; nam vitati per circuitum resipiscere compellentur, qui & vino & sale, & aromatibus utuntur importatis. Sextis persuasum est, si prohibeatur presbyterorum consecratio qui à sacris illorum sunt, communionem calicis brevi desituram, deficientibus, qui eam ministrent, presbyteris. Septimi consulunt, dandam esse pecuniam his, qui populum ducunt; nihil est enim quod in auribus eorum argento aut auro dulcius sonet. Octavi suadent, tractatus iterum atque iterum alios cum Bohemis habendos, donec sequestrato communionis articulo, melioribus pactis unionem amplectantur. Quaelibet autem harum viarum, ut istis videtur, ad reducendos Bohemos & honestior est ecclesiae, & christianae plebi salubrior, quam communionis, ut petitur, indultum.

At qui periti rerum sunt, & quos ego saepenumero de hoc ipso negotio conferentes audivi, neque salubres hujuscemodi vias, neque idoneas, quae Bohemos acquirant Christo, dijudicant. Et de bello quidem ita loquuntur: Pugnatum est cum Bohemis frequenter, (6) numerosi adversus eos exercitus iere; legati apostolici, duces, reges, imperatores in castris nostris militavere.

Omnis

Digitized by Google

Omnis Alamanniae virtus, omne vicinarum gentium robur in Bohemos prodiit. Sed quis belli exitus? quis pugnae fructus? Pudet referre gentis nostrae dedecus. Erubesco dicere numerosas saepe nostrorum militum copias parva Bohemorum manu fugatas. Ad Rhenum, ad Danubium, ad mare Baltheum, ad Hungariam Hussitarum victores exercitus percurrerunt. Adversus hostem qui nos caedere consuevit, victoriam praesumere non solemus. Victos timor, victores audacia comitatur. Temerarii est, non cauti ducis victorem hostem saepius provocare. Quamvis caeca nube futurum occulit Deus; venturi tamen rationem, quae praeterierunt tempora non parvam exhibent. Adsit autem spes pulchra vincendi; nil tamen certum erit; dubius est belli eventus. Modicus error exercitus maximam cladem parere potest. Fortunam, quae praeliorum rectrix, & moderatrix habetur, non sine causa caecam dixere poëtae. Stultum est sub caeco contendere judice. Sed dicamus quod verissimum est, fortunam nihil esse; bellorum exitus ex Deo pendere. Cur hodie victoriam magis quampridem sperare licet? Neque meliores sumus, neque prophetam habemus, qui victoriae, quasi Dei nuncius & promissor, adsit. Credamus tamen ruituros Marte nostro Bohemos. Siccine sanctum atque decorum putabimus converti Bohemiam? Prisca ecclesia non ferro, aut igne, sed amicis verbis & suavibus hortationibus exorbitantes homines in semitam retrahebat, sanguinem semper abhorrens. Nimius cruor tinget agros, antequam Bohemia ferro subigatur. Cadent illi, cadent nostri, infinitas animas ad inferos emittemus, priusquam victos Bohemi se esse fateantur. Carum est nimis quidquid humano sanguine comparatur. Non est insuper accepta Deo voluntas, quae bello coacta, Crucifixum adorat. Compulsi Bohemi, qui bello superuerunt, non voluntarii ritum nostrum accipient; metu non animo fidei nostrae consentient, intentique semper erunt quo pacto se subtrahant servituti. Metus enim, ut oratoris utamur verbis, non est diuturnus magister officii. Deus autem noster spontanea servitia, non violenta requirit; corda, non opera respicit. Non est igitur via belli, quae res

Bohemicas utiliter componere possit. Minus secunda disputationis, quae cum Joanne, ac Hieronymo in Constantiensi concilio & in Basiliensi cum Rochezana, & aliis plerisque frustra tentata est. Nisi judex adsit, quem partes ambae suscipiant, nunquam disputando vincas haereticos. At illi judicem solum Deum respiciunt, cujus definitionem sine miraculo (x) reperimus. Testis est Ariana perfidia, quae multis reprobata conciliis, nunquam caruit defensoribus. Nestoriana quoque & Eutychetis, Dioscorique vesania saepius condemnata, nunquam tamen deserta est: habentque Nestoriani adhuc (y) inter Sarracenos monasteria. Nam Mahumetus cum animadvertisset horum temerariam sectam suae insaniae proximam, Nestorianis inter suos pacem esse mandavit. Hussitae vero, si quaeras ab eis disputationis campum, nihil est quod magis affectare se dicant; garrula est enim gens & disputationis avida. Ac si roges stante controversia quem sequi judicem velint; neque Romanum pontificem, neque generale concilium, neque mortalium quempiam acceptabunt. Solius novi, & veteris testamenti sese definitioni submittent; cumque ad id ventum fuerit, ut sacrarum literarum testimonio sit utendum, nullas doctorum nostrorum interpretationes admittent. Habent & ipsi suos sensus, quibus inhaerent. Inter sensum vero & sensum, interpretationem & interpretationem solius Dei arbitrium afferunt audiendum; atque ita vim omnem disputationis eludunt. Cum verba disputando faciunt, indoctae plebis praesentiam requirunt, brachia in diversas partes extendunt, manus complodunt; nunc hoc, nunc illud digitis ostendunt; cervices erigunt, oculos in partes varias contorquent, inspicientes an circumstantes sententiolas & argutiolas suas demirentur, sublatisque vocibus ignavi populi plausum extorquere conantur; & quasi pulcherrime ac suavissime perorent, ipsi suum sonum patulis auribus auscultant. Origenes autem, & reliqui, errores qui disputando dextruxere, apud eos loquuti sunt, qui doceri cupiebant. Praeceptores vero Bohemorum nunquam inducas ut discipuli formam induant. Dulcissimum his est magistri nomen, & vocari in turbis Rabbi,

(x) Non

(y) Adhuc hodie

Sparsa sunt in Chaldaea & Mesopotamia.

Rabbi, & cathedram pestilentiae regere. Nihil turpius quam discere putant. Non est igitur, quod disputatio ad salutem Bohemiae conferat, cum pertinaces magistros teneant, plebes autem suis tantum praeceptoribus credant.

De praedicatione verò, quae tertio loco ponitur idonea ad convertendum Bohemos via, non est cur multa dicamus; nam & ipsa incassum tentáta est. Praedicaverunt saepe nostri & in Bohemia & in Moravia. Praedicaverunt & adversarii. Quae nostri confirmaverunt, illi rursus impugnavernnt. Imbutae mentes malis erroribus non facile sententiam deserunt; credunt suis doctoribus, alienos quasi ex invidia loquentes respuunt. Sed ait fortasse quispiam, praedicatorum culpa id accidisse, ne Bohemi nostris crederent, quia vel facundia defuit, vel doctrina, vel munditia vitae. Nihil horum nostris defuit. Omitto reliquos: Johannes de Capistrano, (7) meo judicio, vir Dei plenus, majorem Bohemiae & Moraviae partem praedicando lustravit; non tamen haeresim potuit extirparè, quamvis nonnulli ejus praedicationi credentes, Hussitarum stultitiae renunciaverint, quos pro multitudine desipientium nullius esse numeri dicere possumus. Nihil tamen habuerunt Bohemi quod Johanni possent obiicere, homini eloquenti, & hac doctrina, quam pontificalem utilioremque dicimus, inter omnes eminenti; qui mundi pompas abjecit, carnem domuit, avaritiam penitus conculcavit, solius Christi & apostolorum vestigia sequens. Nimis diu praedicare oportebit, antequam Bohemia nobis consentiat. Impar est nostri, & apostolorum temporis conditio; licet enim difficile fuerit Daemones ostendere, qui pro diis colebantur; quia tamen vitam suillam sine doctrinae fundamento Gentiles ducebant, apostoli autem Domini, nitidos mores summa cum ratione praedicabant, naturale quodammodo fuit, qui erant homines ad se reverti, & relicta bestiali consuetudine, modestiam & honestatem humano generi convenientem, sicut evangelium Christi docebat, induere. Inter nos autem & Bohemos non est de moribus contentio. Quae nos vitia fugimus, illi saltem vituperant. De

Digitized by Google

sensu Evangelii disceptatio est, quod illi non minus intelligi a seipsis, quam a nobis existimant. Difficillima profecto, & inextricabilis contentio, ubi non est cui partes credant arbitrium boni viri. Nec apostoli sola praedicatione mundum illuminassent, nisi signa intercessissent, quae divinitus fieri populi crediderunt. At cum caecis visum, leprosis munditiam, mortuis vitam in nomine Jesu Apostoli restituerunt, multitudinis fidem facile consequebantur. Hodie autem non est ita nobiscum Domini manus, ut mirabilia per nos operari velit. Imo vero non sunt opera nostra, quae signa mereantur ostendere. Fuit tamen de Johanne Capistrano, suisque miraculis ingens rumor, de quibus nihil me attinet disputare. Ego veri periculum in alios transferam, qui novarum rerum curiosiores habentur. Illud notissimum est, quia post praedicationem Johannis remansit Bohemia eadem quae prius fuerat. Neque qui sapiunt, verisimile ducunt, aevo nostro cujuspiam praedicatione Bohemiae ad nos redire populos.

De silentio verò, quod quarto loco commendatum est, haec sententia sapientum est. Si tacemus, nihilque de Bohemis agitur, minime illi se spretos, sed nos desperasse judicabunt. Confortabunt seipsos, & gloriabuntur quasi victores; praedicatores eorum, sicuti eis mos est, diebus singulis plebes instruent, & pestifero lacte nutrientes populum laetabundi sese jactabunt, quasi jam silentium de suis erroribus factum sit. Ridiculum est si tum putes hostem victum, cum ille pro sui voluntate quiescit. Nihil est quod Rochezana magis cupiat, quam ut sinamus Bohemos suis legibus vivere, (z) neque ritum impediamus eorum; sic enim gloriosus ille in pingui populo pacem nactus, inter suas mulierculas sermocinabit securus. Quocumque voluerit plebes impellet; nec exagitatas diversis tractatibus populi mentes moliri adversus se quicquam timebit. Rem divinam pro suo arbitrio faciet; in altari ministrabit ut agnus, in ambone praedicabit ut Leo; in mensa vorabit ut Lupus; fietque Bohemia altera Bossna, (aa) quam cum invasissent olim Manichaei, qui nefanda de Christo sentientes, primatum eccle-

(z) Vincere

(aa) Bossina

ecclesiae Romanae inficiabantur, conati sunt majores nostri armis extinguere surgentem haeresim; quod cum parum succederet, quieverunt. At silentio facto Bossnenses (bb) pro suis desideriis ambulare siverunt. Sed quid pro fuit silentium? Quid sequutum est? obsecro. Quis audivit eos de reditu cogitasse? Fortificati sunt nobis tacentibus, & aucti numero, jamque arcem erexerunt, ad quam omnes confugiunt, qui sedis apostolicae mucronem timent; & quod pessimum est, Turcorum unitate laetantur. Nec secus Bohemi facient, nisi dum tempus est, remedia perquirimus. Adde, quod medio tempore, dum silemus, omnes qui moriuntur, praeda sunt Diaboli, culpaque nostra spiritibus infinitis coelum privatur, quorum voces ante tribunal Domini assidue clamant, apostolicae sedis negligentiam accusantes. Non est facile, sanctissime pontifex, tantae jacturae rationem reddere. Gravis est tua conditio, quae totius orbis curam *gessit* (cc). Speculatoris officio fungeris; nisi venientem gladium indicas, quae pereunt animarum Ezechielis testimonio de tuis manibus sanguis exquiritur. Plus dico: nisi saluti cujusvis pro tua potestate consulis, tam es in culpa, quam si pereuntes ipse perdas. Cum tuo damno Bohemi cadent, cum tuo lucro stabunt. Abiicienda est igitur horum consultatio, quibus silentium placet, neque Deo grata, neque apud homines honorificata. Sed quid illud existimabimus, quod quinto loco de *censuris* (dd) innovandis contra Bohemos suasum est? Ridiculum consilium, ne dicam insulsum! Facile dicimus: anathematiza, excommunica, percute, caede, subtrahe sacramenta, interdicito loca Sed quis est praesto parere? Precaria est obedientia nostra; quantum quisque vult, tantum mandatis nostris obtemperat. Regna olim, & maximi principatus censuras ec lesiae formidabant; nunc vel minimae civitates summi praesulis mandata contemnunt. Mortua est in pectore nostro fides, caritas omnis abest, fex hominum fumus, impii, scelerati, in quos fines saeculorum devenerunt. Possem commemorare multa exempla civitatum Italiae, quae censuras ecclesiasticas, quasi deliramenta putarunt. Sed malo Germanica facta referre, quando & Bohemi Germani

Vide AEneae Silvii Europam cap. XVI.

(bb) Bossinenses

(cc) gerit

(dd) Processibus

mani sunt, de quibus agimus. Quid profuit excommunicasse Trajectenses (8), qui septem annis adversus ecclesiam militantes, quem cupiebant, episcopum obtinuere? Quid Monasterienses? quod nunc apud illos excommunicatio pondus habet? Quid Prutenos? Nunquid adversus censuras ecclesiasticas suis dominis non rebellarunt? Quid Austriales? Quanti apud eos momenti Romani pontificis mandata fuerunt, qui jussi Caesarem revereri, persequuti sunt? Non terret quempiam spiritualis mucro, nisi materiali juvetur gladio. Non timentur verba, nisi praesto adsint verbera. Jacturam futuri regni pauci ponderant, praesentia cuncti respiciunt. Non insulse scripsit ille:

De Monasteriensibus vide mit... ad responsum secundum datum Hungaris.

Vide historiam Dietae Ratisponensis in appendice hujus collectionis.

Esse aliquos manes, & subterranea regna,
Nec pueri credunt, nisi qui nondum aere lavantur.

Sed quid vagamur? Tentata sunt & in Bohemos ecclesiastica tela, maledicti, damnati, excommunicati, in manus Sathanae dati fuerunt. Et quod formidabilissimum credebatur, armis simul temporalibus & spiritualibus sagittis impugnata est saepius audacia Bohemorum, expugnata nunquam. Et iterum ad excommunicationem recurremus? sed non timuerunt Bohemi censuras armatas, & nunc formidabunt inermes? Irridebitur Romana ecclesia, & quasi ludibrio habebitur, si rursus contra Bohemos sententiam fulminet; neque enim vicini parebunt, qui sciunt bellum necessarium futurum quamprimum, si Bohemos quasi praecisos ab ecclesia devitaverint (ee). Stant adhuc ante oculos rapinae, incendia, caedes Bohemici belli, nec sine terrore tantorum malorum meminerunt: nacti tandem pacem, & otii dulcedinem experti, quamvis occasionem oderunt, quae bello fomitem ministrare possit. Scimus praeterea Bohemos, qui sunt Hussitarum infecti lepra, alienos ab ecclesia esse; excommunicatus est enim omnis haereticus; non tamen vitantur Hussitae, cum veniunt ad nostros. Ingrediuntur pacificè civitates nostras, emunt, vendunt, pro libito negotiantur, visitant ecclesias, intersunt divinis officiis, foedera cum nostris principibus percutiunt, matrimonia contra-

(ee) Ad. Rec. sect. a ud ecs praeteritarum memoria pugnarū. Stant &c.

trahunt; inter Hussitas, & nostros discrimen nullum. Et nos putabimus jam novis censuris utendum? Vana est, & prorsus inepta eorum cogitatio, qui censuras ecclesiae aut Bohemos timere, aut circumjacentes populos tenere censent.

Ad sextos illos nunc transeundum est, qui presbyteros Hussitarum consecrandos negant; sic enim, ut illis videtur, deficientibus qui calicem ministrent, sacerdotibus, & ipsa duplex communio deficiet. Bella sane cogitatio, bella inventio, ne dicam, deliratio! Et quis erit, obsecro, qui mentes hominum videat, & cujus sit hic, aut ille sectae cognoscat? Hominum nullus est versutius animal, nullum magis fallax, aliud in ore, aliud in corde gerit. Clausum est cor hominis homini, & inscrutabile, Deo soli apertum; mille in eo latebrae, mille receptacula; simulare ac dissimulare novit. Deo similes nos esse oportebit, si dogmatis Hussitarum qui sequaces habeantur nosse voluerimus. Johannes Gurcensis episcopus anno ante hunc quinto, decem presbyteros ex Bohemia consecravit, qui se fideles affirmaverunt. At ex his septem comperti sunt, qui postmodum ad Rochezanam defecerunt. Dicat hic fortasse quispiam, Pragense capitulum, quod apud Pilznam moram trahit, in fide solidum esse, nullumque consecrari debere, nisi cum literis capituli. Sed neque capitulum Deus est, qui mentes hominum introspiciat. Falsificantur deinde literae, atque sigilla, & quod una via negatur, altera impetratur. Sunt praeterea nonnulli episcopi, qui pecuniae causa clericos undecumque venientes consecrant, neque Deum verentes, neque canones. Polonia quoque, si caetera desint, satis presbyterorum Bohemiae subministrabit. Subnectam heic unum, quamvis turpe, ac foedissimum, ad rem tamen, quam tractamus accommodatum, exemplum. Polonus quidam in Bohemia plures annos rurali parochiae quasi sacerdos praefuit, atque pro subditorum desiderio communionem praebuit; huic concubina fuit, quae peccato demum renuncians, misceri ultra Polono recusavit. Interrogata cur sese redderet alienam? quia damnatae sunt, inquit, Sacerdotum nuptiae; poenitet me tui concubi-

cubi,

cubitus, neque posthac in oscula presbyteri aut amplexus veniam. Tum Polonus, tace, inquit, foemina, nihil est cur me horreas, qui neque sum presbyter, neque sacris initiatus ullis. Hoc mulier magis abominata facinus: abi, inquit, in malam crucem, qui non sacer sacra ministras. Et a Polono digressa profanatorem divini sacramenti ad contribulos detulit; illi commoti tam insueto, atque inaudito scelere, Polonum repente in crucem sustulissent, nisi furore cognito veterator ille salutem pedibus quaesivisset. Similes huic forsitan multos in Bohemia reperias. Illud exploratum est, quia venientes ex Polonia presbyteri, quemadmodum plebes volunt, sacramenta ministrant; nam domi pauperes, victus causa foris nihil abhorrent. Ego quidem cum essem in Bohemia, offendi nonnullos ecclesiarum rectores natione Polonos, qui rogati cur prohibitam ab ecclesia communionem exercerent, ajebant, quia non possent alio modo vivere, cum fodere non valerent, mendicare autem erubescerent. Itaque novi Bohemiam non posse carere presbyteris, quando semper inveniuntur, qui fide malunt, quam plebe carere. De pecunia vero, quam septimi Bohemos inter erogandam putant, quid aliud existimem, nisi quia male tentatur pecunia, quod virtute effici debet. Sed judicemus aurum dandum; ubi tantus thesaurus inveniatur, qui Bohemorum voracitatem expleat, insatiabile genus hominum? Quanto plus dederis, tanto amplius requiret. Non Pactolus, non omnis arena Tagi, non littus Arabicum tantum aurum administrabit, quantum absumet Bohemia; unum si dones, mille donare oportebit; neque semel tantum, sed quotannis stipendia requirent. Ubi cessaveris, mox ad priora redibunt. Aut tributariam regni Bohemiae sedem apostolicam perpetuo facies, aut emtam reditionem brevi tenebis. Octava & ultima est illorum opinio, qui novos tractatus cum Bohemis existimant inchoandos, si forte inveniri melior conditio possit. Sed fluminis cursum, qui suapte natura deorsum est, facilius sursum revolvas, quam Bohemis communionem calicis subtrahas. Duo concilia generalia, Constantiense, & Basiliense, cum hoc summo studio quaererent,

in

in vanum laboraverunt. Nicolaus S. Petri & Johannes S. Angeli cardinales, quorum ante meminimus, complures ecclesiastici, & saeculares principes saepe Bohemos ad unionem reducere conati, nullam unquam concordiam invenire potuerunt, nisi communione calicis indulta. Quid ergo totiens frustra instabimus? Cur totiens denegata petemus? Stultè quaeras, quod invenire non speres. Atque ita ex his octo, quas retulimus, opinionibus, nulla est ad reductionem Bohemorum satis idonea, neque praeferenda tractatui, quem cum Gubernatore habitum recensuimus. Utrum autem tractatum ipsum admittere, atque amplecti conveniat, sequenti oratione monstrabimus, si modo sufficientia fuerint, quae nos ex prudentibus audita viris explicabimus. *Nicolaus Cu. sanus, Joannes Carvajal*

Diximus supra negandam esse Bohemorum petitionem, si ex concessione communionis violatur integritas fidei nostrae. Non est heic l ppis oculis, aut conniventibus incedendum. Non est Christianus qui fidei praejudicium infert. Salus nostra in puritate fidei consistit, nihil ex ea mutandum, nihil detrahendum est. Mori satius est quam divinae legi contraire. Custodiendum est summa cum diligentia Salvatoris nostri testamentum. Quid ergo? Petimusne quidquam ordinationi divinae, & statuto Christi adversum? Stultus est, & amens, qui ex tuo solio, beatissime pater, injustum, aut impium aliquid optat. Hortus conclusus est tua sedes, & fons signatus, ex quo nihil potest manare non purum. Decocta sunt, & admodum digesta tui pectoris decreta. Obrizum aurum hinc sumitur & argentum septies defoecatum. Salutaria sunt, & nihil habent immundum, quae abs te prodeunt, oracula. Age igitur; exigunt ne Bohemi quod tuae fidei sit alienum, aut apostolicae traditioni contrarium? Minime quidem. Neque enim divinissimum Eucharistiae Sacramentum sub specie panis & vini sumentes divinas sanctiones impugnant, aut fidei adversatur orthodoxae si modo ex devotione, aut indulto ecclesiae id agunt, sequestrata praecepti necessitate. Quod si crimen id fuisset haereticae labis, nunquam patres illi & doctissimi & zelo fidei succensi, qui ex omni christiani-

tate in Basiliensi concilio convenere, hujuscemodi communionem indulsissent. Constat autem ex auctoritate illius concilii sub duplici specie concessam communionem fuisse. Non est igitur adversa fidei postulatio; neque enim aut inventor ipse tanti sacramenti Christus Dominus, aut ejus discipuli communionem hanc prohibuerunt. Imo vero ritus ille, & nascentis & proficientis ecclesiae fuit, ut de calice non solum viri sed mulieres etiam biberent. Quod in hanc usque diem Orientalis ecclesia servat; neque tamen propterea de violata fide coarguitur. Latini vero nitidius Christi sacramenta tractantes, & intelligentes, quantus honor quanta reverentia Salvatoris nostri altitonantis & summi Dei Filii corpori & sanguini debeatur, & cum quanto timore divinissima illa caro & supercoelestis sanguis tractari conveniat, paulatim ex communione calicis populum subtraxere, veriti, ne sacratissimus Sanguis Domini in turbas participatus, & incautius aliquando tractatus effunderetur in terram. Atque ita successu temporis introductum est, ne quis apud Latinos laicus calicem Domini postulare praesumeret. Scit enim Latina ecclesia, sub una specie confecto sacramento, Christum totum & integrum contineri, neque opus esse ad salutem duplici specie cibari laicos. Sed quis auctor fuerit hujus consuetudinis, & quando introducta sit prohibitio calicis in populum, neque legi hactenus, neque audivi. Illud verò manifestum est, quod ante Constantiense concilium, neque Romani pontifices, neque universales synodi de hac prohibitione quidquam sanxisse reperiuntur. Veterum autem extant non pauca decreta, quae communionem calicis mandare videntur. In Constantia primum canon promulgatus est, eos damnans, qui auctoritate propria a consuetudine patrum recedentes, communicandum sub duplici specie censent. In Basilea verò declaratum, ac sancitum est, communionem calicis quoad laicos sub praecepto necessitatis minimè cadere; qui secus sapiant, errare; neque tolerandos esse qui absque permissione ecclesiae ea communione utantur. At Bohemi etsi aliquando praedicaverint, sine communione calicis salvari neminem; postea tamen hoc er-

rore

rore dimisso, seu fictè, seu verè (neque enim corda hominum possumus introspicere) putantes se aliquid gratiae sub calice recipere, hanc communionem ex auctoritate Romanae sedis expostulant. Quae res, licet magna est, & rustice magis quam doctè petitur, nihil tamen ab evangelica lege, aut apostolica traditione dissentit. Non est igitur, cur timore fidei dissolvere tractatum oporteat. Sed mali fortasse plus quam boni pariet indulta Bohemiae communio. Quod si ita fuerit, abnuenda sunt postulata. Intueamur igitur quid mali, quidve boni vel concessio communionis, vel negatio secum importet, eamque partem amplectamur, quae plus commodi, minus incommodi videtur afferre. Si concedimus quae petuntur, potentissimum populum, amplissimum regnum, ferocissimas Europae gentes ad obedientiam S. R. E. convocamus; discordes inter se Bohemiae plebes *unimur* (*ff*); Ladislao regi provinciam quietam reddimus: Teutonibus in circuitu pacem praebemus, militiam fortissimam, quam contra Turcos armare possimus, nobis conciliamus; & quod rebus omnibus praestat, infinitis animabus Paradisi portas aperimus. Atque hoc potissime quaeritandum censeo, quando nihil est quod illi maximo, atque optimo Deo coelum regenti animarum lucro fiat acceptius. In Bohemia vero, ac Moravià difficile dictu est, ne dicam (*gg*) *cognitu*, quanta populi multitudo succreverit, quae si paetita concedimus, Christo acquiretur; si negamus, Diabolo. Et ajo confidenter ex auctoritate prudentum, quia lucrifaciemus in hoc tractatu innumerabiles animas, & quae nullo pacto circumscribi valeant, plebes. Nam etsi duces populi (*hh*) fraudulenter agant; multitudo tamen sincera est, & ignorantia, non pertinacia peccat. Quae postquam didicerit se deceptam & unioni consenserit, cautior in posterum fraudibus obviabit, & bibens, te permittente, de calice fiet aeternae vitae particeps. Parumne hoc cuipiam videri potest, tot pupillos, quot Bohemia atque Moravia nutrit, lucrifacere? tam numerosis gentibus Christi regnum aperire? Non est argenti aut auri lucrum, sed animarum, quae omne metallum, & omnes gemmas ante-

(*ff*) unimus

(*gg*) cogitatu

(*hh*) *Ad.* fortasse

tecellunt. Haec sunt bona, pater sancte, quae viri sapientes ex hoc tractatu arbitrantur emergere; magna quidem, & pro quibus Romanus pontifex, omnium in Christo credentium rector & pastor, usque ad sanguinem & animam contendere debeat. Sed audi modo quae contra obiiciuntur. Indulsit Basiliense concilium quae petivere Bohemi; legatos ad eos misit, pacta cum regno percussit. Quid inde? an non iidem Bohemi sunt qui ante fuerunt? Et cur nunc magis fidem servabunt? Ficta eorum reditio est, & plena fraudis; quod si aliunde non liquet, hinc patet quia Rokezanam praesulem quaerunt, hominem ante descriptum; volunt enim ex duodecim viris, qui ad Pragensem ecclesiam nominandi sunt, unum hunc esse. Quid ergo? Sane talis erit aliorum nominatio, ut necesse sit illum assumere, si modo minus ineptum recipiendum judicabis? Tunc homo pestilens, propositi victor, cathedram sortitus, quam supra triginta annos ambivit, omnem Bohemiam ad suam sententiam reformabit; neque presbyterum patietur in regno suae sententiae contrarium, potenti manu clero & populo imperabit, compactata deridebit, nolentes de calice bibere ab ecclesia separabit, atque in hunc modum apostolica sede prorsus irrisa, ad priores insanias regnum Bohemiae revocabit. Quod si eo neglecto, alium quemvis Pragensi ecclesiae praefeceris, extra civitatem suam illi manendum erit; pauper, inops exulabit archiepiscopus. Scimus insuper Bohemorum quammultos errores esse, nec de illis mentionem audimus; & quomodo salvabuntur permissa communione, nisi universam haeresim abdicaverint? Quid de bonis ecclesiarum dicemus, quae isti rapuerunt? Lora haec & catenae sunt, quibus (*ii*) raptores in aeterna praecipitia trahuntur, nisi restituantur. De restitutione autem verbum nullum. Dulce sapiunt laicis bona nostra; nimis eis abundare videmur. In opes nostras ore aperto inhiant. Quod si pacem Bohemis damus, ecclesiastica bona tenentibus omnium gentium avaritiam adversus ecclesiam provocabimus; nihil est enim, quod humanae cupiditati majores flammas adiiciat, quam malo exemplo impunita rapacitas. Sit tamen vera reditio, facessat

(*ii*) Colla raptorum

Digitized by Google

cessat haeresis, nihil obstent ecclesiarum rapinae, quid tum? an communionem indulgebimus? Quibusdam scandalosa concessio videtur, namque si reges Austriales, Bajoarios, Francones, Saxones, Slesitas, & quidquid superest Theutonici nominis, dicent omnes uno ore negandum esse quod Bohemi petunt. Quomodo enim, inquient, communionem calicis permittemus, quae ne per laicos iret, & patres nostros & fratres, & nos ipsos tot maximis atque asperrimis bellis implicuit? Nonne urbes nostras exuri, agros vastari, filios, & uxores in servitutem eripi tolerabilius judicavimus, quam novum communionis ritum in Bohemia permitti? Cumque his sentient ex Bohemis quicumque persequutionis saeviente procella Romanam ecclesiam sunt sequuti. Turbabitur itaque tota Germania, & quasi contumeliam patietur, apostolicam sedem incusabit, quae post tanti sanguinis effusionem, post amissionem tot illustrium animarum, post rapinas atque incendia, post omnia flagitia, quae bella parturiunt, calicis participium ad plebem transmiserit, quod ante damna fuerat transmittendum. Non videtur igitur cur tantarum gentium injuria consentiendum esset Bohemis. Huc accedit, quia si ferant Bohemi quod optant, non deerunt qui similia quaerant, sive Galli, sive Hispani, sive alii populi; neque fas erit magnis nominibus denegare, quod Bohemis constabit esse concessum, atque ita duo incidemus mala, alterum, quia plus sapuisse Bohemi quam Romana Ecclesia videbuntur, cum illorum sententia manserit, nostra ceciderit; alterum quia remanebit ad nostros periculum effusionis (*ll*) *sanguinis*, cujus evitandi causa majores nostri calicem populo subtraxerunt. Adversus concessionem igitur haec fere dicuntur. At qui eam tuentur, ut infra subnectam, respondere solent. Quod neglexere Bohemi, quae Basiliensi concilio promiserunt, inde fuit, quia post compactata mox subortum est in ecclesia Dei grave discidium, cum Eugenius antecessor tuus, patres in Basilea congregatos damnaret; illi autem Eugenium multifarie persequerentur. Sigismundus imperator, qui turbida regni negotia compositurus erat, rebus excessit humanis. Phi-

liber-

(*ll*) In Sacramento, & parvipensio Dominici Sanguinis

libertus synodalis legatus non diu post eum animam exhalavit. Albertus Caesar, quamvis attritis regis Poloniae partibus universam pene Bohemiam in potestatem redegerit, prius tamen obiit, quam regnum reformare potuerit. Sub Ladislao diu neglecta pupillaris aetas provinciam inquietam habuit. Principes igitur haeresis, qui Basiliensis Concilii leges inviti susceperant, nequitiae suae tempus idoneum nacti, ad priores blasphemias redierunt, errantemque sine pastore gregem in abrupta quaeque devia pepulerunt. Nunc alia regni facies est. Rex adultus & sapiens, curiosusque nostrae religionis a Deo datus est. Georgius gubernator, quamvis de calice bibat, vir tamen solidus est, promissi tenax est, servantissimus aequi. Optimates reliqui nostrum pene omnes ritum observant. Civitates, etsi calicem sitiant, sub imperio tamen baronum, & regis viventes, legem ferent, quam illi dabunt. Utque de mente regni latius loquamur, quatuor in Bohemia sunt hominum genera, sacerdotes, nobiles, cives, & rusticolae. Sacerdotes neque olim optavere concordiam, neque modo quaerunt; sunt enim homines ignobiles, obscuro loco nati, neque virtute praediti, neque literis, quamvis argutiolas quasdam, ac fallacias nonnullas ex dialecticis didicisse videantur. Quod si componantur res Bohemicae, verentur illud, quod futurum est; ingredientur enim regnum viri sanguine clari, probitate insignes, ac doctrina praestantes, quibus illi nulla ratione possunt aequari, tumque relinquentur haeretici, & orthodoxi in cultu erunt. Hoc timentes presbyteri Bohemorum, nec olim (*mm*) manus dedissent, neque hodie darent, si libertas aut fuisset, aut esset quae vellent agendi. Sed stante Concilio Basiliensi populi pacem petentis furorem expavere. Nunc & barones & populum reformidant, si quae sunt honesta quovis modo recusent (*nn*). At barones, & optimates longe diversa sententia tenet; fuerunt enim extra Bohemiam, inspexerunt nitorem nostri cultus, animadverterunt inter nostros & eorum sacerdotes quantum intersit; intellexerunt contemptui esse cerimonias suas, puduit eos ineptiarum suarum, utile putaverunt pacem jam tandem

cum

(*mm*) Concordiae manus.

(*nn*) *Ad.* Atq; haec quidem sacerdotii mens est, perversa quidem & pessima. At barones, &c.

cum finitimis nationibus colere, vitamque suis vicinis non abhorrentem vivere, ecclesias ornatas habere, sacerdotes apud se honoratos esse, rem divinam non sine apparatu facere. Sed quoniam de calice longo tempore biberant, ac pro eo cum caeteris gentibus saepe ferro contenderant, veriti sunt, ne ritu mutato, convicti haeresis viderentur, dicentibus populis, eos alioquin salvos fieri non potuisse; etsi enim non ignorant optimates Bohemiae, sacramentum sub una specie plebi sufficere, rumorem tamen populi reformidant, & murmura vulgi. Sunt namque Bohemi honoris hujus mundani, & popularis aurae justo cupidiores, & mortem facilius ferant, quam turpiter egisse quidquam videri velint. Fragiles sunt, ut homines aegroti; colorem quaerunt, qui apud doctos nullius momenti est, apud ignaros videri aliquid potest. Nostrum est compati fratribus, & imbecillae mentis subvenire fragilitati, si dum eos quaerimus, non *admittimus* (*oo*) alios. Civitates autem, etsi tantum de sacramento sentiunt quantum sacerdotum assidua praedicatione docentur, pacem tamen cum vicinis cupiunt, & unionem recta mente suscipiunt. Quod si semel intelligant, haustum calicis non esse plebibus necessarium; suorum sacerdotum hypocrisim perpetuo insectabuntur odio. Ruricolae vero ita circa communionem se habent, quemadmodum eorum Domini. Quod si mentem cujusque Bohemi rimari possimus, inveniemus praeter sacerdotes ad concordiam totum regnum bono animo rectoque vadere. Caeterum cum sacerdotibus in Bohemia nulla reipublicae cura committatur; cives solum inter sese jus dicere possint, agricolae, & qui rus colunt, loco servorum habeantur; barones autem cuncta disponant; quis non intelligit, admissam semel ex imperio nobilitatis unionem, stabilem atque inconcussam esse mansuram? De bello namque, de pace, de legibus, de vectigalibus, de totius regni gubernatione (*pp*) est cum Baronibus dispositio. Non est itaque nunc formidandum, quod prius accidit, ut accepta capitula rescindantur, & sicut Basiliense concilium, ita & Romana ecclesia contemptui fiat. Quodvis animarum lucrum sub periculo derisionis liben-

(*oo*) **Non amittimus**

(*pp*) **Al. Solius Regis est cum Baronibus**

tius

tius quaeram, quam jacturam sub spe laudis admittam. Quod praeterea de Pragensi pontifice objectum est, a vero longe recedit. Namque si delegerit tua pietas ex duodecim viris, quos illi nominaverint unum, etiam Rokezana prætermisso, hunc Bohemi archiepiscopum amplectentur; servabunt enim quod promittent, decretoque suo satisfacient. Neque enim Bohemi sunt, qui facile promissa contemnant; graves enim sunt, & dicti sui tenaces. Nam & Teutones. quamvis odio vetusto in Bohemos ardent, hanc tamen illis laudem sine contentione concedunt, quia promissionibus suis diligenter intendant. Atque hoc est, cur Rokezana tantopere in archiepiscopum petitur; extant enim & baronum & civitatum literae, quibus Pragensis ecclesia Rokezanae promissa est, quibus & Sigismundus olim, & Albertus post eum, & Ladislaus denique consensum praebuit. Quod si peterentur hodie hujuscemodi literae, non darentur; datas autem infringere non praesumunt Sed cum neque regis neque populi sit archiepiscopum assumere, ad tuam pietatem recurrunt. Verentur uno tantum nominato apostolicam sedem offendere. Duodecim nominare proponunt, inter quos, veluti satisfacturi promisso, Rokezanam insertum cupiunt. Neque formidandum est, quod supra suspicari aliquos diximus, omnes scilicet qui nominabuntur de communione calicis esse & Rokezana pejores. Est enim communi baronum & civitatum consilio facienda nominatio, quemadmodum mihi regni legati apud Novam Austriae civitatem affirmarunt. Itaque nominabuntur pariter ex utraque parte, qui videbuntur pontificali culmine digniores. Georgius autem gubernator, cum saepius a me percumtatus fuisset, an Romanus praesul ad id flecti posset, ut Rokezanam ecclesiae Pragensi praeficeret; egoque multis rationibus id negassem: Vah, inquit, tandem non erit Rokezana, qui nobis Romanam ecclesiam reddat infestam. De statu quoque archiepiscopi provisurum regnum gubernator asseveravit; ait enim, maximam esse dignitatem illam, neque decorum videri baronibus eorum mendicare pontificem, qui sicut caeteris regibus suum esse aequalem volunt, ita & archiepisco-

piscopum regni reliquis pontificibus parem cupiunt; neque enim honoratus videri potest populus, cujus inglorius est praelatus. Sed quid heic moramur? Non ego meis verbis exigo, si libet amplecti tractatum, expetantur literae regis ac baronum, & civitatum, si expedire putatur, quibus certa reddatur apostolica sublimitas; ex duodecim nominandis si unus assumatur, regnum illi pariturum, & usque ad scribendam aliquam summam de certis redditibus annuis intra praemonstrandum tempus provisurum. Tua vero pietas his polliceatur, quia ex duodecim nominandis (si modo inter eos idoneus reperietur) unum Pragensi ecclesiae pastorem dabit; communionem calicis ea conditione indulgebit, ne putent illam quoad laicos necessariam; sed praedicantes talia coërceant, & omnem haeresim ex regno propulsent. Aut enim ad haec sese literis suis (*qq*) Bohemi constringent, & implebunt procul dubio quod promittent; aut recusantes, sinistram ostendent se mentem habuisse; & apostolica sedes in honore manebit, quae tractatus fraude plenos abjecerit. De reliquis autem erroribus, quibus ajunt Bohemos esse infectos, non intelligo cur magnopere disputemus; diximus enim supra, ex omnibus articulis errorem sapientibus quatuor Bohemos dumtaxat elegisse, quos in concilio defenderent. Denique vero per compactata tribus rejectis, ad unum tantum se reduxisse de communione calicis, & hunc post multa utrimque dicta ad discussionem concilii remisisse. Quod si volunt hodie Bohemi compactatis locum esse, & integram unionem, quovis errore seposito, volunt, aut necesse est, Bohemos omnem haeresim abdicare, aut quae percusserunt compactata rescindere. At vero de bonis ecclesiarum quodnam, inquit aliquis, responsum dabitis? Maximus hic articulus est, & qui regnum perdere posset, nisi restituantur ablata. Viri docti, quos de his rebus ratiocinantes audivimus, aliter sentiunt. Nemo est enim in regno, qui asserat ecclesiastica bona, quae rapta sunt, non debere restitui. Imo vero publicè hoc scelus accusatur; quin & occupantes ipsi occulto conscientiae verbere quatiuntur; sed quia vincit eos avaritia, & sunt domi potentes, neque ipsi suapte restituunt,

(*qq*) Sese Bohemi

neque restituere compelluntur. Sed quid multitudini, si decem, aut viginti praedia sibi ecclesiarum usurpant? Propter decem bonos salvaturus erat Dominus Sodomam; & nos propter decem malos Bohemiam perire putabimus? Et nos in civitatibus nostris fures habemus, & praedones, & usurarios, & adulteros, & sacrilegos. Nulla civitas malorum hominum omnino vacua est. Non tamen perit proximus ex peccato proximi, cujus non est ipse particeps: *Anima quae peccaverit, ipsa morietur*, inquit scriptura. Non est regni universitas, quae res ecclesiarum hodie detinet. Ad privatos quosdam potentes haec bona devenere, quos sine scandalo nequeat regnum ad restitutionem compellere. Non est igitur, cur hac de causa concordiam cum Bohemis devitemus: nam & Basiliense concilium hoc articulo de bonis ecclesiarum sequestrato regnum Bohemiae in unionem accepit; & nos Ulrico de Rosis, quamvis duorum monasteriorum praedia occupet, quia non deficit ad Hussitas, usque hodie communicamus. Est igitur de hoc articulo seorsum tractatus habendus. Et fortasse non est eorum opinio mala, qui relinquendum quemlibet in sua conscientia putant; redeunt enim homines aliquando ad cor, & stimulis acti conscientiae, si non sani, saltem aegroti cum Deo in rationem veniunt; cumque voluntatis ultimae sententiam scribunt, complura ecclesiis legata relinquunt: Quod si concordia facta suae conscientiae relinquantur qui res ecclesiasticas invasere, existimatio non paucorum, neque indoctorum est, brevi tempore ditissimas apud Bohemos ecclesias fieri; morientibus namque baronibus, aliisque divitibus, semper in partem haereditatis ecclesia vel testamenti vel codicilli jure vocabitur. Neque timendum est exinde hoc in alios derivari; neque enim impunita sunt Bohemorum spolia, qui per annos quadraginta & amplius sub anathemate viventes, dum vicinos ipsi vexant, & ab ipsis vexantur, adeo attenuati sunt, ut non modo quae rapuerunt ecclesiis bona, sed patrimonia quoque exhauserint (rr). Itaque sequatur audacter Bohemorum vestigia, spoliet ecclesias, fidem abneget quisquis aut ex divite pauper, aut ex paupere miser effici cupit.

(rr) Regnumque illud opulentissimum ad inopiam redegerint. Itaque, &c.

pit. Atque ita de bonis ecclesiarum ex doctis plerique fabulantur. Verum quia supra objectum est, si concedatur plebibus in Bohemia participium calicis, Bohemos, qui cum Romana ecclesia manserunt, & omnes Teutones scandalizatum iri, huic quoque parti obviandum est, ne forte credatur illic vulnus esse, ubi jam est obducta cicatrix. Et de Bohemis quidem facilis responsio est, nam & ipsi, quos timemus, cum toto regno consentiunt, & compactata requirunt. At clam aliquis literas, & nuncios ad curiam mittit, magnopereque dissuadet ne compactata firmentur. Fecit hoc olim Mainardus de nova domo, & Ulricus de Rosis, quibus discordia frugi fuit; erant enim alterius factionis principes, & putantes Romanam ecclesiam manus adjutrices praebere, & argenti quantum vellent ministrare; maximas opes cumulare & Bohemiae dominatum adipisci sperabant. Sed nemo est hodie hujus animi; quinimo Procopius Cancellarius, & alii plerique nostrarum partium barones rogati per me saepius, quinam modi sint ad componendam Bohemiam aptissimi, compactata semper ante oculos habuere, asserentes hanc esse unam viam, quae tandem ad formam aliarum provinciarum Bohemiam redigere possit. Compactata namque, solum habentibus usum, potionem calicis indulgent, necessitatemque negant. Quod si regnum ea suscipiat, post quinquaginta annos vix aliquis vivet de calice bibens. Neque timendum est, ne patres imbuant filios, quando id prohibent pactiones. Et rex est qui a Calice abstinet, idque fere agunt Barones omnes. Populus autem plerumque suos mores ad vitam principis reformat; neque enim sese gratum existimat, nisi domino quam simillimus appareat. Presbyteri verò pro pactionibus praedicare cogentur, plebes praedicata sequentur. Atque ita paulatim & plebes & nobiles unum in ritu corpus efficientur, salvique omnes fient; malos autem presbyteros male perdet Deus, quibus in dies morientibus sufficientur alii, qui vias istorum nescient; atque successu temporis tota Bohemia salva fiet. Sic Bohemi sentiunt, qui mecum in hos sermones inciderunt. Teutones autem, qui vicini Bohemis existunt, cumque his

Digitized by Google

bella crebra gesserunt, fatemur invitos audire concessionem calicis Sed hoc (*ss*) odium magis quam ratio ducit. Non intuetur ira, quae caeca est, verum; oculis enim inimicitia caret. Non tam grave his videtur si centum millia pereant animarum, quam si dicatur in populis: justi fuerunt Bohemi, quibus relicta communio est; injusti Teutones, qui eam armis prohibere conati sunt. At viri boni non ponunt rumores ante salutem. Vir bonus vel cum suae famae detrimento animam proximi studebit salvam facere. Nicolaus cardinalis S. Petri, quem saepe ac libenter in medium adduco, (est enim pater auctoritate dignissimus) quamvis Teutonici sanguinis est, non tamen hujus communionis causa perdendos esse Bohemos existimat; intelligit enim, vir sapiens, communione concessa, non propterea justificari, quae bella gesserunt Bohemi, sed damnari magis. Non enim idcirco pugnatum est, quia sub utraque specie sacramentum susciperent, sed quia ritum ecclesiae propria temeritate mutaverant, & salvari neminem asseverabant, qui non participaret de calice. At cum decretum sit communionem calicis non cadere sub praecepto Domini, Bohemique loco gratiae ab ecclesia Romana permissionem (*tt*) expectant; nos justos, illos iniquos; nos victores, illos victos, ipsius concordiae tenor ac decretum manifestabit. Quod si secus esset, non Teutones tantum, sed ipsam Romanam ecclesiam, cujus imperio pugnatum est, compactata deturparent. At quamvis abhorrent Alamanni, seu Teutones, hujuscemodi concessionem, non tamen irritantur, neque sinistri machinantur aliquid. Intelligunt enim aut pugnandum esse cum Bohemis iterum, aut quem tenent ritum eis permittendum; & cum malum utrumque reputent, ritum illis indulgendum potius censent, quam cum periculo libertatis & vitae totiens dimicandum. Eam ob causam cum Basiliensis concilii concordia intercessit, murmuraverunt, & obloquuti sunt, ut in re assolet nova, Teutones; sed cognita causa, & intellecto fructu quieverunt. Idem quoque & nunc facient, verosimile est; neque enim confirmatione pacti male commovebuntur Teutones, quos prima concessione non vidimus

(*ss*) Sed hos

(*tt*) permissionem calicis expectant

Digitized by Google

dimus irritatos. Postremò timent nonnulli, ne concesso Bohemis calice, reliqua Occidentis regna similem facultatem expostulent. Sed ridiculum est quod illi formidant; neque enim sibi postulant homines quod in proximo damnant. Scientes fideles populi sub una specie sacramenti Christum totum & integrum contineri (*uu*), quasi delirantes putavere calicem sibi ministrari petentes; & quomodo ipsi nunc errorem imbuent, quem in aliis damnaverunt? Non sunt reges ac principes nostri tam pauca de se ipsis praesumentes, ut imitari Bohemos quasi magistros velint. In tantum praeterea nostrae gentis imminutum videmus religionis fervorem, ut formidabilius sit plebes nostras utramque sacramenti speciem fugere, quam requirere. Teutones autem, & qui vicini sunt regno Bohemiae, adeo nomen Bohemicum horrent, adeoque illi genti sunt infesti, ut nedum mala, sed nec bona illorum opera imitari velint. Non est itaque credibile orbis nostri reges, aut civitates quovis modo communionem Bohemicam affectare, nisi dexterae Dei mutatio intercesserit. Quod si voluntas Spiritus Sancti fuerit, neque debebimus, neque poterimus resistere. *Heu nihil invitis fas quemquam fidere Divis*, inquit ille. Deus nobis & fidem & ritum cerimoniarum dedit. Quae sunt fidei, non variantur. Quae nunc veritas est, in aeternum veritas erit. *Eloquia Domini, eloquia casta, & argentum examinatum septuplum*. Quod de fide verum est Indis, idem & Hispanis est verum. Cerimoniarum autem, & sacrorum solemnium ritus apud diversas gentes, diversi reperiuntur; nec (*xx*) *nobis* divina pietas indicavit qua magis observatione laetetur, nisi quia credibile est, quae communiora sunt, ea Deo magis accepta esse; neque enim absque nutu divino paulatim crescere, & in omnem terram exire, ac recipi cerimoniarum observationes possunt; neque nos pertinaces esse decet adversus devotiones hominum, quae non sunt divinae legi contrariae. Quod si contingat ad omnes gentes calicis participium dilatari, putandum erit Dei decretum id esse, cui credere omnes tenemur, neque Bohemia, sed Deus ipse nos superabit, & ipse sibi quo pacto reverenter & caute

(*uu*) Bohemos quasi

(*xx*) Nec vobis

caute ministretur, abunde providebit. Cum ergo fratres nostri Bohemi sint, & baptismi nostri participes, quem nos veneramur, Christum colentes, compati eorum ignorantiae, non indignari debemus. Tam pro illis, quam pro nobis passus est Christus. Quaerenda est omnibus artibus eorum salus. Quod si Dominus, & Deus noster pro redemptione nostra, ne diaboli mancipia essemus, ex summa coeli arce in terram descendere, carnem assumere, humana incommoda ferre, capi, ligari, caedi, ac demum in ligno Crucis cum summa turpitudine mortem subire non recusavit; quonam pacto existimare possumus, clementiam ejus Bohemos malle perire, quam suum his sanguinem potandum concedere, quem passim inter homines ecclesiae primitivae distribuit?

Haec sunt quae de rebus Bohemicis ex aliorum fontibus hausimus. Non tamen his omnino accedimus; neque enim nostri visus acies tam profunda intueri potest. Nimis pofundae sunt hae cogitationes mihi. Caligant oculi mei, cum solis aspiciunt radios. Tuae sanctitatis est haec discernere, tuae sedis est inter causam & causam, inter sanguinem & sanguinem, inter lepram & lepram dijudicare. Habes in circuitu sacrum senatum, qui falli non potest. Nihil est quod tuus thronus ignoret. Utrumque reconditum est in tuo pectore testamentum veteris & novae legis. Tu solus interpres (yy), tuae pietatis est arbitrari. Nos quantum capimus, tantum sapimus. Sed quia vidimus patres in Basilea residentes, antequam concilium auctoritate apostolica solveretur, genti Bohemiae potum calicis indulsisse; ratione pari, & nunc indulgendum opinamur magis quam credimus. Nec nos movent qui propterea negant cum Bohemis denuo paciscendum, quia priora non sunt ab his pacta (zz) custodita. Habent namque Bohemi multa quae obiiciant, ne fidei fractores videri queant. Sed ignoscendum est etiam frangenti fidem, dicente ad Petrum Domino: Non tantum septies, sed septuagies septies, peccanti in se fratri remittendum. Admonendi & revocandi sunt cum summa caritate Bohemi, tanquam fratres & cohaeredes nostri in regno D. N. J. C. Quod si recipiunt admonitiones

(yy) Haberisque Bohemi requirũt, an concessu digna sint.

(zz) Rite custodita

nes

nes & in pactis perseverant, lucrati sumus animas fratrum. Si minus, non est pejor nostra conditio quam ante fuit. Nihil nobis perit; imo coram vero justissimo Deo & apud mortales commendabitur tua pietas, quae pro reductione gregis errantis nihil omiserit. Durities illorum probro, tua facilitas laudi dabitur.

NOTAE

In superiorem Orationem.

1. CInis eorum clanculum raptus .... venerationem obtinuit. *Quamquam utriusque hujus, si placet, Martyris cineres diligentissime collecti in profluentem Rheni conjecti fuerunt, ut narrant authores historiae de utriusque supplicio in editione novissima operum utriusque haeretici adornata Normbergae anno* 1715. *Tom. II. in fol. fieri tamen potuit ut aliquid ex illis suffurari Hussitis licuerit.*

2. Cardinales quoque. *Joannes Dominici Card. tit. S. Sixti prior omnium missus est in Bohemiam a Martino Papa V. ut haereticos furentes, censuris, armis, severitate, & lenitate etiam redigeret ad officium. Eo brevi defuncto, Card. Branda Placentinus jussus est cruciarios milites cogere duceréque in rebelles, quod, & praestitit sinistro fere semper eventu. Vide Raynald. ad An.* 1427. *Dein Julianus Card. S. Angeli Hussitarum victorias auxit.*

3. Misitque Ghilibertum Nortmannicae Constantiae Pontificem. *Ghilibertus de Montejocoso Constantiensis in Nortmannia* (Coutance) *Episcopus, Pragam ad concordiam cum Bohemis conciliandam a Concilio Basileensi destinatus fuit; extatque apud Martene Vet. Mon. tom.* VIII. *pag.* 670. *Pragensium ad illum Epistola, qua rogatur, ut communionis sub utraque specie usum Bohemis impetret a concilio.*

4. Ta-

4. Tapſco. *Ita recte ex Mſ. Codice Lucenſi, cum Muratorius in ſuo corrupte legerit* Tapſto. *Eſt hic Henricus Ptaſco, averſae Alberto factionis Dux, cui haereticos admilitaſſe teſtatur AEneas Silvius hiſt. Bohem. cap. 55. & haereſim profeſſum*: Huſſitarum ſequax erroris.

5. Procopius de Lapide Corvino. *Alter is a Procopio Raſo Taboriſticae Sectae Principe, & ab altero minori Orphitarum Coryphaeo. Hunc vero Bohemiae Cancellarium ſupremum egiſſe AEneas hic tradit. Quin & Romanis ſacris addictus ex his, quae idem AEneas hic de illo addit, videri poteſt.*

6. Pugnatum eſt cum Bohemis frequenter. *Wenceslao Bohemiae Rege defuncto, regnum tranſmiſſum eſt ad Sigiſmundum Caeſarem, a quo primum expeditio in Huſſitas Bohemos ſuſcepta an. 1420. Pugnatum ab eo infeliciter, quam Huſſitarum victoriam ſequentia ſubinde commiſſa praelia auxerunt, provexeruntque. Iterum ſub Martino V. congreſſiones exercituum novae. Fugerunt primo catholici antequam ad arma venirent; retractis ab ea fuga militibus, cum exercitus ducendus iterum in hoſtes eſſet, terror priſtinus animos bellatorum invaſit, & ex terrore fuga. Anno demum 1434. inſigni victoria Huſſitae proſtrati; nec exinde juſtum aliud bellum in eos geſtum; quamquam perſeveraverunt ſemper in eo regno haeretici, neque ex ea pugna, quae decretoria videbatur, rebus fidei melius proviſum eſt.*

7. Joannes de Capiſtrano, meo judicio, vir Deo plenus. *AEneae oculati teſtis elogium de S. Joanne de Capiſtrano plus valet quam ſexcentorum de fama publica referentium. Subiniquior interdum AEneas in Capiſtranum videtur, cum in hiſtoria Bohem. cap. 68. eum ſugillet tanquam gloriolae plus juſto indulgentem, quod in epiſtola ſua ad Calliſtum Pontificem, de celebri e Turcis relata ab Hungaris victoria, ſuam in ea re operam celebrat, (ac reipſa quidem multam impendit) ne verbo quidem facto de Hunniade exercitus illius imperatore, neque de Joannis Carvajalis S. R. E. Cardinalis laboribus, atque induſtria. In eo tamen ipſo capite in quo* Ca-

Digitized by Google

Capistranum ita vellicat, virum sanctum, insignem rerum humanarum contemptorem, avaritiae, ac libidinis conculcatorem agnoscit. Quare hominem quidem carpit, at de sanctimoniae laude nihil detractum vult. Neque merito eo in silentio jactantiae Capistranus reprehenderetur; etenim in ea, qua erat, persuasione Deum omnes sibi partes in ea victoria assumpsisse, res ipsa poscebat, ut solum Numen, per ministrum suum agens, in scenam prodiret.

8. Quid profuit excommunicasse Trajectenses? *Defuncto Friderico Trajectensi Episcopo successores dati sunt duo, Rodulphus Diephordiae Comitis filius, & Walravus Morsanus, antiquae nobilitatis Princeps. Martinus Papa V. utroque rejecto Rabanum de Helmstat Spirensem Episcopum praetulit. Tertius hic electionem deprecatus est. Reliqui perstiterunt in jure suo prosequendo. Pontifex diris, & anathematibus primo quidem contra Rodulphum certavit. Tandem an. 1433. missus ad componenda Ecclesiae illius dissidia Joannes Episcopus Matisconensis Rodulphum in gratiam Pontificis reduxit, & Trajectensibus Pontificem dedit, nequicquam aemulo reclamannte. Schisma istud Ecclesiae septennale fuisse tradit AEneas; ex quo coeptum anno 1426. discimus.*

ORATIONIS XVIII.

Argumentum.

Compositis Italiae rebus, Laudensi pace anno 1454. inter Venetos Sociosque, & Franciscum Sfortiam Mediolani Dominum ac collegas stabilita, ad nova iterum arma Senenses (quos pax illa pacaverat) revocavit Joannes Picininus, qui Italiam cum armata militari manu excurrebat. Praebebat factiosis auxilium & incitamentum Alfonsus Rex Neapolitanus; cujus tanta erat potentia, ut adjuti licet Senenses armis Pontificis, Mediolanensium, ac Venetorum, nunquam tamen eam a se molestiam depellere valuerint. Quare consilio inito salubri, pacandum a se Alfonsum [iratum quod se inconsulto pacem illam Laudensem admisissent] statuerunt. Tanto operi parem existimarunt AEneam Sylvium civem & Episcopum suum, gratum Patriae, gratum Alfonso Regi hominem. Nec vana commenti sunt, nam accitus e Germania AEneas, iisque mandatis oneratus quae e Republica viderentur, Neapolim se contulit, tantaque dexteritate rem difficilem tractavit, ut consilia pacis Alfonso probarit. In ea igitur solemni pacis stipulatione, praesente Apostolicae Sedis Legato, duobus Senensibus Legationis Sociis, Galgano Burghesio Jurisconsulto, & Leonardo Benevolente, in publica populi panegyri, hac oratione AEneas Alfonsum laudavit, gratesque de collato insigni beneficio, suo & Senensium suorum nomine, rependit. Acta sunt haec anno 1456.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO XVIII.

Ad Alfonsum Regem pro pace suis Civibus reddita.



Odestius fortasse fuerit, Rex maxime ac piissime, audito Jo: Solerii Apostolico Legato, (1) patre optimo ac doctissimo, divina re diutius protracta, fugiente jam die, nos tacere quam loqui. Sed cogimur accepti beneficii magnitudine, ne omnino silentes hujus diei solemnitatem praetereamus, in qua pacem sapienti ac divino consilio tuo perfectam vulgari jussisti. Quare non urbi nostrae solum, verum Etruriae ac toti Italiae, immo vero universae reipublicae Christianae salutem hodie partam videmus. Etenim quamvis hoc bello, quod modo extinctum est, solus ager Senensis vastari videretur, ejus tamen veneni labes longe lateque totam Italiam inficiebat. Neque Laudensi pace, neque altera coram te habita in hac urbe (2) Christiano populo satis consultum erat, cum sedato uno tumultu, mox alter oriretur, atque in morem serpentis hydrae nova in dies belli capita succrescerent. At concordia, quae nunc, te dictante, composita est, omnem contentionis nostrae radicem prorsus extirpat; nullam Italiae portiunculam aut inquietam aut insecuram relinquit; nulli jus suum aufert, nullum laedit, nullum excludit. Haec igitur vera pax est, & quae prioribus illis de pace *tractantibus* solidum signum, sive ut ajunt, sigillum apponit. Haec concordia Christianis quidem vera quies, Turcis autem, ut mihi suadeo, extremum exitium erit. Nam quantum discordia nostra illos extulit, tantum consensus noster deprimet atque dejiciet; quippe ut audient Hungari, Rasciani, Valachi, Albani, Graecique omnes pacatam atque concordem Italiam esse, invictis animis Turcorum imperium substinebunt. Exin Fridericus

Anno 1456. Ex Ms. Cod. Lucensi, edita est etiam in edit. Basileensi an. 1551., ex qua hic dantur variantes.

f. tractatibus

 Im-

Digitized by Google

Imperator Augustus invictissimus, qui etiam te de hac concordia adhortatus est, cum suis Teutonibus martialique gente; Galli quoque feroces, & alii trans Alpes fideles populi jam tempus adesse fatebuntur, quo se bello contra Turcos accingant.

Nam quamvis anno superiore Sancta Sedes Apostolica Legatos mitteret, decimas exigeret, indulgentias elargiretur, naves construeret; tua quoque Majestas Cruce signata, multa & magna in hostes fidei minaretur; nemo tamen credidit expeditioni locum fore, cum vicina Romanae Curiae atque in ipsis pene urbis foribus belli tempestas grassaretur. At nunc extirpatis funditus *dissensionis* Italicae *radicibus*, quid aliud expectemus, quam te classe maxima ac potentissima, &, ut dicere soles, quingentis velis instructa, Orientem petere, ignominiam Deo & Salvatori nostro illatam vindicare, *Constantinopolim recuperare, totamque Graeciam Christiano nomini restituere?* Rem videor fortasse difficilem atque impossibili similem polliceri. Verum qui te *cum hoste* comparat, quique tuas vires, & quae tibi duo magnanimi Reges, alter Castellae, alter Portugalliae ministrare promittunt, auxilia metiuntur, nihil me supra modum sperare fatentur. Age igitur, Rex inclite, tibi Calixtoque summo Sacerdoti haec laus servata est, qua religionem Christianam undique conculcatam ac ferme deletam in pristinam gloriam restituatis. Nam vetus ille Oriens, qui nobis olim verae fidei lumen infudit, nunc ab Occidenti lucem ac salutem expectat. Legimus Christianos Imperatores ac Pontifices maximos ab Hispania missos, saepe Catholicae fidei magnifice ac salubriter consuluisse, Theodosios, Damasos atque alios. Aetas nostra sub Calixto III divinitus dato Pontifice, ac Alfonso Rege sapientissimo & incomparabili, utroque Hispano, Orientalia regna rursus ad Christum verum & singularem Deum reditura esse confidit. Cui *spei* pulcherrimum hodie tua sublimitas initium dedit, quae cunctas Italiae lites unico pacis arbitramento sedavit: cujus facti gratia non est oratio nostra, quae beatissimi Patris tui Calixti susceptam consolationem ac laetitiam explicare

Ed. Dissensionibus, eradicibus.

Deest totum.

Ed. hisce.

Ed. rex.

care poſſit, aut in medium proferre quibus te honoribus ſua pietas, & omnis eccleſia cumulare decreverit. Senenſes vero a te ſaluberrima pace donati ac magnifice conſervati nullo unquam tempore hujus diei memoriam obliterabunt. Gratiſſima eſt enim noſtra Reſpublica, quae, quamvis aliquando pro ſua tenuitate his qui ſibi benefaciunt vicem reddere nequit, animum tamen ſemper obnoxium ac retribuendi cupidum retinet. Videntur adhuc in templo noſtro majori equeſtres eorum ſtatuae, qui ante aliquot ſecula civitati noſtrae bene conſuluerunt; Manfredi (3), qui ex hoc regno laboranti populo noſtro opem tulit, aeterna memoria apud nos eſt. Bonifacius Nonus (4), hujus urbis alumnus, qui urbi noſtrae magna in neceſſitate non defuit, quaſi numen aliquod apud nos habetur. Galeazii ac Philippi Mariae Longobardorum Ducum, qui majores noſtros in maximis ſaepe diſcriminibus adjuverunt, nomina in civitate noſtra immortalia perſeverant. Ob memoriam SS. Callixti noſtri (5), qui ut nobis periculum demeret, periculum *ipſe ſubire* non recuſavit, aedem conſtruere magiſtratus noſtri decreverunt, in qua ſibi quotannis ſacrificetur. Et tibi, *Regi* Alfonſo, aevi noſtri gloria, & nato tuo inclito Calabriae Duci Ferdinando, & liberis ejus, & omni tuae poſteritati, Senenſes univerſi, dum ſtabunt urbis moenia, hanc hodiernam pacem, ideſt ſalutem & libertatem ſuam, gratiſſimis animis imputabunt, tuumque erit apud eos indelebile nomen. Mercedem vero tam pii, tam neceſſarii, tam fructuoſi operis tui ut reddat tibi divina miſeratio, & *glorioſiſſima Virgo Mater Dei Maria, quam religioſiſſime colimus, & olim concivis noſter, nunc vero Coeli accola, Divus Bernardinus haud dubie impetrabunt.*

Ed. ipſi ſubirent

Ed. ergo

Hoc totum expunxit Baſileenſis editor.

NO-

NOTAE

In superiorem Orationem.

1. JOannem Solerii Apostolicum Legatum. *Praeter Senenses Legatum suum misit etiam Callistus Papa eadem rogaturus pro Senensibus quae Senenses pro se. Id muneris commissum a Pontifice est Joanni Solerio insigni Theologo, quem Pius II. dein Barchinonensi Ecclesiae praefecit, vel potius a Callisto III. jam praefectum, dein per injuriam amotum, restituit. Vide Gobelin. lib.*1. *pag. mihi* 26 *& pag.* 37.
2. Altera coram te habita in hac Urbe. *Laudensem pacem, de qua in Argumento hujus orationis, non admisit Alfonsus. Dein vero foedus initum est inter Venetos, Mediolanensem Ducem ac Florentinos Sociosque; huic jam confecto accessit & Alfonsus Rex, teste Navagerio in historia Venet. Rer. Ital. Script. tom.* XXIII. *pag.* 1117. *Accessionem hanc verbis hisce Pii designatam facile credo.*
3. Manfredi, qui ex hac Urbe. *Manfredum Urbe regnoque Neapolitano potitum sollicitarunt Senenses, ut auxilio sibi esset adversus Florentinos, quos ex amicis subito adversarios senserant. Neapolitanis vero copiis adjuti Senenses celebre illud praelium, quod Montis aperti dicitur, cum hostibus commiserunt, in quo cruentam licet, insignem tamen victoriam reportarunt anno* 1198. *Vide Malavolt. hist. di Sien. part.*1. *lib.*5. *& part.* II *lib.*1.
4. Bonifacius IX. Urbis alumnus. *Quid egerit in Senensium commodum Bonifacius IX. aeque ignoro cum ignorantissimis; cum nihil ejus legerim sive in historia Malavoltae, sive in priscis Senensium diariis a Muratorio Rer. Ital. tom.* XIX. *vulgatis. Forte tamen lue per totam Italiam grassante affecti Senenses, aliquo pecuniario subsidio a Pontifice adjuti sunt.*

5. Ob

Digitized by Google

5. Ob memoriam S. Callisti nostri. ***Nihil quidquam de adito a Callisto discrimine, ut ab eo demeret Senenses, memoriae proditum audivi, nisi illud tantummodo, quod cum Jacobus Picininus Urbem Senarum ad ultimas angustias ita redegisset, ut non procul abesset ab expugnatione, Pontifex conjunctis armis cum Mediolanensibus Venetisque accurrit promptus; cujus exercitus terror factiosos ab urbe removit. Depulsus igitur e Senensi agro Picininus Romanum agrum depopulatus est. Vide Responsum Pii ad Oratores Renati.***



Finis Primae Partis.

Digitized by Google

Digitized by Google